



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

Acc 72576
5

ii. 30.

HEEK GENT



Digitized by Google

HADR. JUNII

EPISTOLÆ,

Quibus accedit

Ejusdem Vita & Oratio

D E

Artium liberalium dignitate ;

Nunquam antea edita.

Cum Indice.




D O R D R E C H T I,

Apud Vincentium Caimax, Bibliopolam.

Anno cl^o l^o lxx.

Bibl. Aug. & Universam. f. H. Vano Stort & prior 1737



V I T A

Hadriani Junii, Medici.



Adrianus Iunius, patri-
ciâ *Iuniorum* familiâ
oriundus, natusque
Hornæ, celebri mari-
timo apud *Frisios* Oc-
cidentales oppido, vi-
tam hanc orditur *Ka-*
lendis Iulij, anni 1511. Matrem habuit
Mariam, *Theodori* filiam, honestissimam
matronam. Pater *Petrus Iunius* primò
fuit civitati *Hornanæ* à Secretis, mox, eo
munere deserto, quinques ibidem fuit
Consul magnæ dignationis, atque existi-
mationis, non tantum apud cives suos,
sed & in aulâ, & apud reliquas *Hollan-*
diæ civitates; unde crebris legationi-
bus magno cum honore functus est, ni-
mirum bis ad *Daniæ* Regem, semel ad
Suecos, & alibi. *Epitomen* initii & pro-
gressus civitatis *Hornæ* literis consigna-
vit, quo D.D. *Velius* postea usus est in
descriptione Hornæ. Cùm *Idibus Novem-*
bris

H A D R. J U N I I

*bris anni 1537. in fata concessisset, filius
ejus Hadrianus hoc ei concinnum Epi
taphium posuit.*

D. O. M.

*Petro Iunio, viro Consulari, civitatiq[ue]
Hornanæ à Secretis, eximiâ in rebus agun
dis prudentiâ, multiplici Historiarum
cognitione, admirandâ facundiâ, in
exhaustâ memoriâ nulli secundo, pos
frequentes legationes, Reip. nom[ine] obi
tas, peractosque honores, sub hoc mar
more condito, Hadrianus Iunius patri
optimè de se merito, pietatis ergo P. C*

*Obiit anno à Christo nato M. D.
xxvii. Idibus Novemb.*

*Prædictus ejus filius Hadrianus, d
quo jam nobis sermo est habendus,
primis unguiculis studiis innutritus est
primò Harlemi, ubi tum temporis cele
bris erat schola, in quâ cùm Musis &
Gratiis sacra fecisset, moribus atque in
genio suo tantum meruit favorem om
nium, ut ejus scholæ lumen & Phœni.
jam tum à teneris audiret. Inde Lovanium
se contulit, ubi, biennio transactò, animi
peregrinationi applicuit, probè edoc
tus, peregrinatos tantum præstare nunquam
ex patriâ egressis, quantum cæci præstare
viden*

V I T A.

videntibus ; & primò petiit *Parisi*os , totius *Galliæ* metropolin , quo in loco clarissimi Medici , *Iacobi Hollerii* auditor aliquandiu fuit sedulus. Tandem hinc discessit in *Italiam* cum *Martino Costero*, *Amsterdamæ*o, & aliis condiscipulis , in quâ terrâ , scientiarum altrice , *Bononiæ* titulo *Doctoratus Medicinæ* condecoratus est. Postquam in reditu potissimam *Germaniæ* partem peragrâisset , trajecit in *Angliam* , ubi sedem fixit, & praxin aliquandiu magnâ cum laude apud cujuscunque conditionis homines exercuit, magnâ inter cæteros contractâ familiaritate cum *D. Francisco Dilfio*, Cæsareæ Majestatis tum ad Anglos legato. Hic edidit *Philippeïda*, seu illustre *Epithalamium* in nuptias *Philippi*, *Hispaniarum Regis* , & *Mariæ* , *Angliæ Reginæ* , filiæ *Henrici VIII.*

Rebus ibi turbatis, domum rediit, & *Hornæ* aliquandiu substitit. Sed statim accersitus à Rege *Daniæ*, ut esset filii regii gubernator & præceptor, eò se contulit ; at cùm suum ingenium cum *Dani* non conveniret, tandem ipse subiratus, ne salutato quidem Rege, discessit.

H A D R. J U N I I

Denuo in patriam reversus, *Harlem* in *Batavis*, uxore ductâ, domicilium fixi ibique cum laude Medicinam fecit, in quo non multo post à Magistratu civitatis ejusdem ad Recturam scholæ Latinæ evocatus, honestissimis conditionibus Gymnasiarcha ibidem sit constitutus. Deinde, ab Ordinibus *Hollandiæ* jussus *Harlem* patriam juxta cum aliis elucubra-
vit.

Hic tandiu commoratus est, quousque hæc civitas, ab *Hispanis* obsidione cincta, acerrimè oppugnaretur. *Hispanis* tum propositum fuit, prout à Senioribus accepi, nemini parcere, nisi *Gubernatori* ob prælaram animi magnitudinem, & summam rei militaris peritiam, & *Junio* ob singularem eruditionem.

Sed durante obsidione illâ memorabili, ad *Principem Aurarcum* à certo morbo curandum evocatus, & cum suâ familiâ *Harlem* expulsus, in aulâ ejus aliquandiu permansit, rebus *Harlemensium* interim ad incitas redactis; quippe qui ibidem frustra conatus est consilio ac diligentiam suâ civibus laborantibus opem ferre.

Urbe

V. I. T. A.

Urbe demum deditâ, *Iunius* naufragium bonorum pene omnium, ibidem relictorum, passus est. Exiis præcipuè dolebat amissionem *scriptorum*, quæ in exhausto labore, & multis vigiliis in spem æternitatus conceperat, & jam pene extremâ limâ ad editionem perpoli-
verat, eò quòd jam simul in barbaras *Hispanorum* manus inciderent. Nec mi-
nùs ipsum sollicitabat damnum *biblothe-
cæ*, in expugnatione *Harlemi* direptæ, utpote veteribus libris manuscriptis in-
structæ, quorum uberrimam copiam sibi comparaverat. Utraque in varias partes ita dispersa fuère, ut vix ulla post-limi-
nio ad Domini manus postea pervene-
rint.

Dum *Iunius* in aulâ Celsissimi Princi-
pis Medicinam facitabat, aliquandiu
Delphis substitit, eundemque in *Zelan-
diam* comitatus, *Middelburgi*, seu æris
inclementiâ, seu peregrinationis incom-
modis, accedente etiam animi ægritu-
dine ob bona, & scripta deperdita, in-
gravem & lethalem morbum incidit,
multis malis eum aggravantibus, ut,
ulceratione renum, apostemate in collæ
vesicæ, gravi tussi, & insuper lentâ &
per-

H A D R. J U N I I

pertinaci febre , quæ ipsum paulatim consumpsit , & tandem etiam è vitâ sustulit *diē 16. Junii , anno 1575. cūm explevisset annum ætatis 63. qui magnus climacterinus annus Medicis vocatur.*

Reliquit ex duabus uxoribus octo liberos, inter quos fuit *Petrus Iunius*, Avo suo cognominis, vir industrius, nec indoctus , cujus curâ hoc *Epistolarum* opus posthumum factum rectum posteris permansit ; ut & *Clara*, cujus filius *Hadrianus Iunius Dorotheam Beveroviciam* in matrimonio habuit , sed improlis *Dordraci* decessit . Cæteri liberi *Iunior* prius ad funebrem , quàm ad nuptialem facem pervenerunt.

Sepultus est honorificè *Middelburgi*, funus curante filio *Petro*, & ejusmodi monumentum ponente.

D. O. M. S.

Hadriano Iunio, *Hornano*, Philosopho, Medico, & Poëtæ celeberrimo, *Bataviæ* Historico fidelissimò , cujus in omni disciplinarum genere exquisita eruditio, singularis industria , infinitæ lectionis præstantia , multiplex linguarum scientia , pari conjunctâ comitate , virorum omnium doctorum admirationem , laudem-

V I T A.

demque meruit, post varia incomparabilis ingenii monumenta, quibus æternam sibi memoriam comparavit, sub hoc marmore condito, patri, optime de se merito, *Petrus Iunius* inestimabilis pietatis ergo P. C.

Vixit annos *lxxiii*. Obiit die *xvi*. mensis, sibi cognominis, anno salutis Christianæ M.D. *lxxv*.

In obitum *Iunii* Poëtæ ejus ævi eminentissimi luserunt, è quibus illud *epicedium* *Petri Hoogerbetii*, *Medici Hornani*, concivis sui, ibidem etiamnum extat.

*Flere Deos si fas mortalia, non ego, Iuni,
Addubito, quin te Diique, Deæque flectant.
Flect certè Aónides; flet Apollo, quòd omnis,
adempto*

*Te, pariter Melicæ concidit artis honos.
Concidit artis honos: altâ qui mente lepôres
Affereres prisci temporis, unus eras,
Vitæ funde malis, quam Dii tribuere, quitem
Lætus agas: famæ gloria partatue est.*

Cui adjungi potest aliud incertî cujusdam Epitaphium in obitum ejusdem.

Fortè rogas, parvâ lateat quis conditus urnâ,

Hæc inscripta super carmina mæstale lege.

Junius, à priscâ deducens nomina gente,

H A D R. J U N I I

*Hornâ oreis, Batavæ conditor Historiæ.
 Musarum antistes, Charitû flos, Pæoniæ artis
 Lumen, & antiquæ religionis amor.
 Almæ olim lucis Iulî tribuere calendæ
 Principia huc civi, terra Batava, tuo:
 Sed tunc Junio uti natalis Iulius, illi
 Sic nunc lethalis lumen iste fuit.*

Idea vultus *Iuniani* ex icone, huic operi præfixa, cuius patet, & aliquatenus indicat, quo fuerit ingenio præditus. Fuit post *Erasmum Batavorum* omnium (si acerrimo *Lipsii* iudicio credendum) eruditissimus. Non admodum externis eloquentiæ donis eminebat, aliquantulum balbutiens, ita ut *amoris*, & indoctis non facile ex uno congressu innotesceret. Præditus erat *Iunius* ferreâ memoriâ, acuto & singulari iudicio, industriâ ac diligentîâ incomparabili. Fuit non solum Medicus, Poëta, Historicus, exactissimâ antiquitatis cognitione insignis, sed etiam summus Criticus, qui quosvis auctores penetraverat, plerisque in succum & sanguinem converterat, plurimos emendaverat, notisque suis illustraverat. Non tres, sed octo linguas callebat; adeo ut non tria, quem-

V I T A.

quemadmodum *Ennius* jactavit de se, sed octo corda habuisse possit dici. Inter cæteras linguas, quarum erat peritissimus, ad miraculum usque Græcè & Latinè erat edoctus. In summâ, *Junius* erat homo effictus ab ipso Mercurio, lepore ac venustate affluens: purus illi erat sermo & expromptus, sive extemporali colloquio, sive scripto opus erat. Itaque verè in eum I. *Posidius* lusit:

*Nomen artibus extulit duabus,
In toto celebratus orbe, Phœbus.
Nam & tristes potuit fugare morbos,
Et doctum ad citharam sonare carmen.
Verùm ille in superas recessit arces,
Aut forsitan periit; si acerba magnos
Mors domat quoque, conteritque Divos.
Quis nobis exit ergo Phœbus alter?
Certè aut nullus erit, vel, Hadriane,
Tu jam Phœbus eris. Nam utrâque præstas.
Quâ Phœbus fuit institutus, arte.
Nam & tristes potes fugare morbos,
Et doctum ad citharam sonare carmen.*

Qualis, quantusque fuerit *Junius* in edendis operibus, non nostris opus est verbis, cum rerum testimonia adsint; quippe qui plurimis ingenii monumen-

H A D R. J U N I I

tis, ac publicis eruditionis suæ testimoniis orbem locupletavit, quorum hæc sunt, quæ ad notitiam nostram pervenerunt.

Lexicon Græco-latinum, quod auxit vocabulis supra 6500. *Copie-cornu*, sive Oceanus enarrationum *Homericarum*, ex *Eustathii* commentariis breviter collectus in unum volumen. *Adagiorum*, ab *Erasmo* omissorum, *centuriæ* octo cum dimidiâ. *Nomenclator*, continens propria omnium rerum nomina, variis linguis explicata. *Commentarius de anno & mensibus*, cui adjungitur *Fastorum* liber, *Elisabethæ*, *Angliæ* reginæ, dedicatus, quo compendiosè narratur, quicquid memorabile apud *Græcos*, *Hebræos*, *Romans*, aliasque exoticas nationes actum, & quolibet die peculiariter observatum sit. *Commentarius de comâ*. *Appendix ad Epitheta Textoris*. *Animadversorum libri sex*, in quibus infiniti pene auctorum loci cortiguntur & explicantur, qui *Harlemo* capto perierunt. *Pœtica opuscula* per multa, è quibus hæc ad cognitionem nostram pervenerunt. *Emblemata*. *Ænigmata*. *Aphorismi Hippocratis*, carmine donati. *Epicedia* in mortem *Caroli V.* & *Fer-*

V I T A.

Ferdinandi, Imperat. Roman. In mortem Erasmi. Philippeis, five Epithalamium in nuptias, regis Hispaniarum, & Mariæ, reginæ Angliæ. Psalmi, & multa alia sacra, carmine lepidissimo à nepote ejus Verlanio p.m. edita; quibus additi Pinaces, & alia moralia. Liberatio obsidionis Lugdunensis. Satyræ, inter quas Douzæ nominantur Braccatus, Gerulus, & Manicatus. Præter hæc scripsit commentarium, in quo totius anni dies articulatim ad calculum descripti sunt Latini sententiis, cuilibet anni temporis congruis. Phallos, ex fungorum genere in Hollandiæ sabuleto crescentes. Item edidit annotata, & emendationes in Nonium Marcellum de proprietate sermonis; In Fulgentii Placidiæ libellum de prisco sermone; In Senecam, Plinium, Q. Curtium, Horatium, Martialem, Iuvenalem, & Plauti fabulas.

Multa Ianii sunt è Græco in Latinum sermonem versa, è quibus hæc præcipuè leguntur.

Cassii Iatro-sophistæ quæstiones Medicæ. Plutarchi Sympotica problemata. Eunapius Sardianus de vitis Philosophorum. Hesychius Milesius, Illustrii cognomine. Isocratis
pa-

H A D R. J U N I I

paranesis ad Dæmonicum.

In manibus hæredū etiam visa sunt alia nonnulla, quorū quædam pene ad umbilicum sunt perducta, alia imperfecta, aut tantummodo primam manum experta; quæ, licet extremam limam non adeptæ, lucem non mereantur, tamen indefessi & inexhausti laboris testimonium perhibere possunt. Inter cætera oblivioni subtractum hoc posthumum *Epistolarum* opusculū, & apud Medicum *Verlanium*, alterum *authoris* ex filiâ nepotem, hæc sequentia scripta extitisse auctor est Medicus *Velius* in suâ *West-Frisiâ*.

Poëmata varia, inter quæ sunt *Epigrammatum* libri aliquot. *Collectanea de divinatione*. *Stromatum*, seu *Epithetorum Græcorum* libros, in quibus non nuda *Epitheta Iunius* posuerat, sed exempla quoque protulerat è variis auctoribus Græcis, expositis etiam diligenter eorundem rationibus; Opus ingens & imperfectum.

Bat.

Baldwinus Ronssæus Med.

Petro Junio .

NÆ tu, mi Petre, dignus es Junio filius, dum indefesso labore undequaque patris tui corradis literas, ut, quum in iustum excreverint volumen, lucem tandem videant. Laudo ingenium, καὶ ἀντιπελαργίαν illam tuam, quæ etiam post cineres patris honori consultum cupis. Non possum non exosculari, ac, quod in me est, honestissimum hoc tuum studium promotum curabo. Tui tantum officii erit, si quid per me curatum voles, imperare, eodemque, quo quondam pater tuus, mecum jure agere. Videor enim, dum literas tuas lego, tanquam reducem affari Junium. Literas illas, quarum initium esse scribis; *Itur in antiquam sylvam*, &c. memini me recepisse, verum easdem ubi reposuerim, nescio. Vereor, ne, dum propter intestinum hoc bellum mea huc illuc reposui, inscio interciderint. Carmen illud paraphrasticum in Aphorismos admodum placuit, atque plurimum me tibi fateor debere, quod ejus exemplar transmiseris. Doleo interim festinam mortem patris præpedisse, quominus
ad

ad umbilicum pervenerit. Vale, ac,
quo cepisti pede, patris vestigiis insiste.
Saluta D. Petreium. Goudâ, admo-
dum currente calamo, pridie Natal.
Domini. 1576.

*Lucas Fruterius ad Hadr. Iunium in
collecepsula, ad eundem misse.*

*Sic te Nestoræ comitetur vita sub annos
Majus, ex ætate fiet tibi fama tuis.
O Iunio, ætate felix successor ERASMI,
Si jura, quæ dant tua fata tibi.*

In-



Index, in quo numerus indicat
paginam.

A.

A ndrez Alciato.	Pag. 98
Antonio Hovzo.	170. 227. 228
Antonio Morillono.	80. 91
Antonio Perenotto, Cardinali Granvellano.	78.
	469. 532
Antonio Poelenburgio.	218
Arnoldo Birckmanno.	68. 73. 74. 116. 222
Arnoldo Cobelio, Quæstorî Hollandiæ.	258. 451.
	549
Arnoldo Monoxilo, Buscoducensî.	101
Arnoldo Peraxilo.	311
Arnoldo Rosenbergio,	230. 305
Arnoldo Theodoro, Amsterodamensî,	104. 328

B.

B alduino Ronsszø, Medico.	348. 349. 350. 482
Benedictø Ariæ Montano.	252
Berganz Civitatis Senatui in Norvegiâ.	247

C.

C ardinalium Confessui, &c.	390
Christophoro Plantino.	254. 265. 271
Colloquium Echo.	50
Consalvo Perezio.	I
Cœlio.	148
Cornelio Bickero.	564
Cornelio Cruserio.	253
Cornelio Ioanni, Medico.	44. 357
Cornelio Musio.	161
Cornelio Poelenburgio, Medico.	156. 159. 282.
	368. 369
	Cor.

ad umbilicum pervenerit. Vale, ac,
quo cepisti pede, patris vestigiis insiste.
Saluta D. Petreium. Goudâ, admo-
dum currente calamo, pridie Natal.
Domini. 1576.

*Lucas Fruterius ad Hadr. Iunium in
calce epistola, ad eundem missa.*

Sic te Nestoreos comitetur vita sub annos
Major, & à fati fiet tibi fama tuis.
O Iuni, æterni felix successor **ERASMI**,
Si successorem dant tua fata tibi.

In-



Index, in quo numerus indicat
paginam.

A.

A ndrez Alciato.	Pag. 98
Antonio Hovzo.	170. 227. 228
Antonio Morillono.	80. 91
Antonio Perenotto, Cardinali Granvellano.	78.
	469. 532
Antonio Poelenburgio.	218
Arnoldo Birckmanno.	68. 73. 74. 116. 222
Arnoldo Cobelio, Quæstorî Hollandiæ.	258. 451.
	549
Arnoldo Monoxylo, Buscoducensi.	101
Arnoldo Peraxylo.	311
Arnoldo Rosenbergio,	230. 305
Arnoldo Theodoro, Amsterodamensi.	104. 328

B.

B alduino Ronssæ, Medico.	348. 349. 350. 482
Benedictô Ariæ Montano.	252
Berganz Civitatis Senatui in Norvegiâ.	247

C.

C ardinalium Confessui, &c.	390
Christophoro Plantino.	254. 265. 271
Colloquium Echo.	50
Consalvo Perezio.	I
Cælio.	148
Cornelio Bickero.	564
Cornelio Cruserio.	253
Cornelio Ioanni, Medico.	44. 357
Cornelio Musio.	161
Cornelio Poelenburgio, Medico.	156. 159. 282.
	368. 369
	Cor.

I N D E X.

Cornelio Rheimmio . . . 328
 Cornelio Sufio, Hollandiæ Præfidi. 279. 304. 316. 328
 Cofl. Harlemæis . . . 371. 503. 400

D.

Danieli Rogerio . . . 476. 479.

E.

Eduardo, Angliæ Regi . . . 508
 Elifabethæ, Angliæ Reginæ . . . 543
 Epifcopo incerto . . . 460

F.

Francifco Fabricio, Marcodurano . . . 294
 Francisco, Medico Londinenfi . . . 244
 Francisco Amerfongio . . . 242
 Francifco Difio, Oratori Cæfareo . . . 30. 84. 559
 Friderico Simonio, Confuli Enchufano . . . 228. 232.
 356. 370. 371

G.

Georgio Fabricio . . . 456
 Gerardo Æmilio, Pensionario Lugdunenfi . . . 290
 Gerardo Valkenburgio . . . 477
 Gilberto Heermanno, Dordraceno . . . 209. 290
 Godefrido à Mierlo . . . 497
 Gregorio Martino, Britanno . . . 201
 Guàltero Bartoldi, Dordraceno . . . 257
 Gualtero Hadono . . . 16
 Guffio . . . 292
 Guidoni Laurino, Brugenfi . . . 249
 Guilelmo Cecilio, Anglò . . . 255
 Guilelmo Cripio, Secretario Delph . . . 213
 Guilelmo Lindano . . . 136. 225. 267. 289. 388. 446
 Guilelmo Kinnio . . . 364
 Guilelmo, Pr. Naffavio . . . 455. 567

H.

Hadriano Ionge . . . 61
 Hajoni Caminga, Frifio . . . 345
 Hen-

I N D E X.

Henrico, Comiti Surriano.	89
Henrico Innio.	208
Hermannno Rubria.	234
Hermannno Rufio.	443
Hieremias Brachetto.	299
Hieronimo Tennero, Cancellario regis Daniz.	187.
	191
Hodsono.	155
Huberto Goltezio.	250

I.

Iano Douza, Nordovici Toparcha.	200.551
Iacobo Blondelio.	366
Iacobo Duvenvoorde, domini Warmonde.	383.
	427.428
Iacobo Iongio.	315.319
Iacobo Meistero.	47.126
Iacobo Musio ab Holy.	484.486.487.489.494.496
Iacobo Poelenburgio.	300.313.331
Iacobo Sterco, Vicario Egmond. Coenobij.	378
Iacobo Susio.	264
Iacobo Vesalio.	113
Ioachimo Hoppero, Senatori regio.	212.285.443
Ioannitarum coetui.	237
Ioanni Alberto, duci Megapolensi.	205
Ioanni Antonio Bartwico.	481
Ioanni Beverovicio.	164.334
Ioanni Bersozz.	6.8
Ioanni Boisio.	120.215
Ioanni Christopherso.	65
Ioanni Chieco.	92
Ioanni Cauchio.	445
Ioanni Geropio Becapo.	81
Ioanni Laxio, Rupellano.	183
Ioanni Molano, Theologo.	236
Ioanni Montonio.	217
Ioanni Pisoni, Clivenfi.	95.329
Ioanni Pepolo, Comiti.	27
Ioanni Poelenburgio.	82
	Ioan-

I N D E X.

Ioanni Sambuco.	262.267.272.173.385.399.403.
	408.410.413
Ioanni Sartorio.	343
Ioanni Scheiffio.	7.128
Iodoco Hagano, Pension. Hornano.	197
Iusto Velfio.	129.362
Ignoto cuidam.	314.316.353

L.

Lamberto Iacobo, Pension. Harlemzo.	108
Lucz Fruterio, Brugensi.	196.213.374
Ludovico Boisote, maris Praefecto.	475
Ludovico Opacio, Yprensi.	257

M.

MAlinzo.	214
Marchioni Anglo.	150.172.459
Mariz, Angliæ reginz.	521
Martino Aedituo.	151.155.216.306.308.317.539
Martino Corenbechio.	21.36.42.43.144
Martino Formerio.	195.287
Matthiaz Petro, Medico Harlemensi.	379
Maximiliano à Burgundiâ.	526
Maximiliano, Casari.	503
Meinardo.	330

N.

Nicolao Assendelfo.	111
Nicolao Nicolai Grudio.	10.122.310
Nicolao Guldensterrio.	221.255
Nicolao Iacobo, Harlemzo.	339
Nicolao Poelenburgio.	19.25.94
Nicolao Vorstio.	398.490
Nicolao Wottono.	33

O.

O ^R atio de artium dignitate.	570
Orthoni Simonio.	228.342

P.

P ^E tro Bloccio.	114.131.209
Petro Coudenbergio.	125
	Pe-

I N D E X.

Petro Forestio, Medic.	372.441.501.502
Petro Meerhoutano.	251.428.429.430.433.434. 435.436.440.457.471
Petro Nannio.	38.97.102.162.174.176.192.195. 223.224.332.337.341.453
Petro Vulcanio.	123.177
P. Regemortero, Anglo.	297
<i>Phalli</i> .	417
Philippo Guilelmo à Nassau.	553
Philippo Surreio, Comiti.	203
Philippo à Wangâ.	363

Q uirino Talefio.	198
--------------------------	-----

R ogerio Beverovicio.	23
------------------------------	----

S tephano Gardinero, Episcopo Vintoniensi.	12
Splintero ab Hargen.	259.260.266.283.284. 286.426.427
<i>Supplex libellus</i> .	34

T heodoro Langio.	219
Theuderico Deinio, Nardeno, Senatori Mechliniensi.	233
Thomæ Havardo, Nordofolkiz Duci.	146.167.210
Thomæ Rodingerio, Silesio.	479

V ictori Gisclino.	263.268
Voerthufio, Praefecto Daventriensi.	231

Z egero, Ludi-magistro Harlemensi.	352
---	-----

In-

Index Epistolarum, quas amici ad Hadr. Junium scripserunt.

B Alduinus Ronssæus .	626
Daniel Rogerius .	628
Guido Laurinus .	617
Janus Douza.	639-647
Ioachim. Camerarius .	609
Ioan. Albertus , Dux Megapolensis .	613
Ioan. Bartwicens .	623
Ioan. Iacobus <i>van</i> Staal .	615
Ioan. Latomus .	618
Ioan. Sambucus .	620
Ioan. Versosa .	612
Iacobus à Duvenvoorde , &c.	621
Martinus Aedituus .	621
Martinus Corenbechius .	636
Nicolaus Vorstius .	631
Splinterus ab Hargen.	648.



H A D R.



H A D R. J U N I I

E P I S T O L Æ.

Hadrianus Junius Medicus
Consalvo Perezio Hispano. S. P.



Solet fermè dignitas sublimis fastum & elatius supercilium, velut nubes Cæcias, aut ferrum Heraclius lapis, attrahere, vir amplissime sed in te rara illa & excellens imprimis eruditio, perpetua & constans humanitatis comes, eam labem facile deterfit atque adeò longissime dispulit, ut in tanto inter Purpuratos dignitatis splendore, ne vel minimum quidem maculæ talis vestigium extet, obvia & pronæ facilitatis plena in te sint omnia, quod oraculari propemodum voce coram mihi retulerat olim in Angliam iter instituenti Nicolaus Grudius vir

A

pri-

primarius ac tuarum laudum buccinator
 minimè vanus, quum te Hispaniæ tuæ
 incomparabile esse ornamentum, sive li-
 teras sive humanitatis officia spectes,
 haud irrita verborum fide prædicaret.
 Neque verò mirum, quum non pruden-
 tia tantum multo rerum usu parta &
 longinquis peregrinationibus exercita,
 verum tota illa virtutum se mutuo se-
 quentium clientela, Musis comitata, in
 pectus illud tuum Regiis secretis dica-
 tum domicilium immigrasse sedesque
 fixisse videatur. Qua re effectum est
 quur te consiliorum suorum participem
 inter Συμφοράδμους, gravissimum illum
 & divina quadam Majestate conspicuum
 Senatum delegerit Regum nobilissimus
 & perspicientissimus Philippus, pruden-
 tissimè, ut cætera omnia videns in re-
 bus tam arduis imperioque tam lato,
 cur decem Nestoras dari sibi à Superis
 Agamemnon ille latè Regum Rex op-
 tarit, cur item Zopyrorum numerum
 mali Punici granis parem expetierit
 Darius. Ista tuarum virtutum & doctri-
 næ haud vulgaris admiratio incitavit
 me ad ambiendam tuam amicitiam, glo-
 riæ & ornamento mihi futuram, simul-
 que

que ad quærendum libro meo patrocini-
um ac præsidium , quod videam illud
à Principum virorum autoritate peti ,
more non nuper inuesto , sed ab altissi-
ma vetustate introducto , & ad posteri-
tatem velut per manus tradito , ut ad-
versus calumniatorum jacula tutior ,
quasi sub Ajacis clypeo securius confi-
stat . Quum verò præter unum Horati-
um Lyricos scriptores Latina Musa nul-
los reliquerit hætenus , atque is Poëta
Sententiarum divitiis , rerum atque hi-
storiarum abstrusa cognitione , & ver-
borum pondere inimitabili, cæteros an-
tecellat, præsertim in Carminum libris,
nec in hunc usque diem * Commen-
tarii (absit dictis invidia) ulli pene Ho-
ratianas opes in lucem evocarint aut ex-
planarint (quod ideo factum arbitror,
quod à Græcis fontibus, Lyricos dico,
unde plæraque derivavit hic Poëta , ar-
cessere ea non laborarint) aggredi mihi
placuit difficilem provinciam & duram ,
lucemque eleganti sed paulo obscuriori
Poëtæ addere, aperta ad reliqua ejus
generis intelligenda magna fenestra .
Siquidem Acron plærunque Porphyri-

* Commentarii in Carminum libros Horatii .

onis plumis Vestitus, sæpissimè impingit, fœdis erroribus & mendis maculosus: Hallucinatur nonnunquam in clara luce & Porphyrion: Mancinellus quoque errorum vacuus non est. Bonfinio nullus ineptit magis, & dum ab aliis dissentire studiose gestit, Siculis gerris vaniora comminiscitur. Badius suo more ἐπιπολαίως βαδίζῃ corticem verborum solum delibans, ad ipsam rerum medullam nunquam penetrans. Plus aliquanto cæteris vidit Glareanus & præstitit. Ego verò in dissoluendis, lucisq; reddendis nodis locisq; obscuritate vel ipsos Platonis numeros superantibus, quos conniventer prætereunt interpretes: deinde in observandis excutiendisq; adjumentis, quæ fermè haud temerè veterum Poëtarum quilibet apponit, quod iis non soleant uti (quemadmodum recentiorum pleriq;) statuminum loco aut Caryatidum, quo versum molem fulciant: præterea in herciscundis dictis aliunde ex Græcorum Lyricorum familia petitis, genuinoque & patrio sensu donandis: denique in fabularum historiarumque remotioribus, & ex altissimo antiquitatis veluti antro depromptis secretis: In his, inquam,

quam , omnibus quid præstiterim , ec-
 quid commentariis meis aliorum cogni-
 tionem contulerim , malim me tacente
 alios tecum dicere , quam ipse stulta
 quadam jactantia invidiam commovere.
 Quem laborem , quo foret operosior ,
 hoc tuo nomine digniorem existimavi :
 fiduciam autem summam mihi & ad æ-
 ditionem procurandam & ad consecran-
 dos tuo nomini hosce commentarios
 addidit Joannes Berfoza vir admirabili
 linguarum variarum & vetustatis omnis
 cognitione instructissimus , quo tu fami-
 liarissimè ac domesticè uteris : cui quum
 eos superiore anno legendos & Aristar-
 chæa cura examinandos tradidissem , ho-
 nesto ille imprimis testimonio tuis eos
 non indignos oculis , & liberali patro-
 cinio judicavit . Itaque chartaceo isto
 munere , & labore literario tuam deme-
 reri benevolentiam illo autore consti-
 tui , secutus amantium exemplum , qui
 rosario pastillo , aut pomo , amasiæ gra-
 tiam captant : Vel , ut ad rem propius
 fortasse dicam , Polyphemo juveni non
 dissimilis , ut ille Galatheam incondita
 musica , ita ego eruditas tuas aures næ-
 niis nostris pulsare præsumpsi , quos

propter te libentiùs lecturos spero quotquot ingenua studia & literas amant & colunt impensius. Vale singulare literarum decus & Hadrianum Junium quo cæperas studio complectere.

*Hadr. Jun. Joanni Berfoza
Cesarangustano.*

Video magnos sæpenumero viros inter seria studia, aliquam temporis portiunculam levioribus amœnioribusque studiis ἀμωμήτως decidisse, & è philosophia velut ex diverticulo in Poëtices τῆς τῇ φιλοσοφίᾳ συνάει lucos atque viridaria secedere solere, illos ego secutus, succisivis horis in tertium * Æneidos Virgilianæ, publi Harlemianæ Annotationes, aut si mavis Commentarium, dictaveram, qui labor quum aliquanto plus appendicum, ut solet, attraxisset quàm speraram, & ad æditionem à multis efflagitaretur, victus illorum precibus cessi, atque eò quidem pronius quo viderem non infeliciter in eundem Poëtam idem tentatum ab eru-

* Commentarius Hadr. Junii in libr. tertium Æneidos Virgilianæ.

ditissimo P. Nannio in quartum , à Robortello in primum, à Barlando in alios aliquot libros : tametsi Vulgi iudicium obstare videretur , curam hanc nostris studiis indignam insimulaturi : Sed ego hoc hominum genus facile contemnere possum , modo emolumenti aliquid literarum amatoribus accedere possit : Laudavi enim semper illud &c.

Joanni Scheyffio .

Superioribus diebus , quum Francofurti accepissem ex communi nostro amico Arnolde Birckmanno , vir ornatissimo te amplissimo Cancellariatus munere cohonestatum , mirum quanta quamque incredibili affectus fuerim lætitia , quod gauderem tuas virtutes non in obscuro , sed illustri loco positas , te meritissimum anteaكتورum laborum premium obtinuisse : audiremque non illibenter , apud Principes , Virtutes æstimari & remunerari quoque . Nihil itaque putavi prius aut antiquius mihi faciendum , quam ut eo nomine tibi , viro olim mihi amicissimo , nunc verò amicitiae illius (uti spero) tesseram non ab-

A 4.

nu-

nuituro (quanquam longissimo intervallo separarit nos honorum fagistium) gratulari primo quoque tempore per occasionem insisterem.

Joanni Bersoza.

QUum superioribus hebdomadis officii gratia te inviserem Bersoza doctissime, egisti mecum ut data opportunitate literis te provocarem, meique memoriam in tanta illa, occupationum vesstrarum alluvione refricarem, id quod tum temporis haud furdo dictum tam altè animo impressum sedit, ut haud temerè exculpi posse putem: eoque nomine tantopere gaudeo mihiq̃ue gratulor quod me ultro invitatum abs te sciam, ut non possim magis quod tantæ eruditionis viro ac tantum non ἱερὸν λόγιον τύπω (quod Proæresio tribuit Eunapius) probari atque placere aliquo pacto concedatur. Eam verò vestri appellationem omnem eò tendere & meæ tenuitatis conscientia, & viva vocis tuæ significatio mutuo quodam taciti consensus testimonio declarant, ut ab hac extimæ orbis plagæ barbarie, eque istis vitæ for-

Epistolæ.

fordibus in luce hominum conversatio ac liberalior paulo studiorum liberalium alimonia quærat : id quod amplissimi D. Peresii auctoritate, & pronissima tua voluntate facile confieri posse persuasissimum habeo honorario Græcæ professionis munere, aut vertendorum Latiniq̃ue jure donandorum & à blattis vindicandorum veterum librorum, cujusmodi sunt Damascii scripta, aut Hermiæ atque Olympiodori quæ exspecto propediem ad me profectura; aut D. Cyrilli *πλαφινὰ*, quibus Christi servatoris nostri mysteria explicuit: aut D. Chrysostomi *ἐνόντες*, sic appellantur Homeliæ xxi. Antiochiæ habitæ, aut Glenasii, Meletii, & Jo. Zachariæ Medica opera, in quibus aliisq̃ue pluribus quos hîc recensere supervacuum duco à tenebris eruendis planè regiam operam exemplo cujusdam retro Regis munificentissimus Rex collocaturus esset. Sed quid hæc ad te? Sus ad Palladem. Mitto tibi exemplum epistolæ nuncupatoriæ præfigendæ in Horatii Odarum Commentaria à me scripta & amplissimi D. Peresii nomini inscripta, quæ quidem abhinc anno Basileam misi

A 5

ut

10 HADR. JUNII

ut prælo subjiciantur, publicumque tentent : mitto præterea alteram epistolam in commentarios tertii libri Æneidos tuo nomini inscriptos , ut nimirum devotionis erga vos meæ testimonium extet . Salutabis ex me officiosissimum Meccœnatem nostrum Pèresium .

Nicolao Nicolai Grudio .

L Iteras à te vir amplissime binas diversis temporibus accepi , amoris erga me tui locupletes testes , quibus quod non responderim fecit certi tabellarii inopia , eæ quidem non minore me gaudio totum delibutum reddiderunt , quam te res ipsa , unde facile iniri ratio potest , quantopere tui tuarumque virtutum studiosissimus sit Rex , idque tuo merito , quantum item momenti atque ponderis apud eum habeat tua intercessio . Macte ergo virtute , quæ te nunquam destituet ; macte animo forti , qui in re mala æquabilem & constantem , ipsaque fortuna majorem te semper vidit & comitatus fuit , atque insultantibus ferociter inimicis proterviæ illorum contemptorem tandemque etiam victorem

rem imposuit . Rampio, uti jufferas ,
aliisque nonnullis fortunas tuas detexi ,
quodque fieri volueras , nunciavi , nec
sine animorum offensione , quanquam
ille quidem in laudes tuas illico prorum-
pere , virum te egregium & propter
summam eruditionem quantavis fortu-
na dignum prædicare , sed dolere vicem
tuam , cujus bonitati innocentiaque il-
lulisset temerè sacrifici unius calliditas .
In hanc ferè sententiam illo loquente ,
interventu cujusdam interruptus fuit
medio in foro colloquii tenor , neque
ab eo tempore conveniendi illius facul-
tas fuit . Quæ in alteris literis majora
te impetrasse cum magna animi mei ti-
tillatione (neque enim plena voluptate
potui) legeram , nondum hætenus mihi
licuit cognoscere , quod is cui eas dede-
ras , Alcmaria per aurigam perferendas
ad me curaverit , vel reddere oblitus
fuerit . Adventus tui , quem indies op-
periebamur , expectatione elusi fuimus .
De Hymno tuo nil dubita , nam accu-
rata diligentia afferuatur . Oro interim
atque abtestor tuam fidem , ut per occa-
sionem nostræ tenuitatis tibi in mentem
veniat , deque nostris sordibus aliquando

cogitationem suscipias , quò studia mediocriter alere detur , perampla est tua autoritas, & mille ea modos novit viasq; juvandi , potestque obiter cum Perezio curam (quam nosti) dividere. Vale.

*Stephano Gardinero Episcopo
Vintoniensi .*

LAudatissimum extra omnem controversiam semper fuit vetus illud & à nemine propè non decantatum proverbium est Homo homini Deus: siquidem in rebus mortalium ita comparatum est, ut alter alteri plurimum prodesse possimus , obesse ne velle quidem unquam debeamus , omnes saltem alterius opis indigeamus . Atque hæc quidem una est hujusce mei scripti excusatio Reverendissime Domine , altera est , Pudoris inutilis , quam dysopian efficaciore vocabulo Græci nominant, agnitio, meæque tenuitatis ingenua professio . Nam quum animo mecum revoluerem , qui vir quantus qualisque esses, quantæ item apud optimum & clementissimum Principem autoritatis , quam propenso erga literarum studia affectu , ita obfirmavi ani-

animum, ut in alio nemine collocandam fiduciam mihi cogitarem, quàm in te uno. Rursus quum subiret mentem meæ exilitatis egestatisque conscientia, abjiciendum turpem illud pudorem ac procul *ὑπὲρ τοὺς ἰσχύας πύλας* exigendum existimavi, & veluti deducto tegmine denudandam meam pauperiem. Illîc benignitatem ejus quem semel occæpi appellabo, hîc meam egentiam extersa semel fronte detegam: Utrobique tæaderis, illîc & ope & patrocinio fovendo, hîc propitiam aurem supplici præbendo. Quam ad rem explicandam tamen si ampliore verborum indagine opus foret nolim tamen per longa exorsa tuas occupationes distinere. Exactum fuit mihi sexennium olim hoc in regno, non poenitendo tum fructu, quum apud Norfolkiæ Ducis, qui nuper fati concessit, filium Comitem Surreium honesto pro illius opibus stipendio annuo (quod quinquaginta Angelatos præter necessaria vitæ numerabât) mererem. Quem summæ spei, maximæque expectationis juvenem quum sceleratorum & conjuratorum hominum libido sine causa & sine lege fortunis omnibus

prius exutum capite mulctasset, spoliatus tunc temporis ego & orbatus fui cum stipe meritoria, tum bibliotheca mea cujusvis generis authorum non parva copia instructa. Post quam calamitatem acceptam, quum jam tum multiplices sectas pullulare, ac in quoddam malorum Ilion conjectum esse universum hoc regnum, cuncta sursum atque deorsum volutari, bonis præclusam omnem emergendi spem, improbis & quibus mutatio illa rerum lucrosa erat, venalia cuncta honoresque patere, animadvertissem, ad patrios meos penates discessi commodiora tempora operiri cogitans, quò me tunc veluti è machina revexit Deus. Verùm quum illic & Penia urgeat, nec fatis liberaliter aut honeste otium literarium aliquæat, hinc est quod ad te ceu ad aram, aut tanquam ad sacram anchoram confugiendum mihi esse proposuerim: Utpote qui mihi ornamento & patrocínio apud eum Regem esse possis, quem universus prope orbis uno ore liberalissimum canit, atque quem cuncti inaudita clementia & incredibili munificentia erga omnes uti prædicant. Quid autem centum plus
mi-

minusve coronatorum stipendium in literas collatum , tam potentis Principis thesaurum imminuerit : plurimum certe liberali otio ejus qui magna non spirat , latifundia non affectat , collaturum esse scias . Nosti enim Aristotelis de Divitiis sententiam inter summi boni adminicula , opes amplas ponentis , quas quum non magnas appetam , exileis solius otii literarii fruitioni pares , in Regis manu est donare , in tua vel solo verbulo impetrare , quippe qui Senatus , & à Rege Reginaque etiam totius Regni caput columenque sis . Itaque per sacra literarum communia , per quicquid sanctum est , per amicorum fidem suppliciter te obsecro & obtestor , ut hac in re Atlantem , imò quod ante dixi Deum te mihi præstes , ingenium ea ratione excites , jacentem erigas atque confirmes , quò possim tuo nomini & per te Præsul Reverendissime orbi ea communicare quæ jamdudum premo , quæque majora etiam molior . Deus Optimus Maximus te nobis & Musis quam diutissime incolumem conservet . Londini apud Breed-Wellum .

Hadr.

Hadr. Iunius Hornanus.

MOnet parcœmia, Vir doctissime
 Novos parandos esse amicos, non
 neglectis interim veteribus, ac eos qui-
 dem esse nobis adjungendos, quos vitæ
 innocentia & integritas, morum dexte-
 ritas, frugi sermo, eruditio nequaquam
 vulgaris, viris probis commendant,
 doctis laudatos, omnibus etiam suspici-
 endos reddunt. Ex horum numero tu
 unus es, qui omnium, quos Pictonum
 civitas huc nobis dedit, & præcipuè
 Arnoldi nostri Sasboti, juvenis ad un-
 guem facti, judicio omne fers punctum,
 sive eruditione omnigena certandum
 sit, reliquisque animi dotibus, sive ob-
 via illa humanitate, quæ tibi quodam
 jure uni quasi peculiaris esse videtur,
 adeo ut Cimoni illi Atheniensi, si non
 superior, par saltem existimari possis.
 Atque hæc ferè una est, cur te epistola
 prior laceffere non verear.

Gueltero Hadono Anglo.

JAm procediem rediit in orbem ver-
 tens annus, ex quo Dobsoni nostri au-
 spi-

spiciis prima inter nos amicitiae jacta
fuere fundamenta, singulare sæculi no-
stri decus Hadone, quo nomine ingratit-
udinis causam sustinere, meritoque in-
simulari debeam fortasse, quo toto eo
tempore nihil unquam ad te literarum
dederim, nullo literario saltem officio
demereri te studuerim prior : Fateor
equidem mei fuisse muneris te prius li-
teris compellare, sed partim diffusus in-
genio meo, partim ea doctrinae adju-
menta, quam pusillanimitatem meam
confidentia quadam confirmarent, desi-
derans, veritus sum hæcenus indigna
tuis oculis mea scripta obtrudere ;
deinde veritus etiam ne me duro ore
existimares, qui pugilem (quod ajunt)
exercitatissimum in harenam, equum in
planiciem provocarem : non absque
causa prorogasse hanc operam mihi vi-
deor. Te ne priscae Romanæ eloquen-
tiæ columen, & alterum nostra hac æta-
te Tullium, ego vix tyro ; te secretioris
Philosophiæ antistitem, plebejus ego &
è media sæce vulgi unus laceßere literis
audeam ? Dii meliora, imò piaculi loco
id in hunc usque diem duxi, quo in hanc
difficultatem me conjecit. Haud-fortus
noſter,

18. HADR. JUNII

noster, autor tam periculosaē provinciæ,
tamque projectæ audaciæ, ne dicam
proterviæ. Quare si quid hac parte pec-
catum fuit, crimen à me deprecor, in
illius humeros devolvendum omne-
quum voles. Habes materiam ab illo
Dædalo, cujus impulsu hortatuque Ica-
ri personam sustineo, fortunam metuo,
suppeditatam, præbituram aliquando,
si videbitur superis, amplioris argu-
menti ansam. Hoc esto primum literarij
colloquij rudimentum: Hoc mutuaē
animorum conjunctionis glutinum. Vale
vir ornatissime & me longè licet dispa-
re in amare incipe. Salutabis ex me offi-
ciose D. Smithum omnium disciplina-
rum decus unicum, & alterum in res-
pondendo de jure Scævolam. Salutabis
& delicias utriusque linguæ Carum, &
si qui sunt alii è nostro contubernio,
quorum me fugiunt nomina, agricolæ
similis qui postquam operæ plurimum
studijque consumpsit in agri cultione,
neglecto dulcissimo laborum suorum
fructu messem relinquit intactam. Lon-
dini. 4. cal. Maias.

Nico-

Nicolao Pælenburgio.

R Edditus sum certior per nautam qui has tibi tradit literas te enixè efflagitare ut tibi de rebus omnibus, deque statu Ecclesiæ, qui isthîc est, prescribam : qua equidem in re superioribus literis desiderio tuo satisfecisse me arbitror, quas à discessu nautæ istius ad tuas manus venisse non dubito, utpote viro bonæ fidei commissas. Ne tamen in officio cessare videar, geminatum scribendi munus in me recipere, quam incuriæ infimulari, longè malim : Itaque eandem (per durum) incudem libens in tuam gratiam tundam, quod si ad manum fuisset exemplar epistolæ ad te scriptæ, aliquid labori isti meo deductum foret, nunc quum in altera mea arca, quæ Londini est relicta, asserve-
tur illud, reliquum est ut idem operæ iterato revocem : quare sic habeto, sed compendio, & veluti per aphorismos. Templis exulant Divorum imagines & tabulæ votivæ : aræ & parietes verbum Dei loquuntur : corda mortalium solus novit Deus ; ô si moribus & re ipsa lo-
queren-

querentur, quod linguæ sonant. Con-
 ciones tantum non quotidianæ ad po-
 pulum fiunt. Res divina semel explosa
 nunc pristinum locum recepit, id tamen
 ferè cavetur, ut cum sacrificio sit qui
 communionem participet: Eadem ver-
 naculo sermone cantatur. Sacra Syna-
 xis pie admodum, sed tamen duplici
 specie ab universis percipitur, idque
 frequenter, at relicto tamen antiquum
 tenentibus exterisque libero hac in re
 arbitrio. Idem observatur & in confes-
 sione vel publica vel auriculari. Pompæ
 abrogatæ, Ceremoniæ & Sacra pro de-
 functis antiquata. Lychnorum, facum,
 & lucernarum in templis usus extinctus,
 præter binas in principe ara: Sacerdo-
 tibus patent connubia volentibus. Ut-
 cunque res se habeat, sua cuique libera
 manet sententia. Habes paucis rationem
 Ecclesiæ Anglicanæ, quam potes com-
 municare D. Cornelio, D. Decano,
 Martino Pastori, Prætori, aliisque qui-
 bus visum tibi fuerit; quos ex me quam
 officiosissime salutes velim. Statui ad
 vos hoc mense, aut initio alterius men-
 sis advolare, dulcissimo matris contu-
 bernio usus, vestraque præsentia.

Con-

Conditio mihi obtigit melior, quam fuerit futura Regia, quæ quotannis è fundo speciosissimo numerat mihi octoginta Ducatos, ad vitæ usque terminum, præter hospitium, victum, vestem sericam, & equorum jugum in meum & famuli usum, quæ res libello confirmata est. Vale è rure undecimo à Londino miliari, dimidio ab aula Regis: quo commigrare nos compulit pestis quæ promiscue lateque Londini grassatur Nonis Augusti.

Martino Corenbechio, ni fallor.

SCRIPSI ad te de rebus tuis pariter & meis superiori mense, Martine humanissime. Quod autem tui libri ad te nondum sint advecti non imputabis mihi, nam cum Gippio egi bis terue, facturumque promisit: sed absentia mea abusus aut incuria aliqua promissis non stans, quod volueram nondum præstitit, sed urgebo nunc postquam in urbem jam commigraverimus, nam biduo abhinc in viciniam Longolii sutoris emigravimus in ædes Semeri. Sed Leonelli Practicam hîc invenire non datur; cætera

cætera curabuntur hac hebdomade. Nunc accipe quod ad Dominam attinet, cujus te cognitionis desiderio impense duci compertum habeo. Successerant feliciter & ex omnium votis cuncta ad diem usque Sacramento dicatum, & hulus judicio omnium sanissimè habeat, suaviter rubebat caro, cruciatus omnis expers, dimidia sui parte minus erat redditum ulcus, prodeambulabat ipsa ad proximum usque pagum, tametsi à præpropera itione revocare eam fuerim coactus, exemplo avis ante enatas pennas provolare gestientis. Sed ecce subito nescio quæ intemperies occupavit animum Hollandi Chirurgi, qui nemine conscio conceptum linteum (carpinatum vocant Barbari) in suo Mercurio insuccatum rudi nudæque ulceris plagæ applicuit. Hinc mox repentinus cruciatus & novum crustæ, *εγκαρσιν* nominant, tectorium inductum: nec quievit malū, sed exasperatum fuit indies usque adeo ut tandem propter dolorem incessus denegatus illi fuerit, somnusque deductus: dumque ille omnia felicia & salva pollicetur quotidie, nec jamen successit quicquam: valedi-
cto

At itaque illo vester Glanduilius ad curationem receptus est : is heri rem aggressus est non infeliciter , faxit Deus ut à carnificina pristinæ brevi restitua-
tur valetudini , qua longè est dignissima Domina. Vale. Londini.

Rogério Beverovicio.

ACcepi à nostrate quodam nauta magno te teneri desiderio cognoscendi quid rerum hîc agatur , quo loco consistat religio , & ad quos redacta sit fines : hæc si disertè explicanda singula fuscipere velim , vix libri unius meta contineri, nedum epistolæ cancellis circumscribi posse dicendorum materiam video, ne tamen desiderio tuo usquequaque refragari videar , paucis verbis commentarii vice multa inclusa cogita. In universum Martinianam scholam revocatam huc velim existimes. Imagines templis exulant , parietes omnes verbum Dei loquuntur , atque ore tenus plærique omnes , ac utinam à lingua non dissentiret vita. Sacra vernaculo sermone obeuntur : fuitque in iis paulò severior disciplina superioribus hebdomadis

madis, quam nunc est, non sacrificare, nisi esset qui cum sacerdos simul communicaret, non allevare supra caput panem sacratum fas erat: id nunc oblitteratum, in pristinum ritum abiit, postquam cum Germania concors Cæsaris rescriptum innotuit. Conciones sunt propè quotidianæ. Sacerdotibus conjugia patent; iisquæ nisi Ecclesiasticis nullus est honos. Ritus templorum exolvere penè omnes. Ecclesiæ vicarii & pastores Biblia, & Erasmi Paraphrases cum concionibus in Dies Festos (Postillas nominant) omnia Anglico sermone reddita habere coguntur. Sacra Synaxis cunctis mortalibus una est sub duplici (ut vocant) percepta specie: sua tamen cuilibet nationi exteræ manet integra religio. Confessionis sive auricularis sive publicæ liberum jus omnibus. Plura præsens narrabo, ubi ad vos invisendos (quod propitio numine brevi statui) commigravero. Angli superioribus diebus Scotiam, circum Regiam ejus urbem Edenburgum nomine, hostiliter vastavere, captis non paucis nobilibus viris, trucidatis promiscuè pluribus, dejectis aliquot castellis, abactoque;

ar-

armenti & pecoris non pœnitendo numero : condideruntque munitissimum oppidum in ipsis propemodum Scotiæ visceribus, & præsidio trium millium peditum & quingentorum equitum firmarunt, non procul ab Edenburgo. Classis Gallica Scotiam petiit. Habes quæ hoc tempore in animum venere, tu ea imperties D^{no}. Cornelio Joanni, cui me commendatum unicè habebis, cum numerosæ à me salutis accessione. Salutabis & D^{num}. Prætorem, Pastorem D. Martinum cum Decano, Medico & Joanne Pensionario. Londini.

Nicolao Pœlenburgio.

A Pud Com. de Pepolis (id enim est
Agentis principem facile inter Bono-
nienses locum obtinentis cognomen)
luculenta profecto conditione nec adeo
operosa, salariòque non pœnitendo,
victito, ubi etiam inter reliqua beneficia
non in postremis ponendum fuerit, quod
Comitis ipsius in mensa dextrum latus
claudere concedatur, si apud Maronem
rectè Junoni gratias agit Æolus, quod
dederit epulis accumbere Divûm. Sed

B

per

per lufum illud . Valetudine hætenus
 (gratia Superis) utor prospera. Dæda-
 leum ſcientiæ noſtræ Labyrinthum, vel
 veriùs mare, inoffenſus jam ſine Ariad-
 næi fili ductu, & abſque ſubere perua-
 dere diſcimus . Friget interim ardens
 illud Italiæ deſiderium ; Galliam totus
 anhelò . Optat enim ephippia bos, &c.
 Noſti cætera . Andreas noſter quem
 dixi non tam in præclaram omnes hæc
 Italos ſpem erexit, quam admirabilem
 ſui admirationem in omnium animis,
 ceu redivivas ſcintillas, reliquit. Plura
 etſi velim non poſſum, urget enim hora
 qua in Doctòrum Senatu adeſſe debeo,
 uti de me Doctòratus titulo, quod felix
 fauſtumque ſit, inſignièdo ſtatuatur.
 Valebis itaque, & hæc paucula ab ani-
 mo benevolo boni conſule . Salutem
 plurimam officioſè Ulricho Fuggero,
 qui te præceptorem jam haud paſſibus
 æqui ſicut Æneam parvus Julius, ſequi,
 uti ſpero, tentat, annunciabis. Bononiæ
 tertio Calend. Februar. cIo Io XL.

Had.

*Had. Iunius S.D. Joanni Pepolo
Comiti .*

L Iteras tuas à meo , ut opinor , argu-
mento, mihi quidem serio, tibi verò
in ironiæ speciem suspectas , alienas ,
nudiustertius accepi , quibus videris
nescio quid mecum stomachabundus
expostulare de encomio tuarum virtu-
tum à me ædito ; etsi non possim in ani-
mum ejus sermonis memoriam revo-
care , videarque, si bene mihi sum con-
scius , tecum sermonem instituisse , qui
utriusque & vernaculæ vestratis, & La-
tinæ Linguae summam mihi tribueris
tunc temporis peritiam . Quare autem
ita dubiè loquar , est , quod exemplum
literarum ad te mearum aut non servavi,
aut amisi, nam chartaceam supellectilem
ter quaterque anxie excutienti , nihil se
mihi ejus exempli offert . Quare rem
non ingrata feceris, si ejus mihi copiam
facere non gravabere . Porro quod ad
delendam suspicionis tuæ maculam atti-
net , ita habeto , viri esse integri omnem
à se sinistram opinionem amotam esse
velle , quod ut semper studui , ita non

minime nunc satago. Haud mehercle gnarus sum Vatinianas strumas melliloquæ adulationis dibapho vestire: imò assentatorum hoc genus, quo scatet Italia, odi pessimè, atque adeo ipsorum dentes non secus fugiendos esse censeo, quam murium quos Gyarus alit, quos lætali esse morfu, & ferrum rodere, arboreaſque attactas, steriles & exuccas reddere Antigonus Carystius aliique etiam non ignobiles authores prodidere. Quapropter tibi persuasissimum habe, si quid tuis datum est laudibus ex animo id omne profectum esse candido, neque temere. Vale clarissime Heros, & Hadrianum, ut cœpisti, amare perge. Bononiæ.

Hadr. Iun. S.D. Othoni Simonio.

I Ambos tuos poſtridie Calend. Junias in Thermis Caldanellis accepi Otho ſuaviſſime non pugnam ſpirantes, ſed quales olim Hymnis convenire voluit Sappho, quibus ut ametrica epiſtola reſpondere me pudet, ita rurſum conſolatur & confirmat Delphicum illud oraculum, quod ſeipſum noſſe jubet.

Quis

Quis enim in eandem tecum palæstram concedere auderet, nisi qui speraret se omnigenam movere harmoniam posse; nam Pane bucolicum suum melos sonante, etiam Aristæus si sis, in stuporem rapiaris, & cytharam pulsante Phœbo, licet Orpheo haud sis inferior, ne mutire quidem ausis. Nos itaque intra proprios limites consistere oportuit, tuâq; imbutos Musica interquiescere, non minus religiose quam qui summo cum silentio Apollinis responsa ex adytis excipere solent. Nihilominus tuum melos instar Mercurii Virgæ nos sopitos veluti excitasse videtur, ita ut inepte etiam te sequi cogamur, ceu Bacchi numine afflati solent, qui, quoties Deus Thyasum quassat, ad saltationes suas præcipientes incomposito cursu rapiuntur. Alioqui nos, ut nosti, licet millies scribamus, paria cum Homericis pueris facimus, qui in extimo littore, quod ex luto fingunt, mari eluendum relinquunt. Itaque boni consules, si astrictam soluta epistola, nervos & sanguinem, carne nuda rependam, nec enim omnibus hæc Corinthus aditu facilis est, ut quæ per tot terrarum anfractus petenda sit. Sed

B 3

quid

quid hæc tam multa? dabis profusioni veniam; huc me rapuit lubricus calami fluxus, impulit tui admiratio: adegit meæ tenuitatis excusatio. Sed ut tandem obiter ad tuam epistolam perveniam, chartæ me monet exiguitas. Placuit certè mirè scrupulosa illa in argumenti penuria, tui purgatio, magis etiam placuit, quod ita bellè Curtium suis non monochromatis & primis delineamentis, sed quasi justis coloribus depinxeris expresserisque ut coram hominis obtutum videre videar. Illud vero mihi molestum fuit quod ὁ μὲν poeta sua importuna interpellatione uberiores literarum proventus mihi interverterit, de quo homine quid sentiam, possim breviter cum Salustio dicere, Loquentiæ multum, sapientiæ parum habere: Sed ea de re tui judicii calculum expecto. Sed hætenus deficit enim charta. Vale. Senæ. cIo Io xxxviii.

*Francisco Dilfo, Sacra Cæs. Marii.
Oratori longè dignissimo. S.P.*

QUod in amantibus fieri consuevit,
vir ornatissime ut præter amasiæ
suæ

suæ actiones nihil somnient aliud sive vigilant; sive dormiant, idem mihi promodum accidere sentio , quem ita afficit perpetua eaque jucundissima tui recordatio , ut non possit magis , extimulat incredibilis illa tua humanitas , rapit ingenuus candor, foelicitas ingenii attonitum reddit , movet singularis eruditio, satiat judicii dexteritas, usque adeo, inquam , ut non possim non (si verum dicere licet) parentis loco amare te, quasi dominum revereri, quasi Heroem suspicere. Quo fit ut nil magis sit in votis mihi, quam (absit invidia dicto) tuam demereri benevolentiam , tibi commendari , tibi uni probari , quamvis ea sit nostra tenuitas, ut nihil tale de te expectare , ac ne polliceri quidem mihi deberem , nisi inaudita tua humanitas isti rei ademisset hæsitacionem omnem . Eadem humanitas hanc mihi confidentiam peperit , ut rudi & incondita epistola , tam eruditas aures pulsare prior non fuerim veritus, sed quasi de periculo securus , omnia tuta, secuta omnia mihi pollicerer, quantumvis , ut obstrictam fidem liberarem , tuæque satisfacerem voluntati, dictaret animus. Ita-

que sic habeto. Die Veneris huc appuli magnis certè itineribus, veredariorum more per celeres, sive, cum Suetonio dicam, dispositos equos: lassus vehementer, ut vix pas manusue officium suum facere possent, adeo parum abfuit quin cum Comite verba faciens, vertigine obductus conciderim, nunc tamen (gratia superis) vires pristinas recupero. Surrianus Comes, patronus meus prædicatis à me animi tui propè divinis dotibus impensè favet, gratulatur, afficitur, amat, nihilque ardentius expetit quam penitus tibi innotescere, id quod brevi futurum sperat, mihi que in mandatis dedit, ut quibus possem modis quam officiosissimè suis verbis salutem tibi adscriberem. Vale vir clarissime & Hadrianum ut cœpisti amare pergito. E Kynningala (est id insigni mehercle palatio nomen) Calend. Febr. ad Lucernam multa jam nocte, sed age, vir amplissime ne tamen ista velut ad Demosthenicam lucernam elucubrata expendas velim, nec ut Rhetor Rhetorem. Iterum Vale.

Nico-

*Nicolao Wottono Reg. Ma^{ti}. à
Secretis.*

QUod te virum amplissimis apud
summos Monarchas honoribus fun-
ctum, rudi ac tantum non temeraria epi-
stola salutem, clarissime Domine, non
mea facit hoc impudentia, sed tua ipsius
erga omnes ac inprimis literarum studi-
osos obvia humanitas huic rei modum
ademit, qua olim tenuem tenuiterque
literis tinctum coena excipere non es de-
dignatus apud Hannoniæ Montes, Ca-
rolo Cæsare ad Landrisium stativa te-
nente, redditus à Petro Nannio ad te li-
teris. Nunc verò quum cunctorum ser-
monibus non apud unam modò natio-
nem literatorum Meccenas audias,
quumque Potentissimo Regi à Secretis,
in-sanctissimi Senatus confessu, maxima
(ut par est) authoritate polleas, ego in-
natæ tuæ benignitatis fiducia adductus,
hoc unum te oratum velim supplex, ut
pronis oculis libellum meum supplicem
Senati exhibendum devorare digneris,
& auribus favere quoque, & quum res
feret Hadriani non esse immemor; ex-

B s co

eo autem, tum ne actum (quod dicitur) agam, tum ne altissimis curarum negotiorumque fluctibus immersum te loquacitate mea distineam, abunde cognosces, quid factum, quidue te scire meâ interesse putem. Hanc meam confidentiam æqui bonique obsecro consulas vir clarissime quem Deus Opt. Max. diutissimè literis incolumem conservet. Londini postridi Non. Mart.

Libellus supplex.

Illustrissimæ tuæ Celsitudinis genibus supplex advolvitur Gualterus Lynne opis omnis indigus, quam Serenissima Regia Majestas tuaq; Illustrissima Celsitudo ceû ex uberimis fontibus affluenter prestare possunt: qui cum ad exemplum illorum (si magnis pusilla componere fas est) ita se comparaverit hætenus, ut studium, diligentiam, curam, omnemque operam in promovendo Evangelicæ veritatis profectu, quantum vires paterentur, ponendam sibi duceret, non opum quamvis tenuium, non dulcissimæ valetudinis, non iniquorum sumptuum, non denique perpetuo-
rum

rum laborum parcus, dum noctes diesq;
aliud nihil agit, uti & quam fidi inter-
pretis, & diligentis chalcographi mu-
nus prestat non minus quam ut indu-
striæ eorum librorum delectoris officio
fungatur, qui ad imbuendos sinceræ fidei
tinctura vulgi animos facere possint.
Cujus ipsius propensi zeli & flagrantis
studii testes indubitatos quidem illos tot
jam in publicum emissos libros Regia
Majestas tuaque Celsitudo illustrissima
ac prudentissimus Senatus vidisse potue-
re. Ea de re suam Majestatem, tuamque
Celsitudinem, amplissimumque Sena-
tum humillimus earundem cliens sup-
pliciter etiam atque etiam obtestatur,
ut egestati sui clientis, qui dum publico
emolumento studet, privatæ rei jactu-
ram non mediocrem fecit, consulant, in-
æ alienum prolapsum erigant, laboran-
tem confirment. Veniat illis in mentem
laborum, impensarum, aliorumque in-
commodorum, quæ multa enarrare tæ-
diosum fuerit. Interim tamen non pos-
sum non bene sperare atque secunda &
felicia omnia polliceri postquam illu-
strissima tua Celsitudo olim indigno suo
clienti receperit se nequitiam fore illius.

immemorem. Deum Optimum Maximum precor ut quam diutissimè tuam Celsitudinem incolumem & salutarem Reipublicæ conseruet ac successibus fortunet.

Martino Corenbechio.

AMbigenti mihi quid ad te scriberem potissimum, Vir ornatissime diversis hinc inde suggestionibus aures onerabant Nieukerckius & Theodricus Burneus tuus hospes, locupletissimus hujus ipsius rei testis. Ille suo ut nomine tibi significarem, vinum quo sit nobilius, hoc magis palato suo ablubescere indies: hic verò nondum defuisse lupas pensum suum persolvere Wincestrio. Vides quo in bivio fuerim constitutus, non tamen cujusmodi apud Prodicum Hercules. Sed jocosa ista aut poculis aut illorum ingeniis sunt tribuenda. Quod autem rarius ad te scripserim, in causa est Peregrinatio, sæpius enim superioribus mensibus sedes cum meo hero mutavi, nunc illo cum Archithalasso ad mare profecto, licebit fortasse copiosius, ubi suppetet scribendi & materia
&

& occasio. Mauricius Germanus homo metallicæ rei peritissimus, plusculos jam dies æger apud nos decumbit, causam valetudinis ipse ut accersivit sibi, ita & ad auxit, victus intemperantia viniq̃ue & crudorum cerasiorum usu in ipso morbi vigore: eum nudiustertius jam deplo- rata fermè spe, curandum assumpsimus, quum singultu supra modum infestare- tur simul etiam tremore valido, ut ta- ceam febriles ardores, retinendi alui im- potentiam, deliriiq̃ue confinium ex per- vigilio natum : quæ symptomata omnia omnem facile spem labefactare pote- rant, nisi inde originem cepisse arbitra- rer. Solus reliquus est tremor, quem spero me pari diligentia superaturum, qua cætera. Istud tua interesse putavi ut scires, quippe qui viri illius ut studiosis- simus, sic promotor quoque, quæ tua est prope singularis humanitas, extiteris. Novarum rerum isthic nihil est, quæ non multo & plenius & melius ab aliis acceperis, quam ego queam reddere. Heriac nudiustertius pransus sum apud D. Oratorem, proxima hebdomada (si visum fuerit superis) etiam rusticaturus apud eum. Vale Vir ornatissime & me
B 7 illius

illus Celsitudini quoties ad eum scribes commendatum habeas. Salutabis ex me doctissimum Politen, quo familiariter frui quod per temporis angustiam non licuerit, vehementer doleo. Boni consule inconditum hoc scriptum, plus quam tumultuarium: Londini.

Petro Namno.

Literas tuas ad sextum iduum Junii scriptas tradidit mihi adolescens Anglus Gallis parentibus natus quarto Cal. Iulias; E quibus intellexi non absque certo animi mei vulnere, binas jam ad te literas meas naufragium fecisse: respondi namque ante menses aliquot ad tuas literas simul cum libello carminum missas, in quibus adnotaveram & D. Oratoris Dilfi haud ambiguum de eo judicium. Quod Q. Curtium illum nondum videris, nil mirum, expecto enim ad me reducem, ut cum Arriano & Diodoro Siculo, Germanicoque exemplo quod nunc demum recens Basileæ procusum exiit, lectionis fides diligentius expendatur: tali enim lege cum bibliopola pactum est: quanquam
nihil

nihil minus cogitem . Sunt enim mihi longè aliæ operæ exudandæ , utcunque ea provincia tibi in historiis gnaviter versato, foeliciùs cessura sit, si eam subire non pigeat . Gaudeo interim unicè tibi que gratulor, quod ita sedulo Republicam literariam juvare satagas editis tot simul operibus . Macte ergo animo : sic itur ad immortalitatem , & faxint obsecro superi ut in tam sancta studia incumbendo diutissime nobis sufficias . porro autem non possum hîc dissimulanter præterire , quin in amici sinum studiorum quoque meorum rationes effundam : cùm quia video istud officii à te priore esse præstitum , tum qui id scire aves . Itaque sic paucis habeto . Verti superiore anno Convivales sermones † Plutarchi , opus à nemine hætenus tentatum , quippe cum primis difficile ac laboriosum , nec minus (ut cætera omnia ejus viri scripta) eruditū . De horum editione egi cum Birckmanno : Sic propediem in Germaniam abiunt labores mei . Sequetur brevi
 * Lexicon Græcum maximis sudori bus

† Plutarchi Symposiaca problemata interprete
 Hadr. Junio . * Lexicon Græcum .

& incredibili diligentia (absit dicto invidia) à me scripta, tria millia vocum adauctum, & locis infinitis restitutum immutatumque, sic ut planè novum opus videri queat, utpote quarta parte auctius: quod Henrico Angliæ Regi aut Filio ejus nuncupare decretum est. At verò liber, de quo in tuis literis est, quando ad umbilicum perducetur, obscurum est mihi, adeò molem libri & materiam increescere video, lætius aliquanto, quam Hydræ capita: * *σπώματα* quasi picturata stragula libro titulus erit, quo nomine D.Clementis insigne opus Græcè in Florentina bibliotheca extat. In eo Græca Epitheta latissime exequor, sed alio longè ordine, quàm texuit, vel potius congeffit Textor quidam è Latinis authoribus ita ineptè, citraque judicium, ut nihil supra: illud opus, volente Deo, ita ornabo utriusque linguæ opibus, ita variæ lectionis penu instruam, ita multiplici innumerabilium scriptorum testimonio locupletabo, ut literatoribus omnibus & qui utriusque linguæ autores expensius intelligere volent, utilissimum futurum

* *Stromata*, sive Epitheta Græca.

fit, nisi me meus fallit Genius, superabitque mole Chiliadas Erasmi. Habes compendio de meis studiis. Quod adjungis in calce epistolæ de distrahendis nobilibus quibusdam telis lineis, libenter eam molestiam tibi devorassem, imò gratum fuisset, si Norfolkiæ Dux aut herus meus talium rerum studiosissimus adfuissent, nunc verò quum uterque procul absit, ille suam ditionem tutaturus ab hostium injuria, hic mare à Gallis Regio nomine liberaturus, officium meum tibi præstare nequeo. Accedit quod & reliqui ferè Principes aut militiæ absint, aut domum quisque suam abierint, præsidio suis futuri, si (quod avertant Superi) Galli immineant. Nec illa levis est ratio cur minus hoc tempore distrahi posse sperem, quod Principes & Heroës singuli non seciùs ac vulgus, pro suis quisque redivitis militiæ impendia fovere numerato censu cogantur. Vale, salutabis ex me officiosè D. Bacchusium, Vulcanium, Dominicum hospitem meum, cæterosque Musarum antistites communesque amicos. Londini pridie Non. Jul.

Mar-

Martino Corenbechio.

EXpectatio tuarum literarum, Martine doctissime quibus te mihi responsurum in quadam tua ad D.Oratorem epistola receperas, diu suspensum me tenuit, atque adeo tarditatem quandam in scribendo impressit, simili prope modum eventu quo Torpedo stuporem vicinis piscibus communicat: quod si denuo fiat, periculum erit ne totus etiam in saxum obrigeam, velut ostensa Gorgone: proinde cave, si mihi consultum velis, ne vana literarum pollicitatione me laces in posterum, ne quod audivit ab Erasmo Goclenius, quod maluit obesus esse quam polygraphus, sic tu promissoris quam scriptoris nomen potius delegisse credaris. Atque hæc per jocum hætenus. Quod mihi gratuleris conditionem apud Somerzeth. Næ illud quidem ridiculum est, quod alata illa non minus quam aurita Dea Fama vobis aliquanto magis propicia sit, quam nobis isthic: arbitror tempestate aliqua in sinuni Bononiensem ejectam fuisse: nam ea res nulla est etiam-

annum: quanquam Ducis uxoris nomine non semel stiterit meCubicularius, sed hæret illud negotium: & sunt hîc ira concisa omnia, nosti quid velim, ut alterum illud tuum præoptem: præsertim quum de auctario incerto D. Oratorem certiozem reddideris. Tu me semper & opera & consilio & gratia iuvisti, nunc eundem te non dubito præstabis, & nisi D. Cobhamum consilii sui poenituerit, quo vocas, me conferam, totusque in tua verba defluam, maioris enim lucri odor inde aspirat; sic enim egi cum D. Oratore. Quapropter effice ut tuis veluti foelicissimi Imperatoris auspiciis componatur res tandem omnis; meque quamprimum per otium certiozem ut facias quid sit actum, oro te atque obtestor. Salutat te humanissimus noster Secretarius Boysius. Vale vir eximie, & Hadrianum tuum, ut soles, ama. Londini,

Martino Corenbechio.

ANxius causas omnes apud animum meum disquiro atque examino, Martine doctissime cur post quaternas ad

ad te literas nihil unquam respondi acceperim, sed haud scio an frustra laborem, certè non intercidissè meas, constat: temporis angustia excludi te, verum non est simile: deesse tabellarios, reclamant frequentia ultro citroque commentium: restat ut aut negotiorum decumanis tantum non fluctibus obruaris, quæ non patiantur animum colligere te, aut inamænis meis literis molestior fuerim plus æquo: si hinc stat res omnis, equidem culpam deprecor: sin illinc, facile condono: saltem liceat vel literæ unius tua manu exaratae ductum agnoscere, aut hominum sermonibus de te aliquid intelligere. Vale vir doctissime. Londini sexto cal. Septemb.

Cornelio Ioanni Med. Hornano. S.

OB superiorum bellorum molestissimas angustias, & longinquam meam absentiam, ita in desuetudinem scribendi veni, ita à literario officio manus obliguit, ut Neronianis fuerit opus thermis, quæ veterum illum & rigorem laxarent molliorentque, propterea quod tum interciperentur plerumque à gente
ista

ista omnium longè suspicacissima, atque ea ratione facilè in discrimen innocentia venire posset, tum etiam accederet familiaris & perbenigna heri tunc temporis mei admonitio in eum finem tendens. Jam verò in posterum cessationem meam castigabo, gentis mores penitius cognitos habens, crebriusque literis te provocabo ad parem contentionis vicissitudinem. Mitto ad te † Plutarchi Convivales sermones à me Latina colonia donatos, Lutetiæ excusos, sed plus satis mendosè. Mitto itidem meam * Echô de Germaniæ rebus mense Maio biduo absolutam. Et *Ἐνωπιολογὸν τῆς ἐκκλησίας Βρετανικῆς ἢ τὴν μετὰλλαξίν καὶ μᾶλλον εἰσὸς τῆς αὐτοῦ ἡρωικῆς* tumultuario studio obiter conversum è lingua vernacula. Poteris ista communicare Domino Martino Pastori atque aliis familiaribus utriusque nominum. Heri allatus fuit de victoria Anglorum contra Scotos nuncius, quem ex Paieti primarii in Senatu Regio viri ore sic paucis habe. Quarto Idus Septembres adversis agminibus duæ nationes con-

† Plutarchi Convivales sermones. * Echo
Hadr. Iunii.

eurrerunt, ubi Scoti animadverso quod Angli equitate præstarent, prælongis hastis decussatis in hostilem equitatum impressionem faciunt acerrimam, quam pari virtute & fortuna sustinuerunt Angli. Sed quum multi utrinque caderent, Prorex Angliæ mapalia & stramenta occendi iussit, eo consilio ut fumo qui secundo vento in hostium ora ferebatur, conspectum adimenteret, Comes Warvicensis cum bona parte equitatus occulto agmine circumvectus hostium terga cæderet: quod & fæliciter cecidit, nam Scoti confestim disturbatis ordinibus effusè cœperunt salutem fuga querere. Ibi tum ingens edita est strages, Cæсорum captorumque capitum numerus quindecim millia superat: castra cum tormentis bellicis capta. Præcipua nobilitatis pars in manus venit, inter quos est & Comes de Hontle primarius totius Scotiæ. Ex Anglis desiderati fuere circiter octingenti. Habes paucis historiam omnem. Salutabis ex me officiosè castissimam lectissimamque fœminam tuam uxorem. Prætorem cum genero (cum quo in gratiam venisse illum accepi lubens) & filiam. D. Pastorem,
De.

Decanum, Maickallium hospitem, Medicum & cæteros omnes viros bonos.
Londini. XIX. Septembris.

*Iacobo Meystero (puto) Præceptoris
suo. S. P. D.*

CElebre est nobilissimi Philosophi dictum, qui Præceptorî ullam satis dignam rependi gratiam posse negavit: quæ sententia maximum apud me, ut par fuit, pondus semper habuit, habituraque est dum hac luce frui contigerit, speroque ostensurum me aliquando, quomodo non ætatis incogitantia, aut naturæ ingratitude, aut temporis injuria tui memoriam ex animo deleverint. quin potius effecturum ut beneficium Præceptoris quod in institutione, admonitione, inflammationeque ad literas præcipuè consumitur, *ἵνα τὸν αἰῶνα*, ut Aristotelis utar verbis. Quid enim quantumque tibi debeam, animi parenti videlicet haud quaquam tacitus agnosco, imò quotiescunque datur oportunitas, libenter summaque cum animi voluptate recolo, ut cui debeatur quicquid ferè in literis quanquam exiguum illud

illud sit profecerim : nam si quid industria mea & labore adjumenti huc accesserit, id tamen omne primæ tuæ institutioni acceptum esse referendum nullus inficior. Itaque velut titillabundo quodam voluptatis sensu mirificè afficior, quoties tui nominis memoria vel in animum recurrit, vel per occasionem, ita ut sit, apud alios incidit, quando de primordiis institutionis quisque suæ non illibenter meminit. Gloriabatur Vibius Ruffus (ut in LVII. Historiarum libro retulit Dion) de cathedra Julii Cæsaris, in qua ille sedere dum in vivis esset solebat, eo nomine Cæsarem identidem se nominans : at ego non alio nomine magis gloriator, quam sella illa è qua te docentem audire licuerit. Quid multis? quemadmodum sub te viro nunquam satis laudato animi cultum cepisse, in optabilium rerum loco si quid aliud à me ponitur, ita vicissim dolet animumque vulnerat interdum quod ore illo, è cujus suada, medulla (quod ille ait) toties pependi, toties frugi quippiam didici, frui ob locorum intervallum denegatum sit, verum quod animo seriò glisco, id æstate proxima,

fi

si Superis visum fuerit , obtinere spero , quando jucundissima tua consuetudine uti aliquantisper decrevi . De rebus & nostris & Britannicis scribere superse-
deo , quod ea ut omnia disertè narrare queat humanitatis omnis *κατασκευαστής* Ma-
nardus tuus , aut , si dicam liberius , no-
ster : is tibi commonstrabit * Plutarchi
Symposiacos Sermones à me Latii jure
donatos, in quos pristino tuo jure utitor,
nec miniatis ceris aut verubus parcito ,
quin liberè fingito , configito , jugulato
denique , modò conniveas ad Typo-
graphi Parisiensis Jacobi Gazelli incuriâ
hominis errores : neque cogites me hoc
ipso , quod velut postlimino cum ad te
mittam, gloriolæ fumos captare , aut ad
famam velut quæstui exponere , alioquî
vererer ne scorti nomine noster foetus
insimulari posset, quemadmodum ut re-
fert . Ælianus, Helenam Zeuxis Hera-
cleota à se depictam nemini ante nume-
ratam prius certam quandam stipem ,
videndam exhibuisse , eaque ratione
magnum fecisse compendium , qua-
propter Helena illa meretrix dicta fuit à
Græcis, ut quæstuaria . Sed per jocum

* Plutarchi serm. Convivales ,

ista. Archilochus vulnera & cædes
 ξένια appellat quæ Mars solet dare : ve-
 rum ego non ἄσπονδον πόλεμον, sed lite-
 raria, quæque calami cuspide exarantur
 chartæ vulnera, si μεταφωρικῶς ita dice-
 re fas est, strenuè loco mitto. Echô no-
 stram, veterem quidem illam & penè
 obsoletam, vobis tamen, ut arbitror,
 novam. Tu, sat sciò, animum, non
 scripta expendes. Vale præceptor om-
 nibus modis amantissime, & quod Plo-
 tinus dicere solebat, quemadmodum &
 facis, τὸ ἐν σωλῶ θεῖον αἰάγειν ἐπὶ τῷ
 πρῶτῳ θεῖον μέμνησο : simulque ex me
 officiose salutes oro D. Joannem Gallum
 Medicum eximium meumque olim
 doctorem, ut & Joan. Gymnasiarcham
 nunc vestrum & D. Nicolaum, quibus
 omnia humanitatis officia ex me nun-
 ciabis.

Colloq. Echo.

Interlocutores Arcturus, & Echo.

Arct. Mira hercle sunt & prodi-
 giosa, nec facile concoquo, quæ
 feruntur de profligato Saxone. *Ec. Ors.*

Ar.

Ar. Quis isthic alicubi delitescit sceleratus Græculus, qui invisum asini nomen mihi tribuit Arcturo. *Ec.* uro.

Ar. Quæ, malum, saga oculos meos fascinat, ita neminem uspiam conspicio.

Ec. Iō. *Ar.* Etiam insultabundus triumphat seriō. *Ec.* Iō. *Ar.* Eandem

etiam ingeminas cantionem improbe?

Ec. Probè. *Ar.* Quid si me commotiorem reddideris: sed animum componere præstat.

Ec. restat. *Ar.* Suspicio est loci genium esse, qui verba mea regerit, ita imperiosum quiddam & divinum in respondendo refert. *Ec.* refert.

Ar. Proinde tu, quisquis es, eloquere, cui nam Deo in tutela sit locus, Jovine, an Palladi, an potius Marti illi mœcho.

Ec. Echo. *Ar.* Nisi agnoscere mihi videar loquacem verborū regestricem, Aëris filiā scilicet, dispeream. *Ec.* Eam.

Ar. Attamen quod gratissimō tuo obtutu frui negatum sit, piget me. *Ec.* Et

me. *Ar.* Cæterum, quid est obsecro, cur asini, nomē mihi conferas? *Ec.* Feras.

Ar. Feram, sed ea conditione. *Ec.* Vix.

Ar. Iterum patientiam meam tentas importuna & obturbas immeritum. *Ec.*

I tum. *Ar.* Atqui non abibo, nisi

prius scilicet de nonnullis perrexeris respondere. *Ec.* E re. *Ar.* Est ne

ita ut fertur, quod Cæsar, hostiles conatus parvo negotio fregit. *Ec.* Regit

Ar. Quæ fuit causa, cur tam facile pessum jerint illorum modo tam potentium res, an discordia obfuit? *Ec.* fuit.

Ar. Sed quæ res dissidii fons & origo extiterit, variè, ut video, discrepant.

Ec. crepant. *Ar.* Equidem existimo metum potentiae Cæsareæ fuisse primum dissidii illorum seminarium atque scintillam. *Ec.* illam. *Ar.* Sunt plerique

qui ambitionem insimulant, quasi quæ sub veræ Religionis prætextu Germaniae concordiam dissecat. *Ec.* cæcat.

Ar. Ergo etiam istius, ut videtur, opinionis auctores quodammodo sequeris.

Ec. quæris? *Ar.* Nec desunt qui factionibus & contrariis studiis distrahi civitates singulas queruntur, ut de propul-

sando communi periculo vanus sit conventus. *Ec.* ventus. *Ar.* Sic odium

sui mutuum & dissidentia graviolem ruinam efficit. *Ec.* icit. *Ar.* Nimi-

rum dissidentiae suæ pænas luunt, quum cochleis similes, quæ ob dissidentiam

domos suas nunquam deserunt, ad tuendam

da propria singuli diffluunt. *Ec.* luunt.

Ar. Ita proserpente malo, dum singuli pugnant, universi in præcipitium abeunt. *Ec.* eunt. *Ar.* Eadem ne oc-

casio Saxonem è principatu traxit in fordes existimas? *Ec.* imas. *Ar.* Atqui

debuerant saltem tam Respub. quàm Principes à brutis animantibus exemplum sumpsisse aliquod. *Ec.* quod?

Ar. Cujusmodi legimus de columbis, quæ conspecto miluio hoste capitali.

Ec. tali. *Ar.* Facto agmine tuentur sese: & viso lupo oves in unum coeunt veluti pugnae facturæ copiam. *Ec.* piam.

Ar. Nec sunt adeo rerum imperiti, ut decantatum passim Sallustianum illud ignorent, Concordia pusillas res crescere, discordia maximas collabi. *Ec.* labi.

Ar. Poterat & Scyluri Regis factum illos admonuisse, qui coram liberis conjunctos fasces rumpi non posse ostendit, singulos facile contractos diffluere. *Ec.*

verè. *Ar.* Proinde id mihi persuasum est, nisi in partes abjisset discors Germania, vallum longè munitissimum adversus vim Cæsaris objecisset. *Ec.*

scisset. *Ar.* Percepisset proculdubio quod dicis. *Ec.* dicis. *Ar.* Hinc est

quod multi in ea versabantur opinione, in qua nescio ane & tu sis, quod Cæsar alendo discordiæ fomitem subigeret commodissimè nationem immorigeram. *Ec.* eram. *Ar.* Sed rupta fœdera huc recidunt. *Ec.* fidunt. *Ar.* Laudatur Theseus ille à quo primum fœdera socialia fuerunt sancita. *Ec.* ita. *Ar.* Quid quod à majoribus observata pari religione fuerunt fœdera, qua instituta. *Ec.* tuta. *Ar.* At nunc præter peculatus, expilationes, ærarii tabes quid obsecro sunt fœdera. *Ec.* Æra. *Ar.* At tamen ista fœdera (quæ tu æra, illi anniverfarias collationes nominant) quovis alio potius dignarer, quàm nomine tam insigni. *Ec.* igni. *Ar.* Mecum sentis; nam præstaret, meo quidem iudicio, Saguntino incendio prorsus absumi collativa illa symbola, bellorum materiam, quàm miseram plebeculam exhauriri furto non tam specioso, quam fraudulento. *Ec.* lento. *Ar.* Oraculis certiora loqueris. *Ec.* veris. *Ar.* Itaque ut sermonem hunc in caput conferamus, dissidia, fœdera malè pacta, pejus servata, symbola rebellionis nomine, studioque novandarum rerum col-

collata, ruinæ occasionem præbuerant.

Ec. erant. *Ar.* Quibus igitur modis accipiendas istas ærarii hirudines arbitraris. *Ec.* raris. *Ar.* Quò tu cum

raris istis modis tendas, ad carceres ne, an ad supplicia an verò utrunque, ignoro prorsum. *Ec.* horsum. *Ar.* Quid credis certum fuisse Saxoni de summa re-

rum decertare cum Imperatore? *Ec.* ore. *Ar.* An non impares Cæsareis vires suas animadvertit? *Ec.* vertit.

Ar. Nempe hoc ais, existimasse illum suis sociorumque auxiliariis copiis pares neutiquam fore Cæsareas. *Ec.* eas.

Ar. Itaque bona spes eum habebat, futurum ut superior esset Marte. *Ec.* arte.

Ar. Intelligo, quoniam animos illi fecerat prælium paulo ante foelicius, quàm fortius gestum, si locus est conjecturis.

Ec. uris. *Ar.* Usque adeo corpulentis ut quid rebus suis expediens sit, videre nequeant, animus obfuscat sæ-

penumero. *Ec.* mero. *Ar.* Minari videbatur Cimbrica confœderatione exitium & jugum cunctis, *Ec.* unctis.

Ar. Gentem innuis sacrificorum. *Ec.* horum. *Ar.* Non est ergo abs re, quod vicissim sacris operati omnes, gen-

tem suis inimicam fortunis funditus extinctam velint ære precibusque. *Ec.* usque. *Ar.* Præsertim quum juris auctoritate vis vi repelli concedatur. *Ec.* datur. *Ar.* Quod autem eandem remetiendi legem, qua aliis metimur, nobis interminentur leges divinæ, nihil apertius. *Ec.* Ius. *Ar.* Sed omissis parergis istis quid obsecro reliquerat sibi subsidii Saxo, si Cæsar cæcidisset manum ipsius profugam? *Ec.* fugam. *Ar.* Esto ut bona aliqua fortuna belli aleam contigisset effugere, quos populos petiturum fuisse arbitraris, si tulisset necessitas. *Ec.* Scythas. *Ar.* Nihil ergo reliquum sibi fecerat ploratum. *Ec.* ratum. *Ar.* Nimirum animadverto te suffragari multorum judicio, qui ditant meritum incurrisse supplicium ob consilia sinistrè suscepta, & ingenium capiti suo rebelle. *Ec.* bellè. *Ar.* Præsertim ubi Religionis Catholicæ causæ manerent inconcussæ, nec in dubium vocarentur. *Ec.* rentur. *Ar.* Sed tantummodò rebellio, belli causam sustinebat universam, uti affirmabant sani judicii omnes qui deposito affectu in alterutram partem propenso expenderint peni-

nitius & bellum pariter Cæsaris & libellum. *Ec.* bellum. *Ar.* Itaque inconsulto bellum susceptum infœlicissime finivit Saxo, fretus præcipiti quadam audacia. *Ec.* Dacia. *Ar.* Incertum est mihi de Dacia, sed vis me forsitan credere tibi, quemadmodum Xenocrati Athenæ? *Ec.* Næ. *Ar.* In talem catastrophem solent exire motus novi. *Ec.* novi. *Ar.* Porro mera verba existimo nec facile accedendum clamitantibus suorum perfidia proditum nonnullis. *Ec.* nullis. *Ar.* Ad astruendam huic rei fidem argumenti est abunde. *Ec.* unde? *Ar.* E gena quæ fortiter pugnantem divisa est in ipso conflictu. *Ec.* ictur. *Ar.* Recte divinas, frustra enim nunc sauciatam fuisse adjecero. *Ec.* serò. *Ar.* Sunt qui hunc eventum multo antè certo (si fas est dicere) prælagio ominati fuerunt, non aliter atque Helenus ille Troiæ fatum prædixit è lapide Siderite. *Ec.* rite. *Ar.* Quid interim Germani cæteri, qui nil aliud spirabant, quàm oracula divina? *Ec.* vina. *Ar.* An non ad nuncium cladis illius in quo sacram collocaverant anchoram, excelsi eorum spiri-

tus confringuntur. *Ec.* ringuntur.

Ar. Putas ne veniam consecuturos socios qui Saxoni suppetias tulerant, post sortem hanc miseram? *Ec.* seram.

Ar. Enimuero arbitror intellecta ista calamitate gravius Ætna onus incubiturum illorum animis. *Ec.* nimis. *Ar.*

Quid si operiantur bellum quod illorum cervicibus impendet, ut sit nimis turbulentum vereor. *Ec.* reor. *Ar.* Certe

metuo à turbine Cæsarei fulminis. *Ec.* minis. *Ar.* Intra minas non continebitur, opinor, lues, quam intentare videtur intemperies, quædam dira. *Ec.* ira.

Ar. Rectè sentis, sed erumpet in neruum, quod dicitur, atque ostendet, rebellio quam sit malum implacabile. *Ec.* bile. *Ar.* Frustra ergo adhibeas remedia, ne Germania sæviat in sua ipsius viscera. *Ec.* Sera. *Ar.* Attamen

id quod erat apud Athenienses Misericordiæ ara, idem passim audire Cæsarem clementiæ omnis parentem videmus. *Ec.* demus. *Ar.* Ideo à Cæsare omnia bona auguror, nihilque durius in Germanos consultum iri, dum in vivis ille est, sperandum est. *Ec.* dum est.

Ar. Extant multa pietatis documenta
in

in quibus se gessit clementer. *Ec.* ter.

Ar. Tu sentis de reſtitutis & affinitate ſibi adjunctis generoſiſſimo Sfortia, Chriſtianiſſimo Gallorum rege, Clivenſi Principe clariffimo. *Ec.* imò. *Ar.*

Sunt iſta quidem illuſtria exempla, ſed nec pauciora reconſere liceat, poſtremo hoc bello quaſita. *Ec.* cita. *Ar.*

Pigeat citiſſe omnia, & eſt alioqui res odioſa, quapropter miſſam hanc curam facio. *Ec.* ſcio. *Ar.* Sed dic mihi

bona Echo, qui tandem exitus maneat Heſſum, qui cum Saxone collega communibus operis Germaniæ affectabat tyrannidem. *Ec.* idem. *Ar.* Deinde

& Bohemos qui teterrima conſpiratione adverſus Principem ſuum conjurati, Saxonis filium regno inaugurandum aſciſcebant, judicabis fortaiſſe gravi jugo non indignos. *Ec.* dignos. *Ar.*

Quin potius faxit Deus, ut reviviſcat Germania, & excutiat ſquallorem tumultu hoc compoſito. *Ec.* citò. *Ar.*

Et diſcant morem gerere capiti uni alicui. *Ec.* cui? *Ar.* Rogas cui Auguſti nomen & perpetuam Dictaturam Principum unanimis conſenſus & favor conceſſit impoſita triumphali laurea.

60 HADR. JUNII

Ec. aurea. *Ar.* Nunc tamen nescio quo pacto reverentia majestatis & favor ex animis hominum, ut apparet excessit.

Ec. cessit. *Ar.* Etsi cesserit, norunt tamen edicto divino ad parendum obligari, nisi manifestè velint esse scelerosi.

Ec. ò si. *Ar.* Dabit Deus tandem mentem meliorem. *Ec.* orem. *Ar.*

Utinam omnes unamiter eundem rogarent Deum. *Ec.* eum. *Ar.* Præ-

cipue tamen nocturnis diurnisque precibus sollicitandus est Deus, ut una sincera Religione universorum animi imbuantur, idque integre. *Ec.* ægrè. *Ar.*

Quoniam malè ominaris, hoc dicto colloquium istud tuum longè gratissimum claudo. *Ec.* laudo. *Ar.* Abeo re-

diturus, rediturus, si nodus inciderit vindice te dignus, citò. *Ec.* ito.

Hadr. Jun. ludebat.

Dislichon annum contēns, quo Saxonia Duce à Carolo V. Cas. capitur. 1547.

SAXO AVTOR BELLII SOCIALIS ad arma rvebat;
Ad genVa en tibi nVnC CaroLe dIVe, rVIt.
Aliud.

DICItE Iō BeLgæ, naM fVSVs SaXo rebeLLIs,
In Casses exIt, CaroLe dIVe, rVos.

Ha-

Hadriano Jonge Dordraceno.

Nihil esse certius, nihil indubitatus
 re ipsa comperio, Jonghe doctissi-
 me, quam quod à clarissimis Philosophis
 dictum accepimus, ab humanitatis offi-
 cio rectissimè liberales humanasque dici
 literas; utpote libero ingenio dignas;
 quibus qui feliciter est imbutus, non
 potest is non respondere professioni suæ,
 humanitatis nimirum studiis; usque-
 adeo ut cuius in animo semel adoleve-
 rit, altasque egerit radices illa huma-
 nioris literaturæ viviradix, lætam illic
 & foecundam virtutum sobolem suc-
 crescere necessum sit: id quod in te me-
 ridiana luce clarius existit, cuius in lite-
 ris modestiæ nè sit major, an humanitatis
 significatio dubium vocari potest; Hu-
 manitatem quidem dico, qui, quod mei
 erat muneris antevertere, per literas
 compellare me prior dignatus fueris;
 addito auctarii vice munusculo, ne quid
 ad summam deesset: Modestiam verò,
 qui singulari eruditione vir, me homun-
 cionem gregariumve infra mediocrita-
 tem literis tenuiter tinctum, à dulcissi-

ma tua amicitia non modò non excludas , verum etiam ultro invites & recipias , missa epistola tam erudita , tam insigni amoris notis. Sed quid in re tam manifesta multus sum ? quin potidè muneris à te profecti encomium hîc instituo ? quanquam quid possim majus adferre , quam quod illud auspicatissimum mutuae amicitiae symbolum interpretatus fuerim , nec meo quidem iudicio incommodè aut ineptè. quippe quum fidei arctissima pignora magno autorum consensu manus habeantur , quarum opercula munimentaq; eae sunt quas græca voce chirothecas appellamus. Qua tamen in re videris mihi , ut tecum liberius loquar , Hippodami Pythagoræi sententiam sequi voluisse , amicitiam donatione gigni autumantis , ista sunt enim ejus verba ubi amicitiam in genera diducit, ὅ μιν (inquit) ἐξ ἐπιστάμης θιῶν, ἃ δὲ ἐκ παροχῆς ἀνῶν, ἃ δὲ ἐξ ἀδυναμίας ζῶων. Proinde non dicam hîc imitaturum me Diomedis in permutatione armorum cum Glauco hospite facta exemplū pro aureis ærea rependentis : quin imò haud dissimulanter id quod res est feram , nihil esse ad manum mihi quod ἀντίδωρον
tibi

tibi reddam, utpote qui loco vastis sal-
tibus circumdato sum circumseptus,
procul à nundinis, ubi quippam tuis
dignum oculis emi possit. Itaque nihil
à me quantumvis invito, hoc tempore
expectabis, præter gratiam, leve reve-
ra beneficii munus: nisi fortè distichon
nostrum non rejicies, *αὐτὸς ἴδιος* quidem
illud. quod tale est. Spero autem pro-
pediem præsentem nos dextris propius
coniunctis, solidæque amicitiae leges
in perpetuum sancituros; modò liceat
abruptis negotiorum laborumque cate-
nis semel evolare, interim mutuis offi-
ciis, quatenus inter absentes licet, non
desinemus amicitiam initam tueri, cre-
brioribusque literis alere, illius ad ex-
emplum qui ignis fomitem in favilla
pascens, crebro motu atque concussu
eum excitat & auget. Gaudeo non me-
diocriter, imò etiam seriò id triumpho,
quod cognomen mihi tecum commune
sit, quod non ita accipies, ut de splen-
dore ac vetustate familiae certare tecum
sit animus, tuisve titulis imaginibusque
meos comparare (quanquam generi
meo non tantum derogo ut claro alio-
qui domesticas veritatis notas velim re-
vellere)

vellere) sed eo potissimum nomine gaudeo impensius, mihiq̄ue gratulor quod cum literatissimo viro eodemq̄ue modestissimo commune illud esse fortuna voluerit, deinde quod conjuncta gentilitio nomini studiorum quædam similitudo sit: arctius enim & auspiciatius vinculum est in colligandis animis morum illa studiorumq̄ue similitudo, quam gentilitas, & vitæ delectus, quam necessitudinis officium, ut est non inscite illud apud Isocratem τὸν τρόπον γένους, προαίρεισιν ἀνάγκης πολλῶν εἶναι κρείττω. Sed video me egressum epistolares limites; itaque finem faciam si prius impetravero ut ad infantiam nostram conniveas, clementiusq̄ue eam tractes, non ut Rhetor Rhetorem solet. Vale doctissime vir, meq̄ue habeto commendatum duobus Academiæ vestræ luminibus D. Smitho τῷ τῆς ἐγκυκλίου παιδείας ἀρχιερεῖ, & Hadono altero hujus sæculi Ciceroni. Subscriptio admonet ut aliquid adjungam de immutata nominis ratione, sed id aliàs expediā.

Ioanni Christophersono .

EPistolam illam tuam opistographam, obsequii, officii, amoris, humanitatisque erga me plenissimam, doctissime Christophersone, auide legi non semel, quæ sua magnitudine, nescio quomodo aliter quam cæteris in rebus fieri solet, velut condimento quopiam fastidium omnem mihi levavit, recreavitque, ac legendi aviditatem magis magisque irritavit. Cæteræ res tædium adferre solent, gravique afficere aures molestia, si prolixius audiantur: at tua dictio, sive quod purè loquitur, & Romanæ eloquentiæ opibus affluit, sive quia variæ eruditionis plena, sive quod quosdam in animo stimulos dulcesque aculeos relinquit, mirum quam prolixitate ipsâ mihi videatur, & gratiam acquirere, adeo ut me totum delibutum reddat, detineatque; velut attonitum & affixum Syrenæis seopulis. Aristophanes Atticæ linguæ delitiæ, Archilochi Jambos quo prolixiores, hoc impensius probabat. Cur non idem mihi de tuis literis sentire liceat, quarum, crede mihi, quæ fuerit lon-

longissima, maximam laudis apud me prærogativam merebitur, si vel in libelli transiret modum. Datur vitio otiosa loquacitas, & quædam verborum (ut est apud Plautum) funditatio, quam *ἀμτροσπείαν* & *ἀπρωτολογία* illi vocant, & quidem merito maximo ubique explodenda est & damnanda. E contrario laudat in Menelao Homerus, quod *ἐπιτροχάδην* paucis verbis magnum sententiarum cumulum involvat. Est quidem ista insignis dos velut notis quibusdam paucis multa comprehendere, sed quanto major illa quam Ulyssi assignat idem poëta, quum ad miraculum usque admirantur Troiani, quam dives ac copiosum verborum flumen volueret, & confertâ ac instar nivis hyberne densam sententiarum vim profunderet. Idem in te ferè, quod in Ulysse ille, admiror & suspicio, apud quem sententia sententiam trudere, verba concatenata quadam serie & indissolubili connexa hæere videntur: quanquam una in parte modestiam desidero, ubi tantum mihi tribuis, quantum vix de doctissimo omnibus numeris sperare ausim, nedum de me longè infra mediocritatem tenuiter

li.

literis asperso , non enim dicam tincto : sed id donandum est tibi , cui mei studium imponit caligineque offusa non patitur tenuitatem meam infantiamque perspicere. At quanto iustius ego admirabilis illius Herodoti sententiæ refragabor , qui aurium fidem elevans , oculis certiores eam attribuit (ita enim habet si bene memini , ὅτι καὶ ὁ Ἡρόδοτος ἀνόισιν ἔσται πιστότερος ὁφθαλμοῖν :) quum vice versa plus ego aurita fide in te esse discam , quam oculis permetiri potuerim : plus in recessu , quam prima fronte promittas , abditum latere inveniam. Eruditionem absolutam , scribendi genus & verborum cultu varium & sententiarum divitiis locuples , linguam rotundam , idiomatis Græci juxta & Latini cognitionem integram , quicquid denique in absolute crudito requirat quispiam. Plura dicere superfedeo , ne tuis auribus plus satis dare videar , & alioqui ; ut ingenuè dicam , interpellas me somnus , nimirum multa jam nocte lucubrantem ; accedit quod necessitas obtemperare me cogit communi amico nostro Hand-forto , juveni dignissimo cui boni doctique omnes bene velint , &

non

non pauca quæ scribere parabam præcipitare ob matutinum ejus sub primam lucem discessum. Salutant te nostri omnes, D. Richardus, Dobsonus, & inter cæteros precipuè Caustonius, qui plenis buccis tuas laudes intonat, postquam ex me intellexit tuum de se elogium. Salutabis meo nomine omnes qui me norunt. Vale. Londini.

Arnoldo Birckmanno.

SAlve plurimum mi Arnolde amicorum integerrime. Næ hercle ego haud minori tuarum literarum desiderio & aviditate, quam solent intra suos nidulos piones matrum quærenda esca occupatissimarum presentiam tremulo murmure exposcere, afficior. Itaque volui etiam prævenire te, ratus id mei esse muneris, tecum humanitatis (quæ una in te est eximia & prope singularis virtus) certamine illustri contendere, quo ut vincere me posse diffidebam ita vinci impense erat gratum. Interim, mi Arnolde, si te fortè negotiorum undis tantum non obrutum, aut importuniori tempore, interpellarim, dabis veniam impruden-

denter peccanti , vel etiam non invitè
 hîc impingenti , ut saltem vel expostu-
 latoriam accipere epistolam detur. Lau-
 datur (ut nosti) Alpheni sententia , *Bo-
 na nomina sæpius esse interpellanda*: nimi-
 rum ego non fretus ullis meis meritis ,
 non beneficiis , non opibus , sed sola
 gratuita illa & obvia tua benevolentia ,
 qua tenuem tenuiterque literis tinctum
 complexus , ultro tuorum amicorum al-
 bo me adjunxisti , prior te interpellare
 volui ; sed quomodo ? non de debitis ,
 quæ nulla sunt , non de neglecto officio ,
 quod nusquam à te præteritum : imò
 impudentissimus sim , si istiusmodi quid-
 quam vel cogitare ausim , verum eo
 tantum scopo ut absentiam meam com-
 penset epistola , teque in mediis cura-
 rum fluctibus non prorsus immemorem
 mei patiatur ; tametsi ne ambigam qui-
 dem quin mei sis memor. Attamen non
 te latet quam violenta sit res curiositas
 ingeniorum , quanta sit impotentis desi-
 derii tyrannis. Sed quo feror ? * Plutar-
 chus exercuit me nunc plusculum supra
 expectationem meam jam superat vigen-
 ti quaterniones. † Lexici , de quo inter

* Plutarchi sympotica problemata. † Lexicon

Græcum .

nos

nos egimus, moles mirifice intumescit, credo accessisse pristinae summæ tria plus minus milla vocabulorum, & crescit quotidie numerus: sex millia; quid? myriades dicere volebam, partim restitui puriori ea sermone donando, falsa-que jugulando, partim significata diversa & alia adtexui, sic ut planè diversam faciem induerit & metamorphosin, vel si mavis palingenesiam Pythagoricam. Ad hanc rem perficiendam magnam mihi attulere opem Commentarii Eustathii in totam Iliada Homeri olim in Italia perlecti, Verè Thesaurus ingens: Æschylus, Lycophronis interpret. Ælii Dionysii fragmenta quædam, Plutarchus, Strabo, Pollux, Nazianzenus, denique omnium Græcorum authorum pelagus. Deinde Medicinalia omnia ferè quæ ejus artis sunt peculiaria vocabula magno labore & industria adnotata ex Galeno, Hippocrate, Paulo, Aëtio, aliisque, quamvis plus aliquanto laborandum erat subinde in averruncanda inutili segete, aut sane putanda & corrigenda quæ ab imperitis ejus artis (ut quisque temerè in hunc librum sua somnia congesserat) fuerat invecta.

Acce-

Accedent insuper & Hero qui de re bellica scripsit , militiæ instrumentorumque dictiones inauditæ . Porro liber nuncupabitur Regi Angliæ & ejus filio Principi Eduardo , adjungetur & epistola græca ad Lectores . Quæ ex Plutarcho Latinitate donavi ad vigintiquinque & amplius quaterniones processit : si quid de eo statuere velis , fac me quamprimum certiolem , nam clarissimo Equiti D. Francisco Dilfo, Cæsariæ Majestatis apud Henricum Angl. Regem Oratori dignissimo , ea lucubratio nuncupabitur . Impingitur mihi culpa , quid dixi ? quin potius queritur materia atque ansa culpæ ab indulgente plus nimio matre , quæ quamvis haud difficulter convelli potest , quoniam tamen in invidiam meum adducit nomen ei periculo per initia occurrere præstiterit subditis causæ fulcimentis , quam neglecta defensione, causa meliori cadere . Itaque non squalidus sordidatusve reorum more mei defensionem instituiam , quippe non de furto agitur, non de latrocinio ; non objicitur sacrilegium , non veneficium , non proditionis suspicio , non denique aliud quop-

quoppiam capitale crimen: sed de re vana & nullius momenti parantur machinæ, quæ si unquam aliquid attulit vitii, nihil deprecor suppliciorum: sin ostendam levem esse vel potius nullam, futulitati muliebri non plus fidei quam meretur haberi velim: maxime si probem inimicitias irasque illas velut curriculo in orbem ire. Primo namque tempore insidiis, catapultis, arietibusque appetebatur unde quaque Tocildus ob modis nescio quibus durioribus habitum puerum: Postquam id bellum aut sopitum fuit aut compositum, translatae fure machinæ ad ejiciendam è suis finibus Furiam. Quum nec hac parte succedit, non ita multo post in Dobsoni caput omnis faba cudenda videbatur, sed eam procellam nescio quis ventus dispulit, aut Deus quispiam è machina (ut in fabulis est) derepente apparens. Restabam solus ego miser, inconcussus adhuc & integer: itaque conscribuntur copiae, habetur delectus, clandestina ineuntur consilia conjuratorum, collocantur post tapeta insidiæ, nihil denique omittitur ad excipiendum me unum. Jam aperientibus se undique insidiis,

con-

conferta phalange circumseptum me animadvertens , vixque fugæ patere locum , in illis ipsis angustiis & præsentî discrimine forti pectore opponere me decretum est . Verùm quum tot agminibus imparem me Viderem , paulatim loco cedere incepti , & angusto calle , qui solus non erat infessus ab hoste , fuga elapsus sum . Hæc prothesis fuit innoxio quidem prima fronte terribilis , sed expectatione auxilium à T. C. copiarum levis visa . Nunc telam omnem ut exorsa est , retexam . Puella forte intravit superius coenaculum rubore suffusa leviter , qua occasione , an quia in amitæ suæ quæ decem abfuerat diebus præsentiam subito incidit , an alia de causa , haud facilè dixerim . Inspecto curiosius rubore (ut accepi) credita fuit icta à me , vel ab alio quopiam , quum nihil minus sensisset eo die . Hinc exorta statim Tragedia est , me scilicet impinxisse illi alapas & asperius habuisse .

Arnoldo Birckmanno .

REsponderam olim prioribus tuis literis ante duas fermè hebdomadas
D per

per civem lintearium, Arnolde optime, cui Antverpiam iter paranti sub discessum ipsius, tradendas tibi, commiseram, quum ecce alteræ tuæ mihi in aurem utranque dormienti & securo à te reduntur, in quibus silentium meum miraris. Itaque rei novitate perculsus, advolavi hodie illico ad ejus ædes, uxor tacta nuncio, perlustravit è vestigio viri tablinum, sive pinacothecam, incidit forte in meas literas, alienioribus à vulgata scribendi ratione characteribus scriptas, eas mihi ostendit, ostensas agnovi & repetivi. Hoc te latere nolui, quo tibi essem excusator. Cætera ex literis prioribus intelliges. Vale. quarto Idus Decembr.

Arnoldo Birckmanno.

ACcepi literas tuas superioribus hebdomadis Colonia scriptas, ad quas cur non illico responderim fecit cogitatio de tua aliquanta mora isthïc, ne meæ literæ tui adventus prolixiore expectatione Antverpiæ obsolescerent. In iis laboras scire quid de Suida fiat, de quo sic habeto. In eo autore me totum

tum esse , sed alium daturum quam tibi addixerim, neque verò laborem me irritum positurum puto , & à liberalitate tua ἐπιδοσὶν τῷα imposito operi colophone spero : sed cur tam tardus in eo sim , quæres fortasse , certe ut semel in universum dicam , cùm ut nomini consulerem meo , tum ut tuo honori , adde & optimis studiis , perlustrandos & legendos mihi autores plurimos suscepì , è quibus sua transcripsit Suidas, nimirum Aristoph. interpr. Harpocratonem, Sophoclis comment. Laertium , Epigramm. Thucydidem , & scholiasten , Athenæum , Appianum , Josephum , Polybium, Philop. Philostratum, Agathiam, Dionysium Areopag. aliosq; plures , quorum nomina adscribam ubique ut fidem meam probem, adscripto etiam loco libroq; unde quidque depromserit , adjiciam & in fine variam lectionem & castigationes locorum infinitas , quas collatione librorum deprehendi passim opera laboriosa. Vix credas quot errorum , mendarum ἀντιθέσεις isti corpori insideant, ut Æthiopem citiùs candefacias, quam nitori suo hunc restituas. quod paucis ostendere exemplis hîc licet ,

cet, pro ἀγὰ κῦμα, legendo ἀγάκωμα :
 pro ἄγανⓈ αἶνονⓈ : pro ἀγάλεκτω δέλτω :
 pro μικρά, μικτὰ : pro χολή, χολή : pro
 σιωτόμως, σιωτόνως : pro ἀειανδρⓈ, πέ-
 πανδρⓈ : pro τραγικοὶ, τραπηγροὶ : pro
 πίνாகι, κλίμακι : pro αἰρισάμφοι, ἀνησιάμφοι :
 pro ξύν, ξύων : pro μυρίαις, δέκα : pro
 λαβεῖν, μαθεῖν : pro πράγματα, τέματα :
 pro ὅλην, ὀλκὴν : pro ψυχὴ δαΐμονικῆς, ψυχὴν
 δαῦ ἤκειν : pro πίσωμδμ, παῖσωμδμ : pro
 ληφθῆν, λεχθῆν. pro ἀθηναίοις, θηβαίοις : pro
 ἀεὶςⓈ, ἀεισοφάνης : pro ἔφιν, ὅριν. pro
 πόντω, ποταμῶ : pro μέρⓈ, μήπερ : pro
 κυνὸς τὰς σιωπὰς, κύνας τὰς βοιωτίας : pro
 ἀεὶςⓈ ἡμεῖς : pro θεῶν, γέλειν : pro ἐπὶ
 πλείον, ἐπίπλην : pro διόδους, ἀγροδοχῶς : pro
 ὑπταί, ταμνῶθαι. pro ἱκεῖνη, εἰρήνη. pro ἔκ
 ἄγαι, ἐξάγει : pro ὅμως, ὡμⓈ. Sed sentio
 me modum excedere in enumerandis
 istis, & indignitas rei huc me perpulit,
 meoque malo longius temporis impen-
 dium mihi conciliat, sed oportet rei uti-
 lissimæ, & cum honore absolvendæ
 τηλαυγὲς ἀεισωπον, ut cum Pindaro di-
 cam, addere. Restat ut consilium tibi
 meum aperiā de editione : tu apud te
 rem expendito & primo quoque tempo-
 re certiolem me facito quid sentias.

Ego

Ego præter notas certas, asteriscos, obelos, quibus indicium faciam quo spectet quidque an ad Theologiam, an ad Medicinam, an ad Adagia, an ad Historiam, &c. judicavi utilissimum fore, si nomenclaturæ Regum, Scriptorum, Poetarum, Theologorum, Hæreticorum, aliarumque personarum, de quibus edisserit separatim à dictionibus earumque significationibus, velut in Onomasticon quoddam sejungantur, nam in illis multa & varia & locuples rerum cognitio est. Exempli gratia nomen Abaridis Arbogastæ, Adæ, Agathoclis, Plotini, Photini, Ptolemæi, Hippocratis, Hippolyti, Hippomanis, Hippomachi: &c. horum enim cognitio à vocabulis aliena est. Venio ad Plotinum, quem nunquam vidi, multo minus in illum quidquam mihi adnotatum est: Sed eum ubi prodierit cura ut habeam. Sub ver statui evolare Bruxellam ad Atrebatensem, ut si bona ejus pace liceat, conferam cum Photio, ex quo videtur Suidas Ecclesiasticorum Scriptorum & Christianorum nomina transcripsisse. Vale.

Antonio Perenotto Præsuli.

QUum ad T.C. Præsul ampliff. Phi-
 lippeida nostram cogitarem, Præsul
 amplissime, foetum menstruum, si non
 potius abortivum, (nam intra hoc spa-
 tium & inceptus & ad umbilicum per-
 ductus est) mittere, sed alterius cu-
 juspiam, ut ita dicam, mangonio, &
 quidem eo magis quod pudor haud scio
 quam ingenuus, certè, inutilis vetaret
 te per epistolam compellare, & quasi
 culpa ingenii (quod Flaccus ait) dete-
 rere Heroicam illam tuam dignitatem:
 commodum accidit ut apud Oratorem
 Cæsareum D. Renatum eruditionis li-
 beralis & humanitatis insigne ornamen-
 tum, pranderem; qui intellecta hac
 mea voluntate, castigavit nostram
Oroniam & latæ culpæ damnavit, eluen-
 dam illam extergendamque veluti la-
 bem quampiam, imò ultra Hyperboreos
 etiam montes exigendam dictitans, si-
 mulq; animans & ad audendum exhor-
 tans, facilitatem ac comitatem in te
 summam rarique exempli prædicavit,
 & præter reconditissimam antiquitatis
 om-

omnis scientiam, harum quoque rerum, recentiora intelligo, cognitionem curiosam adjecit: Virtutum etiam domicilium te appellans identidem. Quæ omnia quum abunde in eo viro qui tantam personam sustineat agnoscerem jam olim, illius voluntatem, velut liquidum quoppiam auspiciū sequendum mihi ratus, arrepto calamo paucula hæc ad T. C. dictavi: qua in re si à me peccatum est, scias me patrocinio liberalique causa niti. Proinde ut tanquam postliminio ad foeturam nostram redeam, benigna precor illā fronte T. C. excipiet, nec ea *ἀνερβεία* qua rhetor rhetorem, aut poëta poëtam examinare solet, lulum hunc poëticum expendet; carui namque ingenii memoriæque adminiculis omnibus, libris, inquam & Aristarchis, qui miniatis cerulis adjuvare, splendiisue inducere hiulca loca, aut instar pedamentorum fulcire potuissent, quippe quum ceu ad spectaculum triumphi cujuspiam huc mihi fuisset iter nudo institutum, præter paucula mea syngrammata.

Antonio Morillone.

EX quo in tuam familiaritatem recipi cum tuo beneficio, Morillone doctissime, tum Goropii communis amici commendatione merui, mansit & manet hætenus scintilla quædam in animi mei quasi foculo vivens, quæ admirationem tui summam illïc velut in fomite nutrit, nec patitur tam rarum, imò unicum (absit invidia dicto) naturæ miraculum ex animo meo elabi quominus & reverear & adorem quoque si liceat, Morillonum. Quin tum beatum me existimarem si per fortunas liceret te tuique divitiis interdum frui propius, καὶ τῆς ὀρφικῆς ἀκροάσεως καὶ τῆς θαυματουργοῦ φιλοσοφίας κρηναῶν γίνεσθαι. Paro æditionem Animadversariorum, sive Miscellaneorum meorum, quorum tu gustum olim habuisti ubi & inter cætera non solum honorificam tui feci mentionem, sed etiam addidi tuum de oratione Juliani judicium. Mitto ad te nostram fœturam proximis diebus in lucem æditā, sed interposita stipulatione, ne δυσαεθρὸν & immaturum partum durius tractes, & omi-

omnigenæ illius tuæ eruditionis perspicientia acerbius examines. Vale literarum incomparabile decus & Hadr. Junium tua amicitia non indignum si judicas, tuorum amiculorum albo vel inter postremos locum attribuito.

Ioanni Goropio Becano.

EA lege contrahuntur amicitiae, quemadmodum minime ignoras, mi Goropi, ut mutuis alter alterum officiis demereri studeamus. Ego verò confidentia nescio qua ductus quum nulla mea in te extent beneficia, non dubitabo tamen te hoc tempore arcessere utpote amicum, atque admonere pacti mutuo utriusque consensu officii. Tu eadem vicissim utere & majore etiam in me audacia si quando libebit, conaborque pro viribus quantum in me erit, diligentiam tibi meam probare. Memor es quid in itinere dum Londinum versus equitamus inter nos convenerit, ejus hoc Esto auspiciū: Meministi quoque addixisse mihi operam tuam in exquirendo ministro vel juvene πολυγλώσσῳ: hac in parte diligentiam tuam fac nullus desiderem.

derem. Dabitur venienti viaticum, numerabitur satis liberaliter ut feret hominis conditio, habebiturq; honesto loco, denique tuo stabitur iudicio, tuoque res decidetur, tuum erit pacisci. Non possum plura, quippe in procinctu stante qui has perfert tabellario; brevi copiosiores exspectabis per otium. Salutabis ex me omnes quos nosti nostri nominis studiosos, & quibus non totus excidi. Vale vir humaniss. & nos am. duodecimo cal. Decemb. è Kinningala. Obsecro te etiam atque etiam ut de Germaniæ rebus aliquid ad me commenteris, idque brevi.

Ioanni Pælenburgio.

Literas tuas ad vi. Id. Maij Argentina scriptas, reddidit mihi D. Lambertus Juris Doctor ipso die Magdalenæ sacro undecimo calend. Augusti, quibus nuncupationem efflagitas in * Eustathii æditionem, quæ res percussit animum prius vehementer, quam observaram diem quo fuerant à te scriptæ, quo cognito rediit mihi animus cogitanti mihi post tuas scriptas jam olim peti-

* Eustathii editione.

tionem

tioni tuæ satisfactum fuisse , nam postquam à parente tuo sub quartam à Paschate Dominicam cum decem exemplaribus literas eadem de re accepissem, nihil prius habui , quam illius voluntati acquiescere in re nec inutili , sed mihi omnino gloriosa. Itaque adornavi tum temporis epistolam nuncupatoriam quâ Joachimo Hoppere Consiliario Regio summæ eruditionis , magnæque auctoritatis viro editionem illam commenda- vi, & consilii mei rationem detexi, eam- que epistolam cum addita commenda- toria nostrati homini tradidi , in feriis Pentecostes , qui Basileæ commendari vobis ambiebat , juveni fido , nisi quid illi secius acciderit: nam parentes superioribus diebus interrogati , nihil dum se comperisse de illius rebus responderunt. Itaque eo tempore statuerâ ad D. Lambertum ex condicto proficisci, & de ista re vos certiores reddere, sed importunis negotiis in tanta civium pestilentica lue & febribus laborantium multitudine impeditus quod statueram perficere non potui , nihil tamen addubitans quin ad vos perlata sit mea epistola . Hoc tua interesse duxi ne nescires . Si qua in re

gratificari alias potero, vestrum erit imperare. Vale.

*Francisco Dilfo aurata milita singulari
ornamento, Cæs. Ma^{ti}. Oratori
dignissimo.*

COMMovIT mihi superioribus hisce diebus stomachum, novorum quorundam ex hac gente hominum petulantia, quorum ingenitam erga nationes nostras malevolentiam nulla unquam (uti reor) obliterare poterit palingenesia, nulla sanare ellebori jugera, nullæ eluere cortinæ quamvis amplissimæ, imò nè inare quidem ipsum, quod tamen cuncta mortalium mala abluere proverbiali versu dicitur. Conferebant nimirum capita belli scilicet homines in sinu (quod ajunt) gaudentes, mihiq̃ue tanquam Cæsariano insultabant, cladem Cæsari acceptam ingerentes, meritaq̃; eum dāre pœnas qui impia pro Christiana fide obterenda arma sumeret: petebatur & è literis nescio quibus rei fides, nullam patere circumsepto fugæ viam, propediemq̃ue in deditionem illi esse veniendum, adducebatur quoque veri-

fi-

similis quædam argumenti species , quæ causam ornare pariter & stabilire videretur . Imperatum esse apud Belgas & edicto cautum altissimum de Imperatore silentium , nemini licere vel mutire de rerum illius statu : quod argumentum sufficere posse probandum quam essent ejus res prorsus accisæ atque deploratæ, existimabant . Ad hæc ego sedatiore animo. Quod ad cladem attinet, inquam, isti opinioni ut omnino fidem derogare nolim, ita neque prorsus accedo . Scio ancipitem esse Martis aleam; scio alternare victorias ; scio nulli mortalium perpetuam manere felicitatem : scio è Deo pendere belli eventum ; proinde accidere illi posse quod multis maximisque Imperatoribus novercante fortuna evenerit : attamen humano more si loqui licet , non usque adeo rerum imperium , neque militaris scientiæ , quam tot tantisque rebus passim toto orbe gestis peperit , & adauxit , ignarum arbitror , ut ita temere absque virium suarum juxta & hostilium conscientia in præsens periculum conjecerit se, armisque hostium includi se passus fuerit . Nam quod de edicto Belgico testimo-

nium adducitis, id ego aliter longe accipio & interpretor. Nimirum vult latere Cæsar quid diversis locis paret; vult hostes insolentiùs se gerere & incautius illo quasi dormitante, ut hac fiducia proVecti, vel quadam velut procella effundant semel quicquid habent virium, vel remissiores euadant, dum ille ad omnes rerum agendarum occasiones intentus inhiat. Vult dubiæ incertæque fidei amicos in rebus dubiis experiri, ecqui sint qui, dum ille velut rebus suis metuens latibula querere videtur, sese aperiant: quoniam difficilius longè à clandestino, quam ex professo hostem se ferente cavetur: Vult instabilis vulgi studia (quod libenter novas res levi quopiam momento solet affectare) hac injecta remora infringi, motus compesci, intestino bello (si quid accideret fecius) occasionem adimi. Ac, nisi fallor, idem edictum postremo quoque bello Gallico promulgatum fuit, inquamquo tempore esset ne superstes Cæsar, nec ne, ambigebatur à plæriscq; neque tamen propterea aut inferior fuit, aut impar hosti. Neque dubito, inquam, quin aliàs etiam hujus sui consilii ratio-

nes

nes habeat Cæsar, quas exquirere ut liceat, pernosse tamen negatum est, atque alterius est & loci & temporis ista enucleare, proinde rectius fuerit si desinamus ineptire, & exitum rerum operiamur, nec quorumlibet scriptis fidem habeamus, quos affectibus fortasse suis indulsisse plus æquo, aut adversæ parti favisse impensius, ac propterea minùs verè & ad liquidum scripsisse constet. Habes mi vir clarissime concertationem meam super cœna habitam cum improbis quibusdam, utinam tam disertam, quam studio erga meum Principem elicitam; eam epistolæ ad te missæ includere placuit quum deesset materia scribendi, quippe nullo accepto responso ad superiores meas literas. Rerum novarum aliud habeo nihil, quod invitus blaterantes talia sæpe de Cæsaris Germaniæque rebus audire cogor. Vale vir amplissime, & Hadrianum tuum quo soles amore prosequitor: è Kinningala quarto Idus Novembr.

Francisco Dilso Oratori Cas.

Liberet, sat scio, C. T. lieni mecum indulgere, si easdem aurium delitias, lato

læto quodam proventu quotidie renascentes audiret, quas patiente aure admittere cogor. Alius ad restim prope modum res Cæsari venisse crepat, oppressas illius copias, penuria annonæ & commeatus extrema deficere militem, ipsum jam teneri circumseptum undequaque intercisa omni spe fugæ: alius pedem retulisse clamat: sunt qui tenebrionem appellant, nec prodere se ausum, delitescere: atque ista secundis auribus excipiuntur omnia, plausu & effusis cachinnis: Sed interrogati quo nomine gaudeant; tum quia nos (inquiunt) ludificatus fuit, initis cum Gallo pacis legibus: tum quia nobis quoque malè metuendum foret, si (quod Deus avertat) Germanos subigeret, quippe quibus cū communis nobis defectionis à Pont. Rom. (in cuius gratiam & patrocinium bellum istud suscepit) causa sit. Hoc illud est, hinc illæ lachrymæ. Quis non cum Democrito rideat cornicantes hos, quis audiret & serio etiam Socratica fronte ista inculcantes? quis non sublatam de rebus frontem clamet? Sed aliam longè ab eorum opinione catastrophē ominor. Martinum nostrum
apud

apud Gessoriacum medicinam facitare
luculento stipendio intellexi, id quod
illi bene vertat, cujus successui pluri-
mum faveo. Valeat tua Celsitudo: è
Kinningala quarto Idus Novembris.

*Henrico Com. Surriano Bononia
Picardia Proregi. (ut puto.)*

QUantum nobis liberis tuis charissi-
mis pignoribus, quantum illustrissi-
mo Heroi patri tuo, quantum inclytæ
Duci sorori tuæ, quantum clarissimæ
fœminæ parenti nostræ tuæque conjugii,
quantum denique clientibus omnibus
familiæque universæ gaudium, tuus Pa-
ter ornatissimus ut inexpectatus, ita mul-
tò optatissime reditus attulerit, quo
ore, qua lingua queam reddere? certè
lætitiæ magnitudo ea est, ut exilis istius
corpusculi latera exprimendo non suffi-
ciant: cujus testimonium domestici quo-
que parietes non continerent taciti, nisi
per naturam negatum id foret, itaque
inviti quamvis silent: nos verò non
quantum volumus, sed id saltem quod
possumus voce, gestu, vultuque, certis-
sima indubitatae lætitiæ signa ædere, &
occulta

occulta affectus nostri semina declarare conamur: quod ipsum uti præstemus, justissimæ sunt rationes, & officii nostri partes id exigunt, & nostra in parentem optimè meritum pietas suo jura flagitat. Proinde gratulamur tibi reduci omnes, tibi Patri clementissimo, eidemque Imperatori fortissimo, qui cæsis toties profligatisque Gallis acerrimis Anglici nominis hostibus victor extitisti: qui Regias vices ea fide tutatus fuisse omnium verbis prædicaris, ut majore non potueris: qui bellorum undas mira felicitate, maxima tua gloria sustinuisti hætenus, magno animo, incredibili fortitudine, pari prudentia, industria summa, fortunâ tanto heroë digna iis te objiciendo, eaque oppositu quasi corporis repellendo, ut invictum pro aris focusque valium. Gratulamur & Regi, Patri Patriæ, qui hoc ipso quod te Proregem potissimum delegit, quantum tuis virtutibus tribuat, facile declaravit, & nunc suo judicio non fuisse falsum, suaque expectatione non excidisse se gaudet. Gratulamur & toti regno, quod Henrici invictissimi maximique Regis humeris suffultum, & armis defensum, tua alterius

rius Henrici operâ clarissimū apud exte-
ras nationes nomen consecutū videatur ,
dum Gallis præter invidiam, ploratum,
tuique horrorem reliquum feceris nihil.
Dixi .

Antonio Morillono.

QUM' decima quinta Mai dederim
ad Reverendissimum , simulque ad
te , Vir omnium doctissime , literas, ad
illum ἀντιπαρρησιας, quibus quod viva
voce, ut nosti, haud licuit, scripto gra-
tiam habeo , ad te supplices ut fidem
exolveres , mihiq̃ue de amaraco (quod
pollicitus fueras) latius opinionem καὶ
δίζησθαι tuam perscriberes : neque ta-
men elapsis interea duobus mensibus
responsi quidquam acceperim, dubitans
an redditæ nostræ literæ sint : quan-
quam vix suspecta esse mihi possit fides
studiosi nostratis Lovaniī literis operam
navantis , cui quo certius de propinquo
loco perferrentur , tradendas curave-
ram : brevi hoc epistolio fidei hominis
periculum facere , præsertim quum stā-
tus civitatis nostræ nomine ad per istos
conventus tabellarius ad vos iturus ef-
fet,

set, volui, ut si minus (quod absit) vobis
 sint exhibitæ sarcire & exemplo misso
 innocentiam meam probare queam. Quan-
 quam à te altera dubitationis procella
 animum transversum perculit, fieri enim
 posse rebar, quod distractus negotiis
 Morillonus amico operam præstare non
 potuerit, aut certi tabellarii opera, cui
 fideret, destitutus sit: utra igitur causa
 scriptionem impedierit, ut ex te intelli-
 gam oro te etiam atque etiam, & de Par-
 thenio seu Amaraco ut perscribas, quod
 industriæ tuæ propè divinæ, tametsi
 multesimum καὶ πολλοσημέριον, documē-
 tum aliquod apud nostrates homines a-
 liquod non indoctos, quibus admira-
 tionem tui injecimus, esse possit istud
 ἐνδοσιμον τῶν λόγων μνηστέον ἡμῖν ne inideas
 obsecro. Vale Morillone literarum or-
 namentum unicum.

*Joanni Chieco. (ni fallor) Eduuardi VI.
 Anglic. Regis Gubernatori
 ac Moderatori.*

LAudatissimum extra omnem contro-
 versiam semper fuit vetus illud, &
 à nemine propè non decantatum est,
 Homo

Homo homini Deus. Siquidem in rebus mortalium ita comparatum est, ut alter alteri prodesse plurimum possimus, obesse ne velle quidem unquam debeamus, omnes saltem alterius opis indigeamus. Atque hæc quidem una est hujusce mei scripti excusatio: altera est pudoris inutilis, quam efficaciore vocabulo *δυσωπία* Græci nominant; agnitio, meæq; tenuitatis professio. Nam quum animo mecum revolverem, qui vir qualisque esses, quantæ item apud optimum ac clementissimum Principem auctoritatis, quam propenso erga literarum studia affectu, ita obfirmavi animum, ut in alio nemine, præterquam in te uno collocandam mihi fiduciam cogitarem. Rursus quum subiret mentem meæ exilitatis egestatisque conscientia, abjiciendum turdem illum pudorem ac procul exigendum existimavi, & veluti deducto tegmine denudandam meam pauperiem: illîc benignitatem ejus quem semel occœpi appellabo: hîc meam tenuitatem extersa semel fronte detegam: utrobique tu aderis, illîc & ope & patrocínio fovendo; hîc propitiam aurem supplici præbendo.

Nic.

Nic. Pælenburgio.

CONVENI heri ex tuo consilio Reynerum Simonium ea de re, hoc est, de alterutra sororum: visus est non abnuere, certè professus est se daturum mihi operam suam & patrocinatorum. Indicavi me tametsi ad ipsius opum caput pertingere nequeam (quippe quum tantum trium millium summam æquent meæ) posse tamen trecentos aureos aut amplius etiam, partim è versionibus & librorum nuncupationibus, partim rem medicam facitendo, in annos singulos lucrifacere, præter jam dictum facultatum mearum κεφαλαιον: præterea quod summæ deest, alia parte sarcire velle, nimirum legatione è bonis meis mille aureorum illi concessa. Insuper liberam illi relinquere suppressionem duorum aut trium millium, in quæ mihi nihil sit juris, & de quibus suo jure possit, (ut aiunt) disponere. Addidi & non tam opum, quam personæ rationem plerunque habendam. Vetus esse Themistoclis dictum, diligentis sibi generum, nalle se virum pecuniæ, quam pecuniam

niam viri egentem. Ita ferè cum Re-
 nero nostro transegi, atque utinam li-
 cuisset per negotia in eam sententiam
 cum humanissimo pariter & doctissimo
 viro D. Cornelio Veenio agere, ut sci-
 re liceret secundis ne auribus, an adver-
 sis accipi possint ista, & æquis ne an pa-
 rum lubentibus animis tractari. Habes
 consilii & instituti mei summam, quam
 utinam digneris cum D. Veenio ante-
 quam discedas communicare, si ita vi-
 deatur, nam propter periculosum istius
 generosæ, de qua tibi dixi, decubitum
 abesse nullus possum, nisi si quando pro-
 næ aures annuerint. Porro illi apud
 quos exceptus eram, multa de tua (sic
 enim appellabant) vidua, quæ tota in
 tua sit manu.

Joanni Pisoni Clivenfi.

QUæ semel firmo amicitiae glutine
 unita coaluere, amicorum candidiss.
 Piso, mirum quam difficulter divelli ab-
 rumpiue queant. Id ego perspectum ha-
 bens, tui oblivisci, à jactis jam olim a-
 micitiæ adamantinæ fundamentis, nun-
 quam aut potui aut debui: quamvis in-
 terdum

terdum adempta, tū literarii officii, tum animi erga te memoris significandi, fuerit occasio: nec enim hīc desidiæ patrocinium prætexere meæ conor, ut aliena ab animo & usitata vulgò persequi velim incommoda. Quo effectum adeò est, ut apud Bononiam semel ad te literas, per familiarem tuum Cronenburgum, dederim, nuper etiam scripturus per Stephanum, nisi temporis angustia circumuentus planè fuisset. Proinde apud animum tuum ita statuas velim, mi Piso, nunquam animum ergā te meum refrixisse, vel minimum: licet iterato scribendi munere fuerim destitutus alias ob causas. Quare ut innocentiae meæ hac in parte dabis veniam, sat scio, lubens, ita quod hætenus cessatum est, diligentia (quod polliccor) in posterum sarcietur: & certè nisi improbe urgeret tabellarius, libello te medius fidiùs, non epistola, obriuerem. Vale interim amicorum integerrime Piso, & Hadriani tui immemor non esto, sed quo soles studio prosequitor. Lutetiæ Parrhis. decimotertio cal. Januarias. anno 1541.

Pe-

Petro Nannio .

INtellexi pridem ex tuis ad Gasperum nostrum literis, Nanni doctissime malè te habere , & quidem non injuria , quod tuorum æditio laborum , opinione diutius , procrastinata sit . Itaque ego , quàm rebus in omnibus tarditas & procrastinatio odiosa sit , mecum reputans : tum adeò humani affectus (quo ea cumprimis , quæ nobis sudores improbi , vigilatæque noctes peperere , postponi indignè ferimus) impetum , ex meopte ingenio facile conjectans , rem me tibi multis nominibus gratam facturum existimavi (nec id sine exemplo fortasse) si id confectum darem , ut prælum experiretur quamprimum, oratio Demosthenis *πρὸς Λικτίην* , longè elegantissima illa quidem καὶ δεινότητι , dudum à te Latii jure donata. Proinde nihil antiquius habui quam meum in te studium , qualicunque memoris animi testimonio, declarare . Aggressus sum igitur superioribus diebus (ut semel dicam) Christianum, qua potui commodissimè ratione , τὸ αἰδοῦσθαι τῆς οἷον πρῆβανύγκης πρὸς εἰς ἐνέων , μὴ ἀπαίρωσ δὴ , μνηστέων : atque

E

ob-

obtinui nullone negotio, quod intenderam: nec diu erit quum Demosthenem Latinè per te loquentē videbunt legentq; homines, nam hodie sub prælo sudare incipit. Tu interim, quæ tua est humanitas, navatam à me operam æqui bonique facito. Idque tibi de me cettò pollicere, libenter majori etiam in re, si possim modò, gratificaturum me tibi. Porro gratulor tuo nomini, gratulor fortunæ, quod eò sis jampridem loci provectus, unde ad immortalem gloriam liberrimis habenis decurrere (ringatur licet degener malevolorum grex) possis: usque adeo toti orbi te clara eruditio commendat: cuncti admirantur, suspiciunt, venerantur: sed multitudine verborum supersedendum mihi est, ne tuis plus satis auribus dare videar. Lutetiae. Vale. tertium Id. Januar. 1542.

Andreae Alciato.

QUoties animo mecum repeto, Alciate Jureconsultorum caput, suavis illas nostras apud te diatribas, quando nimirum Cornelius Pepolus & ego tuas Bononiæ ædeis, Musarum videlicet

licet domicilium , frequentaremus subinde unâ : memet hercle mei poenitet , quod erudito colloquio tuo , quo animos omnium qui tuis fruuntur auribus , pascis : quod venustate & lepôribus , quibus omnia condis : quod acri tuo judicio , nusquàm abest : quòd denique invicta illa humanitate , qua nēminem , vel mediocriter literis tinctum ab amicitia tua excludis , ipse doctissimus nimirum ; frui negatum sit . Deus bone , quæ dicendi vis , quæ gratia , quam affluens omnigenæ eruditionis copia ab ore promanat ? Incusem ne infestum meis successibus cœlum , deos , astra ? an sinistrum meum Genium in criminis partem advocem ? nihil agam ; fortunæ meæ irascar necesse est , quæ perpetuum mihi Italiæ usum invidit , ne dicam quod tuo orbari aspectu . Sed prolixius fortasse teretes tuas aures verbero . Attamen extundit istam querimoniam acerba recordatio , quòd jam tandem demens video , Epimethei exemplo , quanta sim commoditate , quantis bonis fraudatus , idque mea ipsius (ut ille ait) ἀποδαλίου . Veruntamen placandus est , quibus potest remediis , animus . Itaque ut ad id

quod primo loco propositum erat deveniam, sic habeto. Christianus Wechelus, typographus cumprimis sedulus (ut tibi perspectum & cognitum esse potest) & qui in conquirendis excudendisque melioris notæ libris, multum ponit studii, totus in hoc est, ut tua fœtura Emblematum, accessione illa non pœnitenda, quam olim ad illum miseris, adaucta in publicum denuo pròdeat. Quare is à me admonitus quod variarum inscriptionum sylvam, quam videre mihi licuit, opus multæ & lectionis & observationis, præ manibus habeas, singulari quadam inflammatus cupiditate ergà eam operam, identidem institit, ut declarato suo in te studio per literas tecum agerem, ut si quid sit operis sive recens ab incude profectum, sive etiam refartum quod publicare cogites (quando verò fœcundum illud ingenium à cœpto jam olim demerendæ posteritatis præclaro instituto cessare possit?) id ad se procurare digneris elegantioribus reddendum typis: interim dissimulanter se totum suaque omnia tibi offerens. Id autem, quicquid sit, per veredarium istius impensis facile commeare hûc poterit.

terit . Hanc nostram pro amico capite
obtestationem non iniquo (qui tuus est
candor & facilitus) accipies animo .
Vale Jurisconsultorum decus unicum
& columen . Lutetiæ Parrhisiorum
Idibus Januarijs. 1542.

Arnoldo Monoxyla Buscoducensi.

EGit mecum multoties , Arnolde
doctissime , noster Wechelus, ut tum
precibus, tum pretio tuam humanitatem
provocarē, de transmittendo ad se Eusta-
thio tuo , cujus tanto tenetur desiderio
suis typis excudendi , ut dudū non prius
destiterit quam expugnatum me assiduis
suis & aliorum precibus , sedulaque sol-
licitatione victum eò protraxerit , ut
primum Eustathii in Iliada commenta-
rium illi procudendum tradiderim: adeò
inevitabile nonnunquam telum est, ami-
corum improba postulatio . Itaque si
Reipub. literariæ , quæ hoc unice desi-
derat, gratificabere, si Wechelo (à quo,
audita loquor & comperta , præter
magnam quam initurus es gratiam, non
parum emolumenti expectabis) si deni-
que amicitiae nomine & mihi ausculta-
bis,

bis, quæ tua est facilitas, vix dubito quin reliquum Eustathii exemplaris quod penes te est (modo fieri queat) huc sis dimissurus per veredarium aut tabellarium quempiam fidum, sumptibus istius nostri: quod si feceris, quam multis fueris nominibus laudandus, quam præclarè operam tuam posueris, vides. Porro bellum à Rege nostratibus imminere constans est rumor, quem belli turbinem faxint Superi ut discutiat & avertat sudificus Boreas aliquis. Vale amicorum integerrime, & me, ut cœpisti, amare perge. Lutetiæ Parrhesiorum Idib. Januar. 1542.

Petro Nannio.

Mitto ad te Nanni eruditissime reliquias tuæ æditionis, ut iis tantisper animum tuum oblectes, dum vim reliquam exemplarium noster hic ad vos procurarit advehendam. Miratus autem sum hercle supinam amanuensis tui in excipiendo oscitantiam, & non minime etiam tuam (ut apud amicum tuta hoc aure deponam) in relegendo socordiam, adeò plærisque locis ambigua
erant

erant omnia, mutila: non uno in loco omiſſa dictio una atque altera, quæ, niſi conſulto exemplari Græco, reſtitui nequiviſſent citrà temeritatis inſimulationem: omitto quod commata nulla, nulla cæla, nulla *ἐπισημασίαι* veſtigia ſuis ritè locis fuerint adnotata, niſi ubi attentius aliquanto inſpexeris & dictionis faciem immutaris. Qua in re quantum inſit periculi, ut in poſterum ſis cautior, doceo. Habent plerunque pro more illi, quorum in emendandis libris operam redimunt typographi, ab exemplaris quantumlibet vitioſi fide nuſquam vel latum unguem diſcedere, imò piaculi loco id illis eſt. Itaque ubi autographum habent vitioſum, aut tumultuaria cura adnotatum, ecquid mendorum centurias aliquot committi poſſe exiſtimas? Sed documentum plus ſatis eſt. Porro ut nihil deeſſet decoris & colorum in exemplari ædito, curatum id eſt ut quadruplici charactere variegaretur. Vale amiſſime Nanni, & brevi, tuas ut videam, facito.

Arnoldo Theodoro Amsterod.

Cœperam nescio quid (ut verè dicam) suspicari, mi Arnolde, quid rei esset quod nullum à te ad meam epistolam responsum rediret à multo jam tempore: certè mei curam remisisse te existimassem, aut oblivionem cepisse, nisi indubitata illa tua integritas extraque omnem suspicionis aleam posita fides, altius apud me in animo radices egissent, quam quæ vel erodi, vel dejici potuissent: quo etiam factum est, ut mutua inter nos amicitia nulla unquam ætate obliterari queat. Itaque hæsit in illo suspicionis luto apud me tabellarii fides: ita namque comparatum serè cum eo hominum genere videmus, ut legendi rudes plærunque non raro etiam somni vinique pleni, alienas literas omnium manibus credant, aut natantibus eas oculis, tremulisque manibus colligant: unde frequens literarum sequitur naufragium. Veruntamen postquam à te epistolam attulit Bernardus noster, plenam officii erga me & amoris, mirum quam velut ~~mirum~~ quodam omnis ab
ani-

animo dispulsa suspicionis caligo cecidit . Placuit in ea sollicita purgandi tui ratio , perplacuit quod commodum me auspicem ac velut *ὑπομνηστικὸν* tum novæ mihi cum doctissimo viro atque humaniss. Hadriano Jonge amicitia : tum firmioris etiam tibi cum eodem conjunctionis animorum familiaritatisque , fuisse intelligam . Quod orationis *ὑπομνηστικὴ* versionem Perioniam mitti tibi postulas , percussus sum hercle rei novitate primò , quod insolens adeò facinus & audax in principe oratione , nec interim suis nervis & sanguine fraudanda , suscipi existimarem : mox adii Tiletani officinam librariam , ubi cœteras ejus viri commentationes excusas nossem , ut certior fierem ea de re : negatum est id libri unquam sibi visum aut solo nomine auditum . Quo fit ut hac parte gratificari tibi nequeam , nisi doceas typographi nomen sicubi exemplar videris . De Eustathio id habeto ; bonam ejus portionem typis jam olim expressam esse , sed à reliquo corpore absolvendo supersederi hætenus ob inopiam alicujus qui typos componat . Ingens futuri belli metus omnem nostratium

tium hominum multitudinem, turbinis
 cujusdam instar, Lutetia dispulit, ut
 vix unus & item alter ancipiti spe sub-
 sistere hîc sit ausus. Quæ quidem prona
 omnium fugam itam me reditum ad meos
 maturare faciet. Id enim mi Arnolde
 planè existimo calamitosissima hæc fore
 tempora, si pristina illa duorum simul-
 tas recruderit: quod quidem si sit,
 omnia maria, omnes terras moturus,
 Reges quoque Barbaros concitaturus
 iste creditur. Non tamen hæc hariolus
 vaticinor, sed conjectura quadam arti-
 ficiosa multi prævidere se autumant, &
 certè aliquam belli imaginem præfert
 quod Peronæ in statione magna mili-
 tum manus desidet, & aliis locis simi-
 liter, adeò meo quidem judicio immen-
 sa malorum impendet *ἰλίας*. Si qua res
 ita cadet, quam præclare gratulandum
 nobis ipsis foret, si non peregrè, sed do-
 mi, non procul à laribus & focis, atque
 adeo in sinu quieto patriæ, esse liceret.
 Adhæc non iniqua penitus foret condi-
 tio, si alterutrum timere daretur, nunc
 verò quum ita comparatum sit, ut uter-
 que tibi sit metuendus, alter ut hosti,
 alter ut *ὑπὲρ νόμου*, ecquid securum cen-
 seas

feas in utranque aurem te posse degere .
 Cæterum faxint Superi ut hæc quæ nar-
 rantur omnia ἀπὸψεσθαι sint . Sed opisto-
 grapha epistola tuas nimium aures one-
 rare videor , tametsi nescio quo fato ac-
 cidat , ut tecum Laconicè agere non
 possim . Excusabis me D. Hadriano
 Jonge quod illi non scripserim , nam
 sum occupatior in restituendis aliquot
 Galeni libris , tum interpretatio in Vi-
 truvium architectonicæ artis vocabu-
 lorum (quæ ut nosti in singulis artibus
 obscuriora esse solent) plurimum mihi
 oneris inter cæsa & porrecta (quod
 aiunt) addit . Deinceps verò me etiam
 tibi excusatum velim , quod tardiùs ad
 postremas tuas literas quas Blasius attu-
 lit ejusdem cum alteris voti indices , re-
 scripserim , nam aberam tunc fortè
 quum traderentur , & priusquam ad il-
 lum accurrissem , jam discesserat . Quin
 & illud audi , me planè ancipiti eventu
 has ad te mittere ; nec enim mihi con-
 stat , ubi locorum nunc agere te contin-
 gat ; acceperam enim à Bernardo sta-
 tuisse vos Blesium tantisper , dum à car-
 nium esu abstinetur concedere . quod si
 est , cuperem ἀσφραγισθαι , aut etiam

emissitias habere literas, quarum vestigia fortassis prius quam hinc abeam, libens sequerer, ut vestro obtutu frui semel liceret. Vale amicorum integerime Arnolde, & D. Hadr. Jonge (cujus vel responsum vel aduentum jamdudum expectat Nicolaus vander Laen Hornanus) & tuo Hadr. Middelb. nec non cognato utrique meo Gerardo & Isbrando, ex me officiosè plurimam nunciabis salutem. quinto Nonas Martias.

*Lamberto Iacobo Pensionario
Harlemæo.*

REm non novam, vir præstantissime mihi tamen insuetam tibi perscribere obiter duxi fore non inutile nec injucundum, eam leges candide, atque adeo pro tuo candore interpretaberis dextrè, non ut Rhetor solet Rhetorem. Nudiustertius forte fortuna prætereunti mihi tuas ædes in comitatu D. Quirini Talesij, subito perstrinxit oculos fulgor dicam potiùs an sydus quoddam lucidum, è domo tua emicans, cujus vis inopina altius penetravit :

vit: sensi illicò igniculis nescio quibus præcordia calefcere, sensi (dicam ingenuè) quam minime vanum fuerit Poëtæ nobilissimi dictum. Uritque videndo Fœmina Tacitus aliquantisper apud me insolitam flammam concoquo, mox per occasionem, quænam forma me perculerat, ex D. Quirino sciscitor: ille pro sua facilitate non inuenistam virginem esse, meis congruam moribus edisserit, mirificas ingenii puellaris suavitates, animique dotes, in summa novo amoris rudimento fomitem adjicit; Hoc demum erat quod est in proverbio, Oleum igni affundere. Audi nunc quæso reliquam fabulæ partem. Excusanti mihi pudorem meum, & de conventu diffidenti calcar addit, indicans te virgini parentis loco esse, illam tuæ tutelæ totam esse addictam, à te pendere momentum omne admonet. Quibus ejus verbis aliquanto confirmator factus, varia, ut quidque mens dictabat, consilia animo voluo atque agito: Te mihi unum propono. Venit in mentem tuâ ingenuitas, humanitas, & exposita omnibus benignitas: Venit in mentem familiaritatem tibi & amicitiam

tiam pervetustam quidem illam atque solidam cum Petro Junio Consule Hornano patre meo (piæ memoriæ) intercessisse. Ista mehercle utcunque animo meo fiduciam suppeditabant, obstabat solus compellendi tui pudor, hunc tamen vici fermè Homérico versiculo, qui inutilem esse viro egenti pudorem prædicat: accessit in eandem sententiam & Ciceronis illud, dicentis Epistolam non erubescere. Itaque hanc ipsam ut paratiorem viam minusque pudefcentem delegi, & ut potui quæ mea est tenuitas, in hanc formulam paucula dictavi. Tu si non planè rejiciendus videor, si non infima fortuna, si non aspernanda doctrina videtur, si aliquod etiam operæ pretium adferre possum, si paternæ inter te meumque genitorem amicitiae nomen etiamnum aliquid valet, si quid tua potest pietas, Clienti tuo patronus, paternus amicus in amicitia respondere paratissimo, viam sternito ad ea quæ tu existis meliùs intelligis, quàm si apertiùs scriberem. Proinde, si videbitur, ego te super hac re conuentum expeterem; ut qui & re, & opera, & consilio me juvere possis ne tanta de spe decidam, simul-

mulque locum ac tempus conveniendi præscribere , ne res ad plures porro dimanet, & per muliercularum ora increbrescat. Non dubito quin tibi sim curæ, vel ob solius genitoris mei nomen, quamvis nulla mea in te extare potuerint hætenus officia . Tu interim æqui bonique nostram hanc professionem consulito , & Hadrianum tuum ut cœpisti amare pergito.

*Nicolao Assendelfo, Arnemij
Præposito.*

REbus accisis ad aram confugitur, desperatis ad sacram anchoram, in necessitate ad genua & supplicia divorum *. At ego singulari tua humanitate fretus & quidem hæreditaria, tibi ab optimo clarissimoque Heroë parente tuo infusa, necessaria in tempestate ad te pro alio supplex devotionis genibus advoluo. Is alienus à me non est, sed idem uterus illum tulit qui me, idem semina-

* Nautæ vi tempestatis oppressi in extremo discrimine quando potiundi portus nulla spes est, ad sacram confugiunt anchoram: reis ad misericordiæ aram, latronibus ad asylum, miseris in excidiis urbium ad deorum statuas evasisse saluti erat.

vit

vit pater ænigmata non fero, germanum meum * fratrem dico ; pro hoc te suppliciter deprecor, etiam atque etiam tuæ benignitatis conscientiam obtestans atque appellans, ut illum, quod in tua manu positum esse, ipse agnoscit, Notariatus munere digneris exornare. Quod quo tibi facilius sit, eò impensius oro. Quod si certare beneficiorum æqualitate, aut paria tecum facere possem, aliquanto etiam confidentius urgerem, nunc quum nihil in me tale sit, ac ne mediocre quidem quod à me proficisci queat ad te, & quo gratificari tibi vicissim ac reponi beneficium possit, ad commune miserorum patrocinium confugio, beneficii memoriam usque & usque sempiternam nec unquam intermorituram polliceor, alioqui si unquam beneficii vicissitudine (ut in re tenui sit) aliquid efficere, & Mus (quod aiunt) Leoni opem ferre possem, experireris non ingrato collocatum beneficium. Certe uno hoc facto duos tibi obæratos atque obstrictos reddes. Proinde quæso facies, quod te facturum non dubito, ut frater in fratre aliquod præsidium

* Ioannes Iunius fr. Hadriani.

sibi paratum apud amicum & Dominum
intelligat .

Iacobo Vesalio .

QUI *ἀσπρά* tenentur , non tam
cavent cibum, quam ego anhelio tua-
rum literarum desiderio afficior , cujus
implacabilis aviditatis si tibi comperta
esset ratio æquè ac mihi , non dubium
quin ei quoquomodo consulere atque
mederi adlaborares . Ne te ergo durum
adeo atque difficilem præbeto , ut cum
possis , nolis salutare adferre manum .
Neque enim est quod materiæ inopiam
excuses , ut de aliis effugiis taceam ,
præsertim in tanta ingenii fecunditate
ἢ ἢ τὰ κενὰ βλαστὴν σπέρματος ; quodque
consilium mihi tuum de Lucina expli-
cari postulaverim . Vide ergo ut in om-
nem eventum istum habeas expeditum
istud , ut appellatus à tabellario habeas
ad manum quod *αὐτοπαίδως* porrigas .
Mitto tibi carmen hujus anni meum ,
quod cæras tuas miniatas experiatur .
Si quid lectum est tibi de trifulci fulmi-
nis ratione, & ubi annotari velim & do-
ceri, operam mihi mutuam dare ne gra-
veris .

veris. Novi hîc nihil est, nisi quod de Ferdinandi Cæsaris adversus Turcûm victoria rumor non omnino liquidus sit passim disseminatus. At vobis illic licet esse disertioribus, ut quibus oraculum Bruxellense vicinius multoque certius sit. Vale.

Petro Bloccio apud Leidanos moderatori juventutis.

ANimi prorsus pendeo incertus cujus rei significationem magis edere de-
beam, doloris ne an gaudii, eruditissime Petre, certè postquam supervenerunt posteriores tuæ literæ, non parum fui sollicitus καὶ τὸ καρδιαὺν δίδηγμα, quod dum tergiversor & inter negotia mea scribendi laborem extraho, ansam tibi præbuerim non injustam, me compe-
rendinationis infimulandi. Sed hoc vulnus sopivit atque adeo obliteravit alia cogitatio, qua gaudebam silentium mihi pulchrè sceneratum, quod pro unis binas epistolas ὥσπερ ἐρμῶν ἢ καὶ πέντε ἢ καὶ ἀληθέστερον εἰπεῖν, τόκον ἐτήτυμον mihi pepererat. Accedebat & Altera lætitiæ causa, quod gauderem me tibi, aliisq̃ue
eru-

eruditis hominibus , à quibus ad ignotum commeant frequenter literæ, innotuisse , nec steriles nostras esse Musas, quæ suavem illum cognitionis amicitiaëque fructum nobis fideles proxenetriaë conciliaffent. Rursus dolebat id mihi à te imponi oneris quod per se inglorium esset, & alios requireret humeros, neque hanc deceret ætatem , quodque gravius est , etiam interpellaret , ac velui injecto sufflatamine remoraretur studiorum nostrorum cursum , in utiliore omniumque ætatum profectui accommodatiorem materiam spectantem. Vides quas inter Symplegadas jactatus sim & quibus æstibus. Jam verò ut atietis quo me oppugnâs icibus occurrâ , simulque ut & à me dictorum , & repulsæ, quam invitus molior, rationem reddam , paucis accipe. Primum omnium ut mediocrem hellenismi cognitionem, non ut tu appellas , fastigium , à quo longissimè absûm , admittam , attamen meis viribus impar onus , quod in me devolvere cupis , agnosco , & juvenili ætati verborum luxurie & apparatu instructiori aptius : deinde ignobile est meo quidem judicio & inglorium , verbis

bis alienis inhærere, & ut Omphalæ Hercules, addictum inservire, illorum sententias veluti mendicabula persequi. At quod me maximè movet, quodque palmarium esse vel ipse judicabis, habeo præ manibus explicationem Græcorum Epithetorum omnium, argumentum à nemine unquam delibatum, utilissimum quidem illud, sed ut sunt *δοκολα & καλα* laboriosissimum & difficillimum, sed gloriæ idem affluentissimum: cujus libri moles bina æquabit Chiliadum volumina: Habeo & Suidam locis ter mille, quid aio, imò *μυείας* à me interpolatum & genuinæ lectioni restitutum, cum indicio authorum unde sua mutuatus est. Proinde obsecro, quæ tua modestia est, ne gravatè feras hanc repulsam, aut maligniùs interpreteris excusationem hoc tempore nostram. Si qua tamen alia in re studiis vel omnium vel privatis tuis succurri per me posse putes, dabo operam ut obsecundem. Vale.

Arnoldo Birckmanno.

Literas tuas humanitatis, officii, amorisque erga me tui plenissimas
ad

ad xvi. Kl. Decembres accepi postridie
quàm è rùre Londinum remigraram ,
in quibus diligentiam & enixum illud
tuum in amicorum rebus studium ab-
unde perspexi. Itaque multis nomini-
bus gratissimum mihi fuit , quod prin-
cipium artis Typographicæ uni excu-
dendum libellum meum tradideris ,
quod ipsum & in Lexico nostro factu-
rum te ultrò polliceris , cui nunc ulti-
ma manus à me imposita est , quæ certe
opera quanti mihi constiterit , quot
noctibus pervigilio absumptis , ut ne
datam tibi fidem frangerem , quam se-
dula omnis generis scriptorum evoluti-
one transacta fuerit, haud faciliè dixero.
Plus enim aliquanto laboris in rebus
istis tenuibus , cultumque vix admit-
tentibus obitur , quam prima fronte
appareat. præsertim ubi exactiore judi-
cio expendenda sunt omnia , addenda ,
mutanda , demenda, obliteranda. Por-
rò Joanni Gippio tuo & Dickmanno li-
brum bona fide tradidi hodie , locuple-
tatum à me emaculatioremque factum
locis supra sex millia quingentis. Tui
erit muneris curare uti quam emenda-
tissime justaque cura typis procudatur ,
qua

qua in recupero ea ipsa quæ à me sunt
adjecta omnia aut immutata, asterisco
similius nota insigniri, idque duplici
consilio, tum ne fucus videatur factus
lector, cui sæpius impositum est hæte-
nus vulgatis toties tam splendidis Lexi-
ci titulis promissisque auctariis: tum ne
& ego fructu honestissimo pariter & ju-
stissimo laboris vigiliarumque mearum
defrauder, quanquam non sim ita glo-
riæ sitiens ut & studiosæ juventutis &
posteritatis quoque demerendæ non ha-
buerim majorem rationem. Mittam
autem ad te postea & titulum operis &
dedicatoriam epistolam ad R. M. ut
spero, nisi aliud consilium D. Orator
Dilfus noster dictaverit (inibitur enim
cum eo prius ratio quid faciendum cen-
seat) mittam simul & alteram epistolam
ad Lectores, eamque fortasse Græcè
loquentem. Deinde adhortaris me ut
quæ in manibus habeo Stromata, ab-
soluam, certè postquam altero illo la-
bore semel desungi licuit, atque in de
me explicare, totus in hoc ero, ad qu-
am rem maturius perficiendam, tuo
nunc est opus auxilio, proinde rem mi-
hi feceris ut longè gratissimam, ita op-
pidò

pidō necessariam , si Oppianum Græ-
 cum cum Cōmentariis (id quod olim
 addixeras , sed , uti fit in tantis tuis ne-
 gotiorum undis , oblitus fueras) Græ-
 cis ad me quamprimum perferri cures ,
 & Gregorii Nazanzeni Poëmata Græ-
 ca ab Aldo (ni fallor) olim impressa ,
 cum Pausania Græco. Postremo etiam
 rogas ut gustum aliquem capiam po-
 stremi Lexici quid in eo sit præstitum ,
 profecto (ut verè dicam quod sentio)
 nihil invenio usquam annotatu magno-
 pere dignum facta collatione : quod si
 fortè additur quippiam , id ex Hammo-
 nii, Cyrilli, Orbitiſque opusculis (quæ
 ad calcem operis extant) depromptum
 est omne . Adde quod & illud mihi vi-
 detur perquam ridiculum, imò iudicium
 viri tam disertī , & cuius ingenii usque-
 adeo lætus proventus , usqueadeo resti-
 bilis (ut ita loquar) seges quotannis re-
 pullulat, in hoc periclitari , quod aucta-
 rii vice *ἀπὸ τῶν ἀρχαίων* adjicit ferè , sicubi
 dei deæque à gentilibus cultorum hym-
 nus extet apud Orpheum : quasi in eo
 præclare collocetur opera consumatur-
 que, aut quasi plurimum referat scire
 τίς τίς , hoc est auroræ aut Herculis
 hym-

hymnum ab Orpheo aut Homero conscriptum esse: qua quidem ratione si voluissem extendere Lexici pomœria, vix binis ternisve voluminibus res stetit: imò decurias interdum aliquot scriptorum etiam classicorum (ut de recentioribus interim taceam) adnotare licuisset: Sed quis vel tenuiter literis tinctus, nostrum hic non eleuasset iudicium? quin imò hæc ipsa res obliuerandæ nostræ industriæ satis esse potuisset. Vale.

Ioanni Boyfio.

A Micissime Domine Boyfie, salutes tibi plures quam sit harenarum cumulus, & atomorum pulvisculus. Remedium quod tuæ dominationi nuper pollicitus sum, ad clarificandum vultum, tale est. Accipies sulphur vivum, ignem non expertum, non commune istud quo utimur, sed ex pharmacopolio allattum, ea quantitate qua velis, et miscebis cum aqua rosacea, quantum voles, & in eo intinges pannum lineum quem cundo cubitum impones faciei pustulosæ & dealbabitur locus, quum-
que

que exsiccatum fuerit lineum illud , ex aqua illa rursus irrigabis. Expertum est admodum , nam multi etiam datis pecoribus magnum iuvamentum & certum approbant . Optimum est etiam illud. Accipe sulphuris vivi, ignem non experti, unciam unam , camphoræ drachmas tres, axungiae porcinae uncias duas , misce , fiat inde unguentum, ex quo facies inungatur vesperi , mane deinde abluatur cum aqua rosacea . Hæc si feceris non dubito quin rubor ille faciei se remittet, & pustulae evanescent . His vale amicorum candidissime Boyss, & boni quæso consule dedita opera Medice loquentem epistolam hanc . Harlemi decimo quarto Maij . Has literas ad te missas, & adolescenti cuidam, Lovanium ad Academiam proficiscenti, traditas nuncius mihi nuper reddidit, qua in re dicam non habeo , an adolescentis injuriam accusem , qui aut non potuerit sciscitari de tuis ædibus more scholastico , ut sunt rudes fermè scholastici, præsertim novi, aut oblitus fuerit , neutrum dixit nuncius , contentus solum tradere ancillæ, me in Haga Comitibus absente . Itaque labore repetito

volui eas denuo ad te scriptas mittere , tu pro tua humanitate boni consules , quod per me non stetit . Jam secundo vale : sed hoc tantum addam , quò certius sit remediũ supra scriptum , consultum fuerit purgare corpus ex electuario de succo rosarum , quod mirifici juvamenti in hoc casu est , quod consulto Medico bene confici poterit . Junium tibi ex animo addictissimum ut soles , amare perge . Harlemo sexti mensis die vicesimo quarto .

Nicolao Grudio .

QUantum tibi debeam vir ornatissime quàm multis nominibus sim tibi obærat , quod me D. Perezio commendatum habueris , superioribus literis abunde diximus , quas ad Scyllam illam vestram latrantibus undique monstris infamem , ubi sub messe te æstivaturum putabam , ad uxorem curandas miseram , neque enim in eas injurios fuisse Gallos arbitror (quanquam ab eo tempore nihil literarum ab uxore acceperim , quod ipsum ego assiduo Africi flatui imputo) quemadmodum in vasa mea

mea stannea fuisse eos audio , siquidem nauta trecentis se navimq; despoliatam prius coronatis redimere coactus fuit . Sed ista ab hoste injuria susque deque ferenda est & concoquenda . Mitto nunc alio augurio, eoq; , uti spero, feliciore Antverpiam hunc meum foetum, si non potius abortum , superioribus mensibus adornatū, imò vix menstruum. Tu pro tuo candore mitius illum tractato , non ut Rhetor Rhetorem solet extendere . Cogita nos & ab libris, & ab aliis adjumentis nudos fuisse , & unguibus , cerisq; tuis opus habuisse . Vale Meccenas amplissime , tuumque Hadrianum , ut soles , amplectere.

Petro Vulcanio .

SI tamen ita omnino vis , ut ego , qui usu non satis, ingenio parum possum, erudiendum suscipiam illum , imposito mihi honore, sed oneri mixto , faciam quod potero pro viribus , tu pro imperio agas licebit . At enimvero vix annus est, ex quo in phrontisterium istud me dedi, quod in gratiam amicorum domesticos intra parietes paucis institui .

tui. Decreveram Lovanium evolare, sed audio miram illic esse studioforum raritatem. Animus aliquando fuit hinc emigrare, eò quòd pecuniis magis, quàm eruditioni sit honos, nisi uxoria res impedimento esset. Sed quid agas? Ego, ad iniquiorum ferendam fortunam sub asellis natus, ad idem etiam occalluisse mihi videor. Cogito tamen aliquando eluctari. De Nicolao Organista ita res est, ut tibi narratum scribis; neminem sane in sua arte parem habet, cunctisque calculis facilè primatum obtinet. Quòd verò * Catalogus, Romæ nuper editus aspersisse me macula quadam, sed non usque adeò pertinaci, quin elui queat, visus fuerit, susque deque tuli; propterea quòd abhorrentis à prisca puraque religione animi mihi neutiquam forem conficius, & malevoli ματαιολόγος calumniam, quisquis is fuit, vel è solo Dictionarii mei Græci ad Angliæ Regem præfationis inscriptione, vel è communi multis bonis calamitate (quam typographiæ Germanicæ odium peperit) natam contemnere facilè potui, ac eò quidem æquiore animo, quò videam crimen

* Catalogus librorum prohibitorum.

collatum in integros, objectique flagitii puros , citius extingui atque concidere, non secus quam solet aquæ immersus ignis continuo aboleri & exspirare . Prolixius & plura scriberem, ni metuerem impingere in eundem , quem tu verebare , lapidem , ut ne manum (quod aiunt) de tabula . Vale candidiss. Vulcani, & eodem, quo cœpisti olim, affectu Junium tuum prosequere , & si qui sint illic mei nominis studiosi , ex me diligenter saluta. Raptim ad lucernam tertio Cal. Novembreis .

Petro Condenergo.

ET si consuetudo tecum mihi nulla sit, vir humanissime, qua fretus ignotum te literis meis interpellem , est tamen tacita quædam necessitudo atque conjunctio inter doctos & literarum amantes , quæ mutuam operam, mutuamque fiduciam facile & persuadeat, & obtinuerit . Hæc res effecit, ut confidentius tecum agerem in amici rebus , quando ita comparatum sit, ut nobis solis nati non simus , bonamque nostri partem amici jure quodâ sibi usurpent.

F 3

Ami-

Amicus hic meus , qui tibi hæc exhibet, filium habet quem pharmacopæum cuperet, Latine peritum . Ea verò ars atque cognitio quum nusquam fere terrarum magis vigeat , aut in pretio sit , quàm Antverpiæ , non alibi meo iudicio haurienda visa est quàm ubi propter hominum frequentiam , & rerum usum rei Medicæ factitatio floreret . Eam ob causam istic potissimum imbuendus ejus artis tyrocinio visus est : Nam sub optimis Doctoribus initia & rudimenta artium optimè perdisci solent . Itaque cum olim didicerim mei nominis cognitionem ad te permanasse, rogatum te pro amico velim , ut si minus apud te , saltem alibi tuo patrocinio locus juveni dispiciatur , meoque nomine in hanc curam incumbas ut juveni quamoptimè consulatur . Ego vicissim, si qua in re tibi Junii opera vicaria usui esse possit , me totum tibi dedo . Vale .

Iacobo Meystero.

Superiori anno dederam ad te literas, præceptor observandissime, per Marnardum Huesium , quæ sint ne tibi redditæ

ditæ, nec ne, an verò naufragium fecerint, noxæue fuerint deditæ (quam calamitatem plerunque sentire solent) ignoro : certè ea spe missæ fuerant, ut observantiæ meæ nexum, quo præceptor optimo sum obstrictus, renovarent, meique procul absentis oblivionem vindicarent : qua gratia hæ quoque mittuntur. Nam quum fortuito in eruditissimum Thalesium hesterno prandio incidissem, facta honorifica & repetita sæpius ad varias (uti fit) occasionestui mentione, non potui non etiam literarum aliquid ad te polliceri, quibus officium meum munirem, ut, deficiente scribendi materia, salutationis saltem vadimonio obæratum tibi teneretur. Novarum verò rerum, quod ad te scribam, habeo nihil. Nam de religionis innovatione, qua in re toti sunt isti, securus infracto animo καὶ ἀπαθής, Stöico more, velut de altissima specula, labores in salo fluctuantium tumultuantiumque despicio. Vale mi præceptor observandissime, nec tibi Hadriani tui oblivium obrepat. Londini septimo Idus Aprileis.

Ioanni Scheijffio, Equiti auro, Brabantia Cancellario.

Literas, quibus dolorem ego meum consignavi, vir clarissime, ob præreptas mihi à tanta persona priores salutandi gratulandi que partes, quæ mihi jure fuerant suscipiendæ, non accepisse certò crederem, propterea quòd ne unam quidem literulam, ejus rei testem, acceperim, nisi etiam subisset animum cogitatio alienatæ à me tuæ voluntatis, quâ silentio perpetuo proderes. Verùm hanc suspicionem exemit nuper Alcmarianus adolescentulus, tui erga me singularis studii, raræque cujusdam benevolentiae notas non vulgares commemorans; inter cæteras hoc quoque testimonium edidit cubiculi usum, multis mensibus mihi asservati. Novissimè autem hunc scrupulum abolevit Birckmannus noster, qui proximis suis literis amorem erga me tuum, tuamque de me præclaram opinionem atque expectationem, nihil tale cogitante aut promerito, inculcavit. Equidem est, quod gaudeam atque triumphem serio, si
quod

quod hætenus ambivi semper , contingat à viro laudatissimo laudari , id quod Hector Nævianus lætatur impense Principibus viris placuisse inter optabilia ponitur , multò magis laudatis . Omnes certè laureas tuo unius iudicio postposuero , quod ut perpetuum de me sit & constans , quantum officio sedulo demereri potero , viribusque contendere , operam dabo . Interim Deo Opt. Max. agenda sunt gratiæ , quod C. T. nobis sospitem conservârit ab hac Anglicana lue , quam non paucos Proceres absumpsisse accepi , precorque , ut largitor ille summus bonorum in Nestoreos usque annos eandem incolumem nobis ac Musis tueatur , atque conservet . Cogor hic modum scribendi quærere , cursumque abrumperè , quòd urgeat tabellarius . Vale literarum & virtutum incomparabile decus , Orator ampliss. & Hadrianum tuum , quo cœpisti , amore prosequitor .

Iusto Velsio .

EX quo Coloniae te agere acceperam ,
Velsi ornatissime , id quod aliquantò
F 5 post

pòst fuit, quàm Iprius illuc commigrà-
 rat, tantis fui oppressus tantum non de-
 cumanis negotiorum undis, ut ab ami-
 corum isto communi solatio in missitan-
 dis ultro citroque literis, cujus inventi
 gloriam Atossæ, Persarum reginæ, bar-
 baræ foeminæ, attribuit Tatianus Assy-
 rius, propè exclusus fuisse mihi videar,
 affectumque illum aliquantisper exuere
 fuerim coactus. Nunc curarum illa
 mole exempto, & à molestissimo illo
 (cui me & amicorum, & urbis prima-
 tum sollicitæ preces, eæque propemo-
 dum assiduæ, immerferant) phrontisterio
 libero mihi ocium deesse non poterit,
 quod in amicorum officia non infructu-
 osè nec injucundè collocem. Libebit
 posthac animū interdum à seriis aliisve
 studiis ad officiola ista mutua revocare,
 modò ne tu simili in re non respondeas,
 τὸ γὰρ τῆς φιλίας τὰ ἴσα καὶ τὰ ὄμνια ἀρεστέται,
 ὥς κ' τὸ λακωνικὸν γράμμα εἶπεν. Hanc
 verò scribendi occasionem neque citius
 arripere, quippe tertio à deposito co
 oncre die, neque commodius auspicari
 potui, quàm à discipuli hujus mei, qui
 tibi has à me exhibet, tibi nunc altio-
 rem operam navaturi, commendatione.

No-

Nomen est adolescenti Nicolao Jacobi. Harlemæus est, modestissimi, si quisquam alius, ingenii, & ad humanitatis obsequia paratissimi. Nihil eo est diligentius, magnæ industriæ, qua facile oblitterabit, si ἐπιτροὸν π Batavia illi allevit : Carmen probè cudit, solutam quoque dictionem non infeliciter elaborat . Hunc partim propter communem patriam & parentes, quos habet, honestissimos, partim propter ipsius singularem erga literas *πρὸς*, præcipuè verò propter me, qui non vulgarem de eo spem concepi, tibi commendatum esse meo quodam jure flagito, ut si quando tuum consiliū, tuam in literis ἀπεβίαιω appellet, tu illi deesse nolis. Ac de illo quidem hætenus . Gaudeo plurimum tibi que gratulor, quòd eam sis nactus sedem, ubi in luce hominum versari queas, ubi virtus tua atque eruditio inclarescat, ubi Consulis alterius cujusdam, ut audio, Meccænatis studium non modò tibi ornando, sed toti insuper Academiae pristino splendori restitundæ sedulo invigilet . Maacte ergo ista virtute mi jūste, ac felicitatem istam tibi ex animo gratulor, quanquam non

dubito, quin isthic minora sint omnia tuo illo ingenio, sed *ἰμρόμβει τοῖς ἀπὸν ἐμῶ* nescio quod *ἄκρομα ἰνῆαει καὶ τρεπὸν* ab Italia. At prudentior es, quàm qui incertis certa commutes. Scis quid dicam. Accepi nescio quid libellorum à te publici juris factum exisse, verùm nihildum videre licuit. Si quid procudis, hoc ne nostris oculis, licet minus *ἀετέοις*, invideas obsecro. Vale ornatissime Velsi, &, quod facis, literariam Rempublicam adiuva. Scripsi hæc valetudinarius etiamnum, qui vires à morbo paulatim colligere incipio. Harlemono postridie Id. Octobris.

Petro Bloccio.

ERuditæ tuas, & Græcè spirantes literas, in absentia mea huc redditas, hesterno vespere cum magna voluptate perlegi, vel eo nomine quòd meas tibi non ingratas fuisse intelligam, quam offendit nonnihil, me quòd à lucernario tibi allatas scribis, quas non intimæ fortis ac proletario cuipiam, sed primarii hominis & opulenti fidei credideram tibi quamprimum reddendas,
&

& fortasse seriùs quàm vellem , neque enim in calce diem adscripseram. Tergiverfationis crimē, cuius me infimulas, vel invitus in me recipere cogor , partim negotiis Medicis literario otio invidentibus , partim rei domesticæ curæ & lectionis fastidio animum à scribendo revocantibus . Non video tamen , cur Icariis meis monumentis parcio-
δὲ κλέϊας σέφανον (ut inquit Tragicus) accessurum putes , quàm ex Dialogorum in Græcam Linguam conversione : sive *σκολλῶ* isto scommate obscuritatem vel argumenti, vel dictionis perstringis, sive quid aliud *βυσσοδομοίρεις*, susque deque ferendum mihi puto; jacta semel fuit alea, conspirent licet Jupiter & Neptunus in abolendis iis, nihil Hippocrides moror. Quòd in colligendis epithetis argumentum, à * Ravisio inepto Textore defloratum, me arrepturum augurari videris, omnino hallucinaris ; certè demens fuerim, & vel Tragico Athamante ipso vesanior, eò si conatus meos conferam. Nihil vidi , ut breviter dicam , eo homine cæcius , nihil ineptius , nihil stultius ; qui nullo judicio molē indigestam

* Ioan. Ravisius Textor reprehenditur. fo. 156.

Epithetorum, ipsissimum Chaos con-
gessit, non intelligens, quid sibi velint,
aut quò referenda. Quid nares crispas?
audi exemplum unum aut alterum. Ibe-
riam dicit vocari ab Ibero amne Hispa-
niam, verè hætenus: hîc adscribit ve-
nenorum feracem, veneniferam, & dis-
colorem epithetis dici, quum hæc pro-
pria sint Iberiæ, Ponti regionis ad Col-
chidem. Rursus Sambuco arbori tri-
buit epitheta medullatæ, olentis, &
triangulæ. O dignum helleboro caput!
quum postremum hoc epitheton in ar-
borem illam notissimam non cadat, sed
in sambucam, instrumentum musicum
triquetrum, fidibus tendi solitum. Ta-
ceo, quòd juvenes & semidoctos, quales
plærique pangendis versibus prælorum
operas distinent, erroris nube altissima
involverit, liberè citra judicium & pro-
miscuè epithetis, rei incongruis, abuten-
tes: nam avenam pro sati genere le-
vem, gracilem, sterilem dici patiar, non
iridem argutam, Phœbæam, docilem,
septiforem; quæ in avenam pro fistula
quadrant aptius. Mallem ex classicis,
& majorum gentium scriptoribus re-
texisset suas corollas, nunc parum ritè
lem-

lemniscatas; neque enim statim Epithetorum ordini adscribendum, si Oceanum fertilem vocet Faustus quispiam. Expenso hic iudicio opus est, & Critolai balance. Cuperem ego potius rationem explicari, cur Panthöides vocetur Pythagoras, cur ab Ausonio renatus, & id genus alia. Ego in meis Stromatibus (id enim libro nomen erit) aliam rationem sequar, traditurus, exempli gratia, cur navim *μιλτόπαρην* & *κροόνιδα* vocet Homerus, *ἰυλοπίζον* & *πικραρροχῶται* Lycophron, *ποικιλοσῆμην* Sophocles, *κυανοπράρον ἑσκαέρμην* Calaber, *κυανώπιδα* Æschylus, & *θαλασσοπλάγκτον ἀλίδρομον* Nonnus, *δρεσπαγῇ* & *λινοπτέρυγα* & *βαθυπέρμονα* Oppianus, *ὕλοτόμον* Sibylla, *δυσίειραν* Apollonius, *ἀκύαλον* Theocritus, *θεὸν* Callimachus, *δυσεργέα* Dionysius, *παντοπόρον* Orpheus, &c. Adducam aliud exemplum, *ἄρες βυλῆεις* Porphyrius, *βυπαρδαι*, *δυσάγαι*, *συμβλήαι* Epigrammatarii, *ἰμύτιδας*, *Ἀλφειύπτης* Nicander, *ἡεροφύιαι*, *ἀριστοπόναι* Phocylides, *σιμαί* Theocritus, *ἐκπῆαι* Sophocles, *ἐμβόμβαι* Orpheus, *ἀνδρομεγῆαι* Æschylus, *ἐκποπτῆαι* Eurip. *ἐργαπίδαι* Pisides, *φιλέργαι* Nazianzenus, &c. Omnia à me elucidabuntur addi-

additis exemplis. Habes, quam ego insistam viam, non secuturus levem & indoctum Grammatistam ducem, quam si improbes, facile patiar amicè abs te admoneri me, dummodo potiozem, aut veriozem rationem adferas. *Commentarius meus in Odas Horatianas jam ante quadriennium Basileam commigravit ad Oporinum, sed ea *ὀπώρα* serotina nimis fit. † Suidas meus, priusquam in manus hominum veniat publici jutis factus, biennium aut plus eò elabetur. Valebis amicissime Blocci, & nos ama.

* Comment. in Horat. † Suidas.

Guilelmo Lindano, ni fallor.

Literas tuas, vir amplissime, Novembri mense scriptas, longo sanè intervallo post à solemni Servatoris nostri Natali, humanitatis, eruditionis, officiique omnis plenissimas, in quibus ut personæ præsentiam cognitionemque desidero, ita modestiam humanitatemque incredibilem non possem non exosculari, si *ἐπὶ τὰ ἴσα καὶ τὰ ὅμοια*, ex præscripti Laconici fide, tecum provocare liceret: singulari tamen affectus
sum

sum gaudio, quæ tuæ Ex. innotescendi familiarius januam aperueris immerenti nihilque ejusmodi à tanto viro expectanti. Cæterum uti *δέξιον διώνισμα καὶ ὡς περ ἀρεξεία τις* extitit mihi tua vir ornatissime epistola, ita quoque difficultatis minime ambiguan Symplegada objecit eadem, qua parte locorum quorundam explicationem, à te potius ipso petendam, invalidis meis humeris imponis. Huc accedit onerosa illa nostræ eruditionis (quam, non dicam nullam, sed intra mediocritatis tamen cancellos exilem atq; contractam in me agnosco) prædicatio, quamvis ex animo, uti non ambigo, sincero, nostri fortasse studio *ἀσχηγῶ*, profecta. Nam quòd meo iudicio subjicis foeturam illam tuam, næ tu suaviter mecum ludis: perplacet tamen, ut compendio dicam, stylus vividus, succi plenus, sanguinis & nervorum abunde habens, nusquam humi repens aut effoetus, qualem in plerisque vestri ordinis, absit dicto invidia, animadvertas: visus es mihi denique *ἀπὸρῶ ἀρεῖν, ἀνθλῶ ἐπὶ πῖν* juxta Platonem. Perplacet argumentum per se foecundum, & recoquendis scripturarum

rum locis haud temere destinatum : at-
 tamen haud scio , quàm non omnino fa-
 tiffacit nonnullorum stomacho tua illa
 censura (utendum enim erit ea libertate
 quam ultro obtulisti) quòd , abolita
 scripturarum veritate , *τῇ ἀληθείᾳ καὶ*
Ἀποστολῶν μὲν καὶ τῇ ἀληθείᾳ τῆς πίστεως
ἐξέρχεται (ut Basilii verbis dicam)
 nos velis , neque verò huc tendit illo-
 rum sententia ; quòd Apostolicorum
 canonum auctoritatem elevent , sed
 quòd vereantur , ut jam olim , fides illis
 omnis fuerit deroganda , tanquam de-
 cretis humanis , ni sacrosancta Euange-
 lii elogia illis non pedamentorum , sed
 Atlantum vicem implevissent , ni buc-
 cinæ illæ clangore efficaci animos per-
 movissent , fidemque sui indubitatam
 mentibus impressissent. Laudo interim
 diligentiam flagransque studium in re-
 pastinandis scripturarum arvis , & aver-
 runcandis errorum vepretis : quanquam
 eos sic invaluisse dolendum est , ut pro-
 pmodum desperem , omnes Reipub.
 Christianæ partes ægras atque labantes
 hæresibus sanari , ac confirmari posse .
 Usqueadeo non unius Herculis res ista
 lacertos requirit , nec paucos Iōlaos .
 ef.

efflagitat! *Ἀλλὰ σὺ κέσμεν, φασὶν ἂν ἔλαχες
παύειν, τὸν ἡρόκλητον τρόπον ἐκκαθαίρων
τὴν πατρίδα,* quod de Alexandri, viri incomparabilis filio extulit Synesius. Venio nunc postliminio ad ea, quæ T. Ex. à me cognoscere expetit, in quibus tamen si satisfacere me posse exactissimo tui iudicii calculo diffidam, quia tamen conatus omnis in laudis partem venire solet, delibanda esse duxi quædam, ut potui, non uti volui, semper interim fasces laureatos tibi uni submittens. Primum omnium vetustum Novi Testamenti codicem nusquam videre mihi contigit hætenus; ut neque D. Jacobi Liturgiam, in Anglia, ut conjicio ex tuis verbis, typis procusam: memini tamen vidisse sed obiter & quasi per transennam, Londini apud Vintoniensem Episcopum, tunc Angliæ Cancellarium, volumen ingens authoris Græci, cujus me fugit nomen, manu exaratum ante quadriennium, quo tempore illic Philippæida ludebam in Philippi Regis nostri nuptias, in quo plures Liturgiæ piorum virorū legebantur; Erat autem is liber cum multis aliis è Græcia à Græculo quodam allatus, ut Reginae
Ma-

Mariæ exhiberetur. Dixi autem obiter inspectum mihi fuisse librum, quod talium nundinatorum ingenium ab invidiæ fascino alienum non sit, existimantium perire ac veluti *ἀλγορέας* libri gratiam, si ab aliis inspectetur, ad modum eorum, qui galgulum aviculâ obstructis caveis abscondunt, ne præsentanei remedii sensus ante contractum ad licitatore perveniat. Quod ad Græcos *λεηλεργίας* attinet, certi nihil aut explorati commemorare possum ex oculata fide, quòd id tempore, quum Venetiis eram, Venetus Senatus certis de causis sacra ejus gentis vasa, ritualesque vestes & id genus alia asservari jusserat, gentique sacris interdixerat; nimirum ea spe illorum ingressus Ecclesiam fueram unâ cum Martino Ædituo meo, ut rei illorum divinæ interesset, ritusque cognoscerem; sed non favit Delia, nam præteritis nobis, qui æditiora subsellia occupaveramus, qua de causa incertus sum, cæteris Italibus templo excedere jussis, diu multumque inter se gentisque primores altercando contendunt, & quæ potui ex vernaculo illorum sermone intelligere, ad Patriarcham
Alex-

Alexandrinum provocare visi sunt. De Liturgia ita fermè animo constitutum habeo , designari ea voce munus quodvis publicum , functionemvè , sive ad Rempub. id , sive ad divinum cultum referri velis , quasi *λήϊτον , τέστι δημόσιον ἔργον*. Nam quod est apud Aristotelem *λειτουργία τῷ θεῷ* , clarè demonstrat , liturgiam sine addito ministerii significationem habere , quemadmodum Demosthenes peculiare esse , ac proprium Musicis ait , τὸ λειτουργεῖν τῷ θεῷ , cuius rei fidem facit & Pollux . Nam illud ejusdem oratoris adversus Leptinem *ἐκδεδυκέναι τὰς λειτουργίας* munerum publicorum repudium significat. Quocirca *λειτουργία* haud aliud apud pios scriptores significare autumo , quàm administrationem sacrosanctæ communionis , quam *ἀπέρρητον τελετήν* Synesius Episcopus , *ἱερὸν καὶ φεικώδη μυστηριῶν* , & *ἱερὸν τε καὶ θύζον μυστήριον* Chrysostomus vocat , & rursus *θείαν σύναξιν* , ἀπὸ τῆς συναγωγῆς τὸν αἶγτον. Qua ratione *δοχὴν ἐπιτελεῖν* dixit Ignatius , quod vetus interpres missas celebrare convertit , quàm ritè nescio. Synesius τῇ θυσιασθείᾳ τὴν λειτουργίαν cum additione vocat ministerium , quod altari im-

impenditur. Jam verò *λειτέργους* eodem propè loco habeo, quo Popæ antiquis fuerunt & Victimarii, Cultrarii^{que} (si diversa in religione comparisonem candidè admittes) nimirum ministros, qui succincti sacrificio præsto erant ad peragenda sacrorum munia, quo in genere censerì possunt, debent^{que} præter eos, qui nobis *πῶς ἀρχιερεῖς δέλτες* in sacro Synaxeos, liquida voce descripto, præeunt, etiam illi, qui à tuenda æde Æditui, sive Custodes nominantur, nisi Dionysio (non Areopagitæ quidem illi, sed tamen nascentis Ecclesiæ primordiis vicino) refragari planissimè volumus; siquidem is gradus etiam quosdam in ea gente statuit, nempe delectos primarios ^{que} definiens ex illis nonnullos, *τῶς ἐκκλήτους* quos nominant, qui *τὸν ἱερέα* (quem non ineptè fortassis Litantem Flaminem, sive Sacri Antistitem appellare liceat) *πῶς ἱερεὺς θεουργίας ὑμνήσαντα* circumstant, sacro^{que} altari subministrant panem sacrosanctum, gratiarum^{que} actionis poculum (ut Dionysii verba Latinis auribus appendā) eodē nomine non nedignatus etiam eos qui profanis magis usibus delegati, obsecratas templi

fo-

fores observant. Dionis Scholiastes Græcus Diaconos & Subdiaconos Liturgos exponit. Δίπτυχα aurumo fuisse pugillares tabulâs ve plicatiles, (tametsi Lexica omnia Græcorum opis nihil præstant) aut volumen exiguum, quo continebatur nominû catalogus eorum, qui sanctè & laudabiliter vitæ curriculum decurrerant. Dionysius periphrastice nominat τῆς ἱερῶν πτυχῶν ἀνάρεσιν. Ac ejus quidem viri ætate non nisi vita defunctorum nomina præconio celebrabantur, quod claris verbis extulit Scholiastes. σημειωτέον, ὅτι τὰ δίπτυχα ἔκ αὐτῶ τῶ ἀποθανόντων μόνον ἀνεγινώσκτο: quod aliis verbis expressit Dion, τῆς ἱερῶν πτυχῶν ἢ μὴ τὴν εἰρήνην ἀνάρεσις ἀνακηρύττει τῆς οὐσίας βεβιωχότας. Is verò ritus peragebatur post mutuam deosculatorem; sic enim αἰσασμὸν certa ratione interpretari malo, quàm salutationem. Porro familiaris illa Ignatio vox ἀντίψυχον salebrarum habet nonnihil, è quibus explicare me, quoad ejus fieri potest, conabor, salvo semper meliore judicio. In Epistola ad Polycarp. καὶ πάντε, in cunctis tibi addictissimus, vel devotissimus, vel animam tibi debens, nisi malis, qui
pro

impenditur. Jam verò λειτουργας
 prope loco habeo, quo Popæ an-
 fuerunt & Victimarii, Cultra-
 (si diversa in religione comparat
 candidè admittes) nimirum mini-
 qui succincti sacrificio præsto et
 peragenda sacrorum munia, quo-
 nere censerì possunt, debent quæ
 eos, qui nobis τῶν ἀρχιερέων
 sacro Synaxeos, liquida voce de-
 præeunt, etiam illi, qui à tu-
 titui, sive Custodes nomi-
 yfio (non Arcopagita-
 men nascentis Ecclesi-
 o) refragari plani-
 dem is gradus etiam
 e' statuit, nempe
 que definiens ex illi-
 εἰς quos nomi-
 quem non in-
 laminem, sive
 lare liceat)
 cumstant
 panem

perferri nuperrime

honorificè commenda-
 regem Caletensem ad
 poenitendam literis
 amicum medium fidius veræ
 amicitiæ observan-
 dam testimonium edidisti .
 quum in eam legem com-
 amicitiæ , ut mutuis offi-
 consulatur , nec turpius
 quam in reponenda
 torpere , sollicitum me
 reddidisti , qui-
 modis demereri vicissim
 studium queam : verum
 ratio favente numine
 parte possit . Venio nunc
 in quibus de factitanda
 obhamum medicina scribis .
 meis rationibus non parum
 existimo , si cum stipendio
 pondeant , ita enim me com-
 utum est , ut gratias omnes
 quirendas modò , verum etiam
 mihi persuaferim . Nam hîc
 D. Erfordiæ Comes Regni
 , qui unum è suis purpuratis
 abhinc ad me subornavit , quem
 G ego

pro te & animam profudero. Ibidem. qui vel animam opposuero pro iis, qui Episcopo sunt dicto audientes. ad Antioch. & *ἀντ.* pro quo vel animam deposuero, vel opponere non dubitârim. ad Smyrnæos *ἀντ.* Animus meus pro vobis oppignoravit se. ad Heronem *ἡς ἀντ. ἡσούμην.* pro qua animam efflârim, vel opposuerim. Hæc ferme sunt, quæ mea infantia dictavit, cavillum semper & Momum risumque deprecata apud doctissimas T. Ex. aures, cui me totum dicoque, ac de nota meliore cominendo. Nonis Februarij.

Martino Corenbechio.

QUANTUM acceperim superioribus diebus vulnus, vir eruditissime, ut est tibi notissimum, ita malim te animo æstimare, quàm me verbis exprimere. Nosti immedicabile hulus quò tractetur refriceturque ampliùs, hoc recrudescere magis ac deterius reddi: proinde silentio obliterare istum dolorem semel decretum est, quem dies quoque minuet paulatim. Quòd verò hoc rerum statu tam amicum, tam benevolum ad me tuo
no-

nomine responsum perferri nuperrime
jusseris, & nunc honorificè commenda-
tum apud Præregem Caletensem ad
conditionem haud pœnitendam literis
evocas, clarissimum medius fidius veræ
atque indubitatae amicitiae observan-
tiaeque cujusdam testimonium edidisti.

At enimvero quum in eam legem com-
parari soleant amicitiae, ut mutuis offi-
ciis in commune consulatur, nec turpius
ferè quicquam sit, quam in reponenda
vicissitudine torpere, sollicitum me
planè ac consilii inopem reddidisti, qui-
bus potissimum modis demereri vicissim
tuum erga me studium queam: verùm
inibitur aliquando ratio favente numine
qua id fieri ex parte possit. Venio nunc
ad literas tuas, in quibus de factitanda
apud D. Cobhamum medicina scribis.
Id quidem meis rationibus non parum
conducere existimo, si cum stipendio
cætera respondeant, ita enim me com-
parare statutum est, ut gratias omnes
non acquirendas modò, verum etiam
retinendas mihi persuaferim. Nam hîc
etiam urget D. Erfordiae Comes Regni
Protectôr, qui unum è suis purpuratis
triduo abhinc ad me subornavit, quem

G

ego

ego actis gratiis incertæ spei plenum
 demisi, addens me consilium cum ami-
 cis inire velle prius. Scripsit & D.
 Cobhamus è Caleto ad Walterum De-
 lenium de conveniendo me, cui respon-
 di per literas hodie, & paro hebdomada
 proxima sub diem Cineribus dicatum
 eò me conferre volente Deo, ut cum
 ipso paciscar præsens, quo tempore
 quam velim te illic præsentem. Causam
 moræ meæ illi reddidi. Interea loci si
 per ocium licet, quæso aliquid de ejus
 animo mihi perscribe. Vale Londini
 x i i. Kal. Martias.

Duci Nordfolcia.

MEi est muneris, Illustrissime Dne.
 quacunque in re possim tibi uni
 gratificari, tibi studere, tibi animam
 denique ipsam appendere, Proinde
 quum intellexerim olim uti te velle mea
 opera in erudiendo filio, quumque con-
 stet perspectas prudenti ei que suo qui
 placere Meccœnati satagat & excogita-
 tas esse debere vias omnes rationesque
 quibus profectus studiorum constare
 possint, nihil prius duxi, quam certio-
 rem

rem te de mea voluntate facere. Novit C. T. quantus in re literaria Illustrissimus Princeps indole omnis ætatis ac memoriæ Clarissimum Regem patrem spirans , prædicetur : item quam strenue tyronicii munia obire dicantur D. Com. Arondelii liberi : hoc ipsum invitat me ut oculata fide usurpem , aurita fruar , quam vera de clarissimæ spei pueris polliceantur omnes , & rationem præcipiendi docendique omnem explicari atque intelligere . Id quod commodissime fieri potest dum tua commendatione adjutus insinuare me utrique jam Londini præsentem , & penetrare ad eorum usque Musæa possim . Itaque ut nolui C. T. esse mei consilii ignaram , ita non dubito quin assensura sit eadem meo hac in parte iudicio . Quam quidem spe Londinum venturus sum ; quanquam est & aliud negotii accessorium , excutere juxta edictum Regium bibliothecam meam , in qua memini esse Anglicas quasdam translationes . Istud non placuit celare C. T. quam fervet incolumem nobis & Musis Deus Opt. Max. Horsemii quinto Idus Augusti .

Cælio.

DEdi superioribus diebus unas ad te literas optime Cæli, quæ sint ne tibi omnino non redditæ, an verò ita, inexploratum est mihi atque incomper- tum prorsus, ut si quid aliud. Nam de te tuaque valetudine nullius unquam sermonibus certiori fieri mihi licuit ha- tænus, quod ipsum tamen scire fuit in votis maximè: Idem plane naufragium feci, eandem fortunam, vel dicam po- tius calamitatem expertus sum in literis ad Meccenatem meum an dicam com- munem nostrum herum sub idem tem- pus scriptis de pignorum ejus Celsitud. charissimorum cura: necdum enim in- telligere potui clarè, interciderint ne, an etiam tandem infelici genio ad ma- nus illius venerint. Id unum saltem animum confirmat meum, fore ut sint redditæ, nec tamen intellectum de iis quicquam, quòd tam gravi ejus humeris incumbente provincia, perpetuis nova- rum rerum & negotiorum fluctibus alios atque alios identidem trudentibus, ad hæc domestica, dñ Regis Inviētissimam per-

personam sustinet , descendere non queat . Hoc visum est tibi , amantissime Cœli indicare , ne me olim negligentiae præteritiq̃ue officii mei insimulare velis aut possis . Unum te nunc oro & obtestor , uti mei meminisse velis in hac mea egestate , vel Iro ipso tenuioris , quod ad rem nummariam attinet , & abest Bergamus , de quo mihi certa omnia receperas : & cæterorum ne unum quidem mihi saltem nummatum invenio , aut cui meam fidem probasse satis sit . Nosti quam tenuis mihi jam tum diceffuro fuerit summa . Nosti æstivum cultum esse mutandum , assumendum hibernium in hac aëris inclementia , ut taceam minuta alia , caligas , pileos , calceos , mulleos , & id genus . Quare te obsecro etiam atque etiam ut primo quoque tempore mei memineris , facies enim ex devincto devinciorem , quum in re modis omnibus gratissima , imò necessaria ad exolvendum æs alienum jam contractum , officium tuum præstabis . Vale optime Cœli , & me Meccenati meo de nota interiore commenda . Salutabis omnes nostros .

Marchioni Anglo.

Quibus verbis tuæ Celsitudini gratias agere debeam, non me hercle magis intelligo, quam quo pacto maris fluctuum rationem inire queam-quippe cujus hesterno patrocinio luculentum cumprimis atque adeò inexpectatum auctarium priori in me conferendo donativo accrevisse compererim. O verè generosum atque Heròicum pectus, & ad alenda excitandaque ingenia comparatum. Quid unquam ad demerendum genus humanum excogitatum fuit accommodatius? quid ad consequendum nominis & gloriæ (qua viro nobili nihil debet esse antiquius) splendorem illustrius? quid Deo similis, quam immerentes beneficiis occupare officiisque ultro collatis devincere? quid viro Principe dignius, quam immortalem meritorum gloriam gratuita munificentia comparare? quam aliorum expectationem antevertere? quam suo nomini respondere? quam id quod vulgò & passim bene audit, præstare, nusquam sui opinioni decedere, quidquam,

quam, finire? Ista omnia unico rarique exempli patrocínio in me præstito, cunctis innotescere voluit Tua Celsitudo, dum immerenti, extero, ignoto, & à literis prope nudo, ita hesternæ luce patrocinator, ob tenuè quoddam & exile in me literarum lumen, ut non potuerit amplius. Atque utinam à superis ea mihi vicissim concedatur facultas, ut Herôis tanti incomparabilem laudem digno præconio celebrare possim: certè inveniet non animum aut voluntatem, sed vires citiùs atque industriam defecisse. Interim Deum Opt. Max. enixè oro atque obtestor, ut tantum Herôem diutissimè nobis & Musis incolumen conservet, honoribusque amplissimis cumulet. Londini septimo Cal. Aprileis.

Martino Aedituo.

EXperior in me ipse proverbio quod dici solet, Inter sacrum & saxum hæsitare, adeò quid sim factururus prorsus ambigo: siquidem argumenti inopia monet ut à scribendo supersedeam; rursus observantiæ erga me tuæ & studii,

ne dicam familiaritatis, stimulus incitat me & compellit silentium abrumpere diuturnum. Itineris mei successum, tibi eram descripturus, frater amantissime nisi & prolixior foret narratio, quæ singula recenseret, & inutilis, quum uno verbo absolui id queat, qui salvus & incolumis mare, quod nunc à piratis admodum infestum est, trajecerim (gratia superis) Londinumque pervenerim. Quod omnes humanitatis, splendoris, & amicitiae fontes in excipiendo, tractando, & dimittendo me profuderis, immortales, quas neque verbis exprimere, neque re ipsa iis paria facere unquam possim, gratias habeo & quoad vivam habiturus sum. Salutavi tuo nomine D. à Lasko, cum quo, & Bernardino Occhino, Petro Alexandrino, Delenjo, aliisque nonnullis, honorario prandio à Cimbrico collegio nuper exceptus fueram: sciscitatusque est ille de tua valetudine, & ut se res haberent tuæ, belle omnia dixi; addidi quoque daturum te fuisse literas ad illum, si constitisset tibi vel de loco ubi degeret ipse, vel quod nondum repetiisset suos lares: Invenio virum verè virum, candi-

didissimum, modestissimum, judicii acerrimi, eruditionis singularis, pauciloquum qualis Homericus Menelaus, authoritatis eximiæ tam prudentia quam facundia ipsius dignæ, denique talem, qui decem Nestoras præstare potest unus, quos optat sibi Agamemnon.

Ὁ Παλασιάρχῃ τῆς Βρεῖτανίας, θεῖν' ὦν
 πατρὸς μητρὸς τῷ βασιλεῖ καὶ ἀδελφὸς
 ὁμομήτερι τῷ πεντέκτωρι (ὃ ζεῦ δ' ἰπποτρόπαιε
 φεῦ μουσαρεῦ θ' ἅμα καὶ βοδελυρεῦ τέρερι)
 μέρεα παυάσιμον πάρον, μὴ μόνον ἐνὶ φρεσὶ
 βυσσοδομεύων, ἀλλὰ καὶ αὐτῆντης μνονονχε
 τῷ βασιλεῖ ἐξύφαινε, ἀλλὰ μάτην καὶ
 κεινοπαυέδωσι. καὶ γὰρ τῷ δουλεῦ καὶ ὀλεθριῷ
 ἐπιχρημασίῃ ἀπέτευξε ὡς δέον, λέγεται γὰρ,
 θεοκαχεῖν ἐτελῆσαι, nosti Ovidianum illud.

Affectasse ferunt regnum cœleste gigantes, idque jugulis τῷ βασιλείῳ, Proregis, & Mariæ Regiæ, quam ad rem plures asciverat conjuratos, qui omnes una cum scelerato & funesto capite in turrim quam nominant conjecti, perfidiæ dicam an flagitii meritas poenas exoluturi propediem putantur: fertur enim ille noctu cum scelerata latronum manu regiæ fores binas clave referatas pervasisse, renitente tertio ostio, quod

G ; com-

commodum eo die repagulis fuerat munitum, & consilia dira hominis frustrante, mactato insuper cane regio qui priore nocte latronem prodiderat latratu. Hæc triduo isto acciderunt, plura brevi sciemus, posteaquam inquisitio in capita conjuratorum omnium quæ quotidie acris instituitur in perduelles, uti ex re est, cessaverit: meministi illius Ovidiani quoque,

— *Neque lex est justior ulla,
Quam necis artifices morte perire sua.*

Constat immensam domi illius pecuniæ vim esse repertam, cujus summa fidem omnium superaret, argumentum haud dubium *υασιλεισμός*: ipsumque in senatu proditorem nuncupatum, honorariis torque & periscelide esse exutum. Excusabis me D. Nicolao Middelb. quod grammaticam ipsius Italicam non miserim, tum quia fasciculus iste in nimiam molem excreverit, tum quia certus tabellarius qualem optarem mihi non fuerit. Salutem illi plurimam dices ex me & D. Andreae Nardeno, ac imprimis Penelope tuæ singularis humanitatis foeminæ, & Angelæ cum marito,
pa-

parentibusque tuis . Londini duodecimo Cal. Februarias .

Hadr. Inn. Martino Aedituo.

HERI à prandio tuas unâ cum Regiis literas attulit huc Fr. Teingus, quæ me totum gaudio delibutum reddidere (quanquam commoverit periculum tanti viri) quod Regis studium voluntatemque perspicere viderer: iis supervenere modò alteræ tuæ, quibus quo minus prolixè respondeam, facit puellæ ejus quæ tuas mihi reddidit præproperus abitus, quæ ejus in procinctu ad recurrundum paratæ festinatio, moram in scribendo omnem abscindere cogit. Parebo tamen tuis monitis meque tibi sistam ad biduum nisi tempestas prohibeat, ut communicato consilio statuamus quid in profectiōem parato factoque sit opus. Vale. Raptim Harlemō.

Hodsono.

QUAM vellem de tua profectiōe certio- rem me reddidisses, Hodsono.

humanissime : Fueram enim datumis in mandatis haud illubenti , ni fallor , tibi aliud : nunc quum ita elabi visum fuerit , pariterque erepta sit è manibus occasio , hoc te unum rogabo enixè , ut si ist hîc Orphei hymnos Græce possis ære redimere , aut usum saltem , in biduum impetrare , meo nomine id velis præstare , si κτήσι libelli obtinere liceat , id quod malim , refundentur tibi nummuli : sin' ῥήσι , rem tum facies longe mihi gratissimam : tametsi , quod ille ait , Leve sit onus beneficii gratia . Vale , meque commendatum habeto Jureconsultorum doctissimo & doctorum Jureconsultissimo D^{no}. Smitho , viro modis omnibus incomparabili , cui uni probari malim ego , quam Crassos superare divitiis . Raptim è Kinningala ipso die lustrationis deipare virginis .

Cornelio Poelenburgio Medico .

LIteras tuas tertio Idus accepi , novas cum prioribus fugitivis quæ è sinu matris futili elapsæ nec meæ nec tuæ expectationi satisfecerant : Ex iis justam stomachi tui rationem intellexi ,
quam

quam satis laudare non possum , utcunque ringantur quidam , aut factum hoc improbent. Certè fateor indignum erat impudens illud os atque adeò monstrum tanto antagonistæ , sed dignum rursus tali , qui impudentes illius rationes & lemmata destrueret , qui insolentiam compesceret , qui spirantem tantum non ambrosiam , ad scœnum revocaret. Proinde in eundem talem ille nactus fuisset *ἀντίπαλον* , Jovem ipsum cœlo deturbaturus videbatur , vel certè Jovis cognomen sibi assumpturus , quod olim medicus quidam apud Philippum Macedonem , Athenæo teste , sibi usurpavit. Cum isthoc hominem , qui plus satis prodige tuam , ut scribis , ambit amicitiam , si familiaritatem contraxeris , meo certè judicio parum rectè tuæ existimationi consulueris : occulta enim insimulatione gravabere , crederisq̃ue cum bellua colludere , nihil sui cum Palladis sacrario . Mitto ad te carmen in illum , *ἀντιχέδον* illud quidem atque rude , sed non sine stomacho effusum. Pelleçto libello tuo , responderam tibi epistolio , quod an acceperis , ex literis tuis scire non possum , ejus itaque exemplum hoc

ad te mitto . Cupit M. Andreas explicari sibi quo nomine Italicum idioma exposititios pueros donarit, certè si bene mihi constat memoria, abbandonatos eos vocari autumo : quæ quidem dictio (uti non es ignarus) etiam ad omni spe presidioque destitutos & velut ejectitios metaphorica lege transiit : videtur enim mihi lingua Itala plurimum delectari, in creatione nominum, translationum schemate : sic manigoldum hominem insipidum, insulsumque vocat, & si ita dicam betaceum, adscita nimirum voce Ligurum in coloniam Italiam, qua illi betam manegoldo vocitant, uti observatum à me olim fuit . Sed de his plura satis, tu si quid melius habes, admonebis . Ad reliqua, de quibus certior ille à me fieri contendit, certi nihil aut explorati in presentia adducere possum : imò tu alterum fortasse nodum rectius illi explicaveris, ut qui fueris (non ego) spectator crudelis illius supplicii apud Lutet. Parrhisiorum, quo rotæ incussu misellus ille, quisquis fuit, atrocissima mortis lege expiravit. Porro si qua in parte studium illius juvare poterò aut promoverè, de me pollicetor
om-

omnia , simulque plurimam illi salutem ex me dicito. & inter primos D. Nicolao Middelburgensi , parentibusque tuis , & Othoni jam castra in Hispania meditantī . Jam ut & id obiter auctarii vice attexam , non potui satis mirari tantum stomachi , tantum indignationis in sorore tua hærere , quæ ubi semel absente me literas tradiderat , alloquio solo non fuit dignata postea , ne dicam hospitali mensa . Hoccine novus thorus fastidium peperit ? Certè ut ejus natura visa est mihi semper ab omni fastu alienissima ; ita ægrè hoc quicquid est injuriæ concoquere potui . Sed hanc offensam missam facio . Tu verò valetudini tuæ da operam , ut nobis Musisque quam diutissimè vivas incolumis . *Et* *juvans* nunc hujus loci neque temporis est quid velim cogitem ve perscribere , aliàs latius . Libellum de Febribus tuum propediem ad te transportandum curabo .

Eidem .

ATtulit ad me hodie schedas aliquot meas mater una cum libello tuo a d-
ver-

versus vefanos Henrici illius Suetici articulos, quem & pellegi magna cum animi voluptate. Exosculatus enim in eo sum vividum ingenium & argutum, placuit mirificè varia conditura, variusque dictionis colos, acer es, pugnas efficaciter & validè, purè loqueris, totus denique non potes non placere, siue belluam illam suis depingas coloribus, siue plumbeum illius ensẽ refringas, siue *ρωποπώλιον* denudes, siue lotii inspectionem obnubiles. Maeste ergo virtute es qui taentibus cæteris Medicis, vel etiam conniventibus solus haud inultam pessimi nebulonis temeritatem sis passus. Vale.

DUO sunt cives in hac civitate clarissimi pariter & locupletissimi, qui communicatis operis, admirabili industria, indefesso studio, maximisque impendiis, machinam excogitarunt inauditam, eamque perpetuariam, rotam vivam appellant, quæ perenui motu semel circumacta rapitur atque cietur citra manuariam aut jumentorum operam, cujus vi quamvis ingentes & profundas paludes, lacus, stagnaque exinanire

nanire & in propinquos fluvios, aut etiam procul distitos exonerare: agros perpetuis aquis latentes, aut earum decursui obnoxios, ac propterea sterilitate perpetua damnatos, aridos & culturæ habiles reddere, elices ex omnibus in æditiora loca & infrugifera producere, fontium scaturigines ex imis fluviis aut rivis in colles arduos evehere, pollicentur. Cujus inventi usum maximum illi viri immortalitate longè dignissimi, Regiæ Mati. primo omnium deferunt, in ejus ditiones transferendum modo placuerit eidem Mati. indultum in decem aut octo annos illis concedere, quo sanciatum ejus artis imitatio in prædictos annos nulli imitabilis.

Cornelio Musio, ni fallor.

RE ipsa verissimum esse experior, peregrinante animo & curis districto, id est, neutiquam sereno, infelicem sequi carminum proventum, suumque camœnas denegare obsequium: id quod mihi nunc usu venit, qui dum operis distineor ac cementariis tignariisque vaco, penè à Musarum dulci consuetudine

dine malè feriatuſ excidi , planeque ad-
 verſas mihi & iratas Deas tantum non
 ſenſi : uſqueadeo cogitanti reſpondere
 ad lepidiſſimum tuum Epigramma, hoc
 eſt in amœnum illud Muſarum viretum,
 tibi cognomine , pedem inferre conan-
 ti , velut alieno atque profano illæ obſi-
 ſtere ac à limine ſummoveſe vix annue-
 re deprecationi pro amico capite meæ .
 Ita Deus Opt. Max. te quam diutiſſime
 Reipub. noſtræ incolumen conſervet .
 Raptim Harleſmo tertio Nonas De-
 cembreis .

Petro Nannio .

LIterarii munuſculi tarditatem &
 ſordes tam eleganti & laudum ubere
 epiſtola tam citò rependi admiratuſ fui
 vehementer , Nanni τῷ μουσῶν ἐκ ἀνδρῶν .
 Ut proruſ Diomedæ permutationis
 experimentum cepiſſe mihi videar ; cer-
 tè gloriæ & encomiorum verticem atti-
 giſſe me non temere exiſtimo , quum
 tibi vel ſoli placuero, quanto beatiorem
 factum putas acceſſione præclari testi-
 monii tot eruditorum hominum & qui-
 dem laudatiſſimorum , honorificè de
 Ju-

Junio sentientium, quod super pondii vice à te adjectum fuit. Quid enim pulchrius, quid dulcissimo laborum fructu dignius esse possit, quam à laudatis viris laudari? ut è diverso nihil stultius quam *καὶ εὖ φρονημάτων ἄνευ ἰσχυρίων*. Gratulor tibi, mi Nanni, quod dignum eruditione summa, dignum laboribus ingentibus, dignum otio literario, dignum te denique opimum sacerdotium liberalitate indulgentissimi Meccenatis nactus sis, quod otium tuum alat liberius, ut illa Nanniani pectoris *βιβλιοθήκη ἔμφυχος καὶ περιπαλὴς μεσότης*, quod de Cassio Longino Eunapius dixit, divitias suas orbi jam tandem profundat commodius. Neque enim rudem tunc meruisse te velim existimes, quum affatim otii *προφάσεις* affluunt, ut è certamine scribentium propterea secedendum tibi cogites, sed tanto majore contentione huc incumbendum ut liberalis otii causas orbi asseras, & Bataviæ nostræ supra Bœoticam suam olim despectæ gloriam ingenii monumentis latissimè extendas. Parturio ego nunc sex Centurias Adagiorum cum dimidiâ Erasimicis conjugendas, vetustatis omnis

nis *ταλαύματα*. Salutabis ex me diligenter nostri studiosos, & inter primos Vitalem incomparabilis (ut scribis) eruditionis virum, eò magis quod Fuggeris olim addictus fuerim in Italia iamtum agens apud illustrem Udalricum Fuggerum, tum *ἀδελφεόν* puerum, aut paulo maiorem, cui de meliore nota me commendabis. Vale. Harlemo.

Ioanni Beverovicio.

QUod ad ignotum ignotus scribam, vir ornatissime, non absque exemplo primus hoc facio, secutus magnorum & clàrorum virorum ea in re iudicium, eodem impulit & humanitatis officium, quod adolescenti isti, qui has tibi literas tradit, modesto cumprimis impendendum fuit. Causa hæc est; Intellego juvenem Harlemæum sacerdotii munere honestatum jampridem, vos relicturum. Cujus in morem moris est suffici alium, modo sit qui ambiat, quem non defuturum scio. Tale jus ambit iste, & quidem tanto potiore jure, quanto fortunæ calamitas semper à nobis est præstanda in digno capite: Huic autem
licet

licet à fortunis minus prospectum sit, discendi tamen desiderio flagrat summo, usqueadeo ut quidvis subire malit, quam à rectis studiis fortunæ iniquitate velut de gradu dejici. Penes te autem esse omnes boni agnoscunt allegandi jus, quem tibi cunque visum fuerit: sed tibi illi ipsi multum se debituros profitentur, hoc recepto, cui universi ordines, & universi cives favent. Est enim (ut modestissime dicam) dignus qui ametur, cui benè velit quisque, & cui etiam benè fiat, cum ob unicum singularis modestiæ exemplum, tum ob inexhaustum erga literarum studia ardorem. Has ego in eo dotes non perfunctoriè observavi, sed penitissime perspexi, non uno aut altero die, sed toto propè biennio, quo sub me militavit, cognovi. At tenuioris fortunæ est: heu insignem calamitatem; si tantum licebit cæcæ fortunæ, ut virtutes quoque proscribere & exterminare queat. Nam de præmio id existimare te scio quod fortes & sapientes viri solent, amplissimum rectè factorum præmium esse cùm ipsa rectè facta, tum gloriam. Certè si non aliud, humanitatis ratio (id quod

quod non dubito) te permovebit, quæ Aristotelem, illud Peripateticorum lumen, flexit, quum criminantibus amicis quod profligatæ vitæ mendico stipem affudisset, dixisse fertur, se non homini, sed humanitati donativum illud dedisse. Quod si ab Ethnico prestitum est, quanto xerò nos Christum professos æquiore esse animo par fuerit, in eos quos virtus commendat, fortuna sola deprimit. Talem autem esse hunc nostrum qualem depinxi, vel primore facie agnosces, depinxi verò, non, ut vellem, justis coloribus, sed monochromatiis tantummodo, non ambigens quin sui commendatrix abunde magna possit esse virtus ipsa. Quid, quod Senatus hujus nostri authoritas sacrosancta (id quod futurum intelligo, haud dubiè fidem suam probabit tibi & opinionem de adolescente conceptam justis verbis apud te deponet. Quo fit ut videam mihi multo esse minus laborandum anxie in commendando eo, qui per se ipse fit abunde commendatus, & tamen Senatus honorifico graviq̃ue testimonio ornatus. Itaque supersedeo plura verba facere, ne face (quod aiunt) solem illustrare velle

velle videar . Id solum præstiti , quod mea ejus interesse duxi . Vale , vir ornatissime , & hoc nostrum sive testimonium sive obtestationem boni consulito , ratumque esse velis & re ipsa comprobēs . Ita te Deus Opt. Max. præsidium & Meccenatem ingeniorum diutissime incolumem conservet. Harlemi.

Thoma Havardo Duci Nordfolciæ.

PLurimi referre quo pacta vitæ rationem quis instituat , nemo tam est fallis expers , tamue à sensu communi alienus , qui inficiari velet aut queat , propterea quod cujuslibet rei usus , ut ea vel rectè vel secus utatur , paginam utranque (quod de Fortuna non illepidè dixit Plinius) facere existimandus sit . Quid enim opportuno cujuscunque tandem rei usu vel commodius , vel salubrius , vel felicius , si eventum spectes , reperias ? quid contrà pravo ejusdem usu ineptius , quid valetudini magis inimicum , quid deterius ? Ille Hygiæ , hoc est , Sanitatis (quam non malè Æsculapii , medici nimirum , filiam , Pausaniæ testimonio , judicavit antiquitas)

co.

comes & affecla , sospitator & valetudinis conservator , morborum ingruentium profligator dici potest : hic noxam corporibus præsentem invehit , pyxidem illam Pandoræ malis omnigenis refertam diffundit , interitum etiam sæpe conciliat. Neque abs re medicamenta è veteribus quidam Deorum manus nuncupavit , si opportunè adhibeantur : alioqui Ates illius noxiæ & mortalium generi infestæ unci quidam & harpagones. Neque falsus fuit hac in parte scientissimus ille vates Maro , qui in lusu ætatis non senio , sed rerum omnium cognitione maturæ , balnea corrumpere corporum valetudinem , eadem rursus non modò non officire , verumetiam prodesse , disertis verbis cecinit. Si igitur Exc. T. æquis auribus me audire non gravabitur , auctor illi essem , ne tam matutinus intempesto tempore , nondum discussis dissipatisque solari jubare nebulis , quæ aërem obsident , Thermas accedat , non tam ob aëris nondum puri malignitatem , quam propter concoctionem nondum omnino perfectam .

Lu-

vicula illum tetigerit , quàm contagio aut serpens virus illum occupet atque insidendo exulceret . Proinde errorem apud te μελίτταν μυστῶν καὶ ἥρμυα χαρίτων tantisper deprecor dum aut negotiatoris nostratis recursus, cuius indubitata apud me fides est , quid sit actum ostenderit , aut ex tabellario reduce eventi rationem edoctus fuero . Quod ad me attinet , velim benignè tibi de me omnia pollicere , quæ quidem nostra tenuitas rudiore Minerva, haud ita ut tu, καὶ λεπτόν, præstare possit amicitiamque literis initam , cuius tu auspex extitisti , quam animo demensam & inædificatam habeo , ut modis omnibus tuear atque excolam , adnitar . Tu paucula ista , ab homine cui nunc ocii ad scribendum facultas non suppetebat , & vobis literarum Pentathlis impari profecta , boni consules . Vale , raptim Harlemon x v. Cal. Septembr.

Antonio Hovao Abbati Echternacensi.

SI mihi expedita fuisset ratio curandi ad te , Reverend. Antistes , literas , jam olim cogitassem de scribendo gratulan-

tulandoque tibi, capiti non amantissimo modo, sed & observandiss. honore isto quo te exornatum gaudemus omnes qui tuis rebus impensè cupimus. At quum tot locorum invia peragraturæ epistolæ tot impendeant discrimina, tot inextricabiles occurrant errores, totque itinerum anfractus difficultates eam facile deterreant, æquiore animo, dum hæc considerabis, nostrum silentium tolerabis, qui vix semel aut iterum vertente anno nuncium de te tanto locorum intervallo seposito, audire possumus. Posthac tamen aperta jam quasi semita quadam per claudum istum tabellarium, qua commeatus tutus pateat literis, dabo operam ut Junianas minus sis desideraturus; quid dico? quasi verò desiderium te istius Junii capere queat, hominis de multis unius, qui vix πολλοῦ μέρους eruditorum illorum, quos vetus illud Musarum domicilium Treveris, vobis vicina, alit, dici mereatur. Atque utinam fata mihi dedissent assiduo tibi esse comiti. Interea dum carmen ab incude nostrum, haud scio an tuis dignum oculis, concinnatur, contentus eris gratulatione verbis tenui, sed animo

immensa, qua tibi meritis tuis & eruditione præclara inferiorem dignitatem gratulamur, mactum te isto honore esse jubentes, & verè gratulamur etiam patriæ communi, haud falsi gaudii usura ex tua dignitate fruituræ. Precamurque ut in lucem Principum virorum jam evehatur, & illustrandi nominis tui latissimis pomœriis propagando occasionem nactus, virtutis tuæ splendorem longè lateque diffundas: deinde ut tibi fœlix faustumque sit munus peramplum, & gregi tuo nobisque tui studiofis omnibus bene cedat Deum Opt. Max. obtestamur. Vale. Harlemon x v. Cal. Septemb.

Marchioni Anglo, ut puto.

SUPERIORIBUS annis, vir amplissime, tua Excell. quum isthuc essem, receperat mihi se in mei commendationem scripturum literas (quandocunque vellem) honorificas, fidei suæ testes, ad Illustrissimum Principem Auriacum, id uti nunc præstare dignetur T. Ex. etiam atque etiam obsecro atque obtestor, novi etenim & multorum sermonibus in-

intellexi, quanta apud illum authoritate & gratia polleas . Habeo præter alia , præ manibus vertendum Suidam , opus ingens & maximi usus ad omnigenam historiarum & rerum omnium abditarum cognitionem , in quo eam navavi operam , quæ & mihi honorifica , & utriusque linguæ vetustatisque studiosis cumprimis utilis , atque adeò necessaria futura est , nam supra quinque aut sex millia locorum ex omnis generis autoribus petita , germanæ lectioni restitui immenso cum labore , quæ citra nostræ industriæ opem intelligi omnino non possint . Eum laborem , filio Principis, quem audio ad literas à patre destinatum , comparo, ceu unicum & locupletem rerum , quæ dixi , omnium thesaurum , id opus in lucem auxiliante Deo in lucem emissurus ante biennium . Proinde T. Ex. eo nomine commendare nostros labores poterit , ut sua liberalitate (Principum enim virorum est , adjuvare, alere , promovere, atque excitare præmiis studia) otium nostrum aliqua ratione benignè foveat . Poterit etiam T. Ex. si videbitur, obiter commemorare quid in re literaria præstite-

rim promovenda, editis tam multis libris non ingloriis (nisi mea me fallit philautia) ad varios Principes inscriptis: item quam iniqua mihi fuerit fortuna, erepto mihi in Anglia Ducis Nordfolciæ filio, cui, ut & patri, Medicinam factitabam: præterea nuper sublato Maximiliano Veriensi, Hollandiæ Governatore, hujus Præcessore, qui mihi secunda omnia paulo ante morbum addixerat. Sed desino sus Minervam docere. Is qui has à me T. Ex. literas exhibet, civitati nostræ à Secretis est, Pensionarii nominem notior: per quem si commendatitias illas mittat T. Ex. gratum id mihi erit, ut quod maxime. Vale, vir amplissime, cum pudicissima tua conjuge, & lepidissima sobole. Harlemo postridie Kal. Januariæ. anno 1562.

Petro Nannio.

H Aud facile dixerim, nec tu faciliùs multo credideris, eruditissime Nanni, quam mea me delectarit importunitas, haud quaquam inanis aut ociosa, quæ epistolam à te tandem expresserit
to-

roties iniquis votis exoptatam, ut è pumice laticem: solet enim accidere ex difficultate interdum gratiæ non parum: veruntamen nolim eam usque eò familiarem fieri, ut reticentiæ & materiam nactus & patrocinium invenisse tibi videaris, sic enim patientia nostra abuti velle judicaberis. Gaudeo vehementer mihiq̃ue gratulor, placere potuisse tibi epistolam illam *ἀντιχέδιον*, atqui expectaram sententiæ tuæ lucem plenius expressam, nunc verò laudatæ lectionis fumum quendam solum video; quid autem probes revera, offusa umbra nullus video. Commentarius meus ubi primum summam manum acceperit, te Aristarcho utetur, qui colophonem imponas. In primum Æneidos haud scio an sit quicquam in schedis meis, quæ per otium excusæ ubi fuerint, si quid tuis dignum oculis contineant, non supprimeretur: tibi admonito fortassis locorum felicius se suggererent aliqua. Sapientiam tuam videre glisco. Consilium illud tuū de Diana* incubatrice, non *ὀρσιλοχία* (ita enim Marcellini

* De Diana Orsilochia lege Hadr. Iun.
Animadverfor. li. 4. ca. 23.

Orsilodiam inter polo, rectius (ut puto) quam Lilius Orsilachen) primo quoque tempore edi mihi percupio ; nihil eo mihi poteris facere gratius : quanquam tecum ipse pugnantia sentire mihi videaris, quippe qui & ad lucubrationum, si diis placet, eruditarum æditionem illam adhorteris, & tamen rectè partus fotum consulas. Petreio optimè cupio, & felicissimè omnia cedere illi oppido quam lubens audiam, quem unâ cum Langio plurimum saluere ex me jubebis. Vale. Harlema, quinto Idus Octobreis.

Eidem.

EPistolam à te reddidit mihi Bayerus nuncius brevem quidem illam, sed tamen nivei tui pectoris notas haud dubias spirantem, in qua mollius criticorum judicium interpretaris. Tuum illud de Diana *αἰνυματώδης* olim apud me eodem, quo tu, modo ad Mecœnaris aut Principis cujuscpiam significationem retuli, sed quo elicerem, ut verum fatear, si quid forte aliter sentires, opinionem meam quasi præjudicatam perscri-

scribere distuli: Solet enim plerunque fieri ut dum arrogantius præjudicamus & alienam sententiam ad arbitrium nostrum revocamus, animis offundamus velut noctem quandam. Accedoque tuæ sententiæ in isto difficillimo patronorum liberalium delectu, idque in tanta præsertim eorum raritate: πάντες γὰρ τῶν χρημάτων ἥττονες εἰσὶ, Ἀριστὸς δὲ ποτὶ φασὶν ἐν ἀσάρεσσι ἔκ ἀπάλαμνον λογιεῖσθαι, χρηματὶ ἀνερ. Vale, & nos, quæ facis, mutuum amare perge.

Petro Vulcanio.

L Iteras tuas, vir doctiss. amoris eruditionis, officiiq; plenissimas, quibus aciem ingenii præstrixisse mihi videris, quantopere fuerim non semel exosculatus, quanta cum animi voluptate perlegerim, testes esse possunt non unus atque alter, quibus eas legendo præjui, non contentus tacita meæ voluptatis conscientia, ad exemplum fabulosi illius Candaulis: ratus omnino à præsentis jacturæ nomine alienam non fore tantæ eruditionis suppressionem atque silentium, quæ modis omnibus publicanda.

H 5 vi-

videretur. Itaque prolixitate sua, non aliter quam exquisito quopiam condimento, gratiores extiterunt: qua ratione Archilochi Jambos, ut quisque erat longissimus, ita optimos eos judicavit olim Comicus Aristophanes. Accessit & illecebra illa neutiquam ingrata, sed vel imprimis suavis, jucundissimæ consuetudinis olim Brugis initæ commemoratio, sed quæ, (proh dolor) parum diuturna & infirmo glutine coalita, mox etiam hiulca facile dissiliit, te (ut intelligo) incertis sedibus fluctuante, motoriamque fabulam agente, nec me multo diversius in Anglia varia cum fortuna luctante: Nam postquam Londinensis Episcopus (neque enim possum quin tuo exemplo obiter in fortunæ meæ narratiunculam efferar) qui me splendidis pollicitationibus, fumisque in Angliam quasi de naribus (juxta proverbium) trahebat, stare promissis non potuit, ob inclinata Regis in eum, per aulicos forices, quibus hæ res lucrosæ sunt, stulitia: evocatus ego à verè Regio juvene Comite Surreio Nordofolciæ Reguli filio, & quidem opimiore præmio, locoque honoratiore habitus, quid-

quidvis consecuturus videbar intimæ
ejus amicitiaë adhibitus , donec inversa,
(quod aiunt) testula ille calumniis ap-
petitus , capite oppugnatus , fortunis
eversus, sua ruina totam etiam familiam
involuit atque pessundedit : direpta
mihi præter locuples stipendium etiam
bibliotheca haud contemnenda . Ab
ea calamitate in familiam nobilis fœmi-
næ titulo Comitissæ fueram ascitus , &
honorario munere annuo stipendii vice
neutiquam vulgari ob navatam illi feli-
ci successu medicam operam (quam
omnis etiam Regionum Medicorum
turba inanem fermè ad biennium in ea
consumpserat) honestatus . Mox vi-
sendæ patriæ libido me huc quum trax-
isset . Veneris cesso irretitus, conjugii
capistro os dedere institui. Igitur Hornæ
patriæ meæ civitati Harlemum, urbem
solo cœloque peramœnam , prætuli , in
hac urbe (ut fit captus pulchritudine ac
verecundia venustæ puellæ , cui nomen
Maria Wilhelma Cæsarina , non destiti
quin eam ipsam tandem in matrimo-
nium ducerem , dote non parva auctus .
Itaque hæsi hîc uxoris rei studio ad-
dictus , spe liberorum , nec interim à

librorum partu liber. * Nam præter Cassium Medicum Latina lingua donatum, & Plutarchi Sympotica, Lexicon Græcum sex millibus vocum atque eo amplius auctum Edwardo Regi nuncupavi: eidem & libellum de Anno & Mensibus, Fastosque inscripsi: quem postea locupletatum Mariæ Reginae iterum dedicavi: ut Philippeidem Carmen Nuptiale Philippo Hispan. Regi. Libros sex Animadversorum Atrebatensi Episcopo, adjuncto de Coma commentario. Superiore anno octo Adagiorum centurias Maximiliano Veriensi Principi. Contraxi & Vastissimum Eustathii commentariorum Homericorum opus in unum volumen, quod Joachimo Hoppero destinatum absque præfatione mea, tempori non reddita, exiit. Nuper etiam in † Senecam Annotationes meæ prodierunt. Commentarium meum in Horatii Odas, jam totum quadriennium aut plus eo, Oporinus habet, pollicitus quamprimum prælo eum tradere, sed fidei vanus me invitissimo supprimit. Quem ego: Vide, vir doctissime,

* Catalogus Librorum à se vulgatorum.

† Annotationes in Senecam.

quo

quo extra cancellos digrediar, nimirum huc me pertraxit æmulum tuæ narrationis studium, qua fortunæ & mutati vitæ instituti, ceu testulæ inversionis rationem justis propemodum monochromatiis delineas, quibus à fontibus ad hanc famam profluxeris, unde tuus iste forensis labor ad summorum & auctoritate præstantium virorum existimationem dimanarit, lepide exponis. At quanto laus ista verior, gloria constantior est, quàm ubi vel imaginum commendatione, vel errore hominum ad honores obrepitur. Beatum igitur te judico, mi Vulcani, qui tranquillum otii portum, eundemque dignitatis tenere tam feliciter potueris, & quamringentibus nonnullis, tantopere gratiosus tam brevi evasceris, ut tanquam è coelo delapsus divinum hominem suspiciant cuncti. Quanquam id mirum videri non debet quibus cum virtus tua, tum animi moderatio, & ingenii dexteritas cognita sit. „ Neque enim „ latere velut in tenebris obruta potest „ insignis virtus, quin palmæ in modum „ caput efferat, contraque invidiæ de- „ primentis onus enitatur. Gratulor

igitur tibi quæ in clara luce Brabantiaë
atque in oculis nobilissimæ ditionis ver-
feris . At enimvero velut inanis rumo-
ris aucupio duci , ac gloriolæ putidæ è
vulgo umbram consecrari , levitatis cu-
jusdam desultoriæ proprium esse puto ,
ita generoso cuique animo innatam esse
decet veræ gloriæ appetentiam , ceu
honestissimum virtutis fructum , quem
qui repudiat , næ ille parum homo est .
Verum à diverticulo ad institutum ut
redeam ; Vulcanius ut Junio tantum
deferat , tamque præclarè de eo sentiat .
Vix me contineo quin exclamen , non
ut Tragicus , O cœlum , ò terræ , ò
maria alta Neptuni ; sed ad rem accom-
modatius , O felices infelicis causæ
vindicias oportune institutas . O feli-
cem Soragii in te occursum , qui veluti
Palingenesia quadam Pythagorica rena-
tam ejus in viri cognitionem renovavit ,
quem extinctum olim rebar , adeò nihil
usquam de te hominum sermonibus ac-
cipere contigerat . Macte ergo animo
Soragi , qui tanquam redivivum ab imis
manibus candidissimi pectoris virum fe-
liciter reddidisti : ita pro tuis meritis
vicissim precor cuncta tibi tuoq ; Delso
secun-

secunda , ut istius vindicis armis ac patrocínio partes vestræ ægræ ac labantes sanari confirmariq̃ue possint. Sed sentio plenioribus velis evectum me epistolæ modum transcendere , itaque collectis illis ad eam partem descendam quam de filio tuo in meam fidem recipiēdo agit : qua in re libenter tibi acquiescerem , si sperarem me vota tua implere posse in erudiendo tam præclaræ spei puero , quem ita depinxisti , ut mirificam quandam mihi lubentiam desideriumq̃ue injeceris vel cognoscendi saltem ejus : atque utinam qualem qualem utriusque linguæ cognitionem , quam tu nimiam mei studio provectus in me suscipere & admirari videris , insitione quadam veloci in tenellum illud plantarium transponere possem. Quod si gratificari ea in re tibi me posse scirem , ultrò deferrem operam , neque verò avarè arti pretium cum Ambivio statuo. Vale. Harlemo. 4. Jd. Martias. anno 1559.

Ioanni Lesio Rupellano.

Literas tuas Mercuriali sale tinctissimas , & singularis in me amoris notis

tis plenissimas, à tabellario mihi redditas, magna quidem cum voluptate, sed tamen (dicam enim liberè) non sine stomacho legi, neque verò injuria, quippe quum ad fastidium usque in meas laudes tam plenis buccinis eveharis, ut modestiæ fines propemodum transfiliisse tui immemor, ac Tragici illud studio videaris voluisse exprimere, φύσας γὰρ ἔσμι κερδοῖσιν αὐλίσκοις ἔπ, ἀλλ' ἀγέλαις φύσασι φορβέαις ἄτις, atque eò pigmenta omnia Rethorum, arcas, myrothecia, lecythos consumere velut data opera aggressus es. Infensas habeam mihi Musas omnes, nisi subirator fuerim (dicam ingenuè) tibi, quum tanto laudum cumulo (quem veluti struem quampiam operosè aggeris) me oneras quàm ornas veriùs, quibus tenuitatem meam longè inferiorem esse agnoscam facile. Sed danda est venia nostri nominis studio peccanti, haud deteriore jure, quam solet amasio in cupitæ puellæ nævis cæcutienti, alioqui Athamante dementior, & cornea, quod ille ait, fibra præditus fuerim si gloriam virtutis ac laborum honestum inprimis præmium repudiarem. Sed ô Deum immortalem,
quid

quid hoc monstri? aut hocine credibile est in undevigesimum ætatis annum tam absolutam cadere rerum cognitionem, tam admirandam eloquentiam, tam non triviale iudicium? Dispeream ni, tanquam Jovis quibusdam manubiis, perculeris atque obstupefeceris me ita planè, ut de flagitanda jam missione emerito mihi cogitandum putarim, atque in mentem venerit illud Plautini senis in Trinummo, Mihi quidem ætas acta fermè est, tua nunc istuc refert maxime, quomodo & præsens seculum & posteritatem demereri satagas. Felicem me terque quaterque, si non modò jucundissima tua consuetudine frui, sed & de optima interpretandi ratione differentes libros lectitare daretur. Quos ut publico non inideas, tam te sedulò adhortor, quam tu me obnixè de Horatianis commentariis perurges. Verùm sensere illi hætenus calamitatem insperatam, si non dicam potius indignam servitutem supra quadriennium apud βιβλιώτην (sic enim appellare eum indignitas rei me compellit) *Oporinum, hominem † Alöadum non absimilem, qui

* Oporini malitia. † Hadr. Iun. in Chiliad.

Alöadz .

ut

ut non sit indoctus, tamen ita multorum scripta eruditiora, underem sperat facere, in librariam suam officinam publicanda, si diis placet, congerit, ut nullus sit modus, sed eadem veluti injectis vinculis illigata apud se asservat, ut illi olim Martem compedibus manciparunt & detinuerunt, atque ita meam expectationem & multorum bonorū vota eludit flagitiose atque improbe. Pluribus scribere me prohibet molesta hostis pituita, quæ mihi negotiū facefferet. Elegia qua Divis Manibus eruditissimi * Amerotii sanctè pieque parentasti, mirifice perplacuit, atque in me aculeos etiam quosdam reliquerat, quibus excitatus decreveram & ego sacrosanctam ejusdem viri memoriam versibus qualibuscunq; honestare, sed deterritus Æschyli exemplo, ab incœpto destiti, is namque à fratribus rogatus ut in Deum pæana scriberet, hac occasione se excusavit, quod Tynnichum quendam fidicinem optime id præstitisse diceret, cujus carmini suum si componeretur, idem sibi eventurum augurabatur, quod novis simulachris inter vetera, hæc enim quamvis rudi arte dedolata, numinis

* Hadr. Amerotius.

dig-

dignitatem tueri , ubi nova quantumvis
dædala & artifice manu elaborata admi-
rationi quidem sint , sed divinitatis opi-
nionem nullam adferant , uti à Porphy-
rio in scripta relatum est . Vale , vir
doctissime . 1559.

*Hadr. Iun. Hieronymo Tennero Fride-
rici Dania Regis Cancellario .*

SI quantulum mihi ingenii est , quod
tamen perexiguum esse sentio , tan-
tundem esset & artis , & eloquentiæ ,
ut illius modulo , harum responderet
ratio , ornatiss. Tennere Cancell. plu-
ribus tecum agendum mihi existima-
rem , nunc quum omnia in me infra me-
diocritatem agnoscam esse posita , elo-
quentiam balbutientem , doctrinam te-
nuem , & fama fortasse majorem , gratiam
nullam , contra in te supra fidem majora ,
eloquentiam incredibilem , eruditionem
singularem , gratiam summam , non
parum veritus sum atque pertimui , ne
ridiculum me darem , qui disertissimum
provocarem scripto , ipse usu & ingenio
parum valens , & à patronis inops . Sola
comitatis tuæ conscientia animum mihi
ad-

addidit, & confirmavit quoq; dejectum, ut sperem adduci te posse, ne difficilem auditum veritati præbeas, & tantisper auscultes, dum neque inaniora scruter, neque altius repetam, quàm fides mea & integritas postulet ut rei evidentiam & energiam liquido haurias. Ita fiet ut & integritatis mihi ratio constet & nihil me cupiditati tribuisse animadvertas: nudus enim est, & quàm maxime simplex veritatis sermo, nullas offucias sui quærens. Non hîc nunc operam dabo ut proluxa dictione præstringam animi lumini, quando neque ejusmodi est dicendi materies, ut tempus trahere, orationis casses extendere, indagine cingere, ac irretire denique possim, aut etiam si possim velim. Proinde per genium istum tuum quem Musæ & Gratia finxerunt, te oro atque obtestor ut haud alio, quàm à me clarè & explicate dicentur, animo, candido videlicet, accipias ista & interpreteris. Superiore hyeme evocarat me Amsterodamum D. Cnop-perus, regno medicum quærens, de quæ voluntate mea prolixè mecum egerat, ibi tum præter statos accessoriosque proventus Academiae nomine, promisit
in-

insuper saltem ducentos à Regia Majestate Daleros , cum emolumentis asseclis : atque ita tum discessum utrinque fuit, ut voluntatem meam illi mancipio prope addixerim, cui rei testes accessere ejusdem M. literæ, liberali causa ad me scriptæ . Januario mense à reduce iterum evocor , advolo , repetitur animus regius nihil immutatus , adduntur prolixiora etiam promissa in posterum : denique edicit ut in quadragesimæ initium itineri me meaque expediam . Paro armamenta, & utensilia, quæ honorifice profectioni conducere arbitrabar . In itinere fuit semel atque iterum repetita stipendii honorarii mentio , neque alia , imò locupletior ferè , ne quid dubitarem . Habes paucis veram rem omnem, ne me tibi ob oculos noctem offundere velle existimes : imò jovem lapidem dejerare paratus sim , non alia fide rem transactam . Nunc ne sis nescius quid interea acciderit, dicam paucis , res , ut plerunque solet , ad plures emanavit , advolat sub quadragesimæ initium per expeditos equos Rosenbergus , qui Regis Sueciæ negocia illic curat , se inaudisse de vertendo mihi solo commemorat ,

rat, annuenti & si sui Regis partes sequi vellem, quingentos offert Daleros, sexcentos accepturo, si Guldesterrii adventum, qui propediem exspectabatur, operiri velim. Nego me posse ob aëris inclementiam, gentis asperitatem, & locorum longinquitatem extra nostratium commercia, suscipere provinciam. Jam æstima tecum an non insignis mihi fraus fiat, nam ut taceam quod gratificandi R. M. studio, opulentiori conditione renunciarim, etiam spes hîc ultro facta acciditur atque eluditur, testis Cnopperus ipse, interrogetur, fidei ne vanus, an compertus sim. Sed ut ut sit, dissimuletur ac mussitetur injuria ista, nonne æquum esset in ista gravissima hîc loci rerum omnium caritate, ob diminutum rei pecuniariæ valorem, meritò intendi potius quam deduci stipendium? Nunc ne quid ego R. Matis. liberalitati præscribere, aut cupiditati meæ tribuisse plusculum videar, tuæ ego præstanti authoritati & æquitati quoque rem omnem committo, ut & R. M. honori consulere, & meo nihil derogasse videaris. Vale, Regni decus, & studiorum studiosorumque patrone, ac Junium
clien-

clientem & re & consilio , quantum
potes , confirma. Hafnia .

Eidem .

MAndati tui fidem , ceu sacram an-
choram , secutus D.Cancellarie ,
postpositis meis ipsius seriis , nihil an-
tiquius duxi quam ut ipsemet conveni-
rem Bruxellæ Illustrissimum Principem
Auraicum , quod & feci , causæque
cognitione detecta , in colloquium ad-
missus impetravi ab humanissimo Prin-
cipe ad R. M. ipsius nomine scriptas
litteras , haud dubito quin tuam opem ac
patrocinium in re honesta & æqua non
fis denegaturus , imò lubenter imper-
titurus mihi , cur enim non ita dicam ,
quum in eandem me cum sorore unica ,
eaque vidua , fortunam venire , vel ad
eundem vocari reatum existimem , ita
ut idem communis causæ eventus
utrumque maneat , vel lætus animum
mihi daturus , vel tristis squallorem im-
missurus . Tuum erit oportuni tempo-
ris non lævam occasionem captare , &
quæ mollissima fandi sint futura tempo-
ra (ut Virgilianus Æneas) dispicere ,
ac

ac justis rationibus nostram causam, quæ tua est facilitas, confirmare atque tueri, id quod ut facias te etiam atque etiam rogo, utque affini nostra nauclero commodi & loci & temporis in exhibendo rescripto viam ac modum com-
monstrare digneris. Vale.

Petro Nannio.

QUod probari tibi allegorias meas scribis, doctissime Nanni, nihil mihi gratius accidere potuit, siquidem in rebus laudabilibus recte ponendum esse duxere veteres, à laudatis viris laudari. Paro ego in priores duos Odarum Horatii libros Commentaria, propediem, ut spero, ultimam manum expertura. Quod gratularis mihi, si modò patiar, vacationem à scholæ curis, est quod haberem gratiam, si patiendi vocabulum tacuisses. Quid enim non patiar, quod modis omnibus ambii? ambire tamen videri nolui, consilio ut puto neutiquam lævo, nosti mimum Publium, iniquum postula, ut æquum feras. Intelligere te puto quorsum tendo. Consilium relinquendi istius phrontisterii dudum apud
me

me presseram, occasionem bene gerendæ rei querens, quæ commodius se offerre, quam obtulit, non potuit; itaque ambabus eam manibus capillatam prehendi, avolare eam non permittens. Commodumque, ut interpretor, accesserat etiam valetudo adversa, quam incurri, quam metuentes Coss. ne in longum traheretur, atque ita vacaret schola, mecum pepigerunt. Morbum autem, cujus prætentamenta jam tum ante Palmarum festum (sive græcè mavis *ἐξοφεία* nostra) senseram, certus sum incurrisse me, partim ex intempestiva statim à cibo lectione, quam cogedis, ut expertus nosti, hora duodecima subire, partim è pedore intolerabili promiscui cœtus, alioquin nosti me rariori corporis textura hominem esse, & parum firma temperie, quam auxit etiam insolitus scholæ labor. Nec sufficit semel incidisse in morbum, quin denuo in idem malum prolaberer secundo quod acrius me lancinavit, quodque hætenus me laribus meis affixum detinet. Est ergo quod mecum gandeo, mihiq̃ue gratulor, teq̃ue mihi gratulari æquissime patior, non modo ob evita-

I

tum

tum ut spero præsens valetudinis discrimen, quam certus sum sinisteriorem inexpugnabilemque, si non mortem denique ipsam, incursum me fuisse, si diutiùs scholæ, minimè *χολαία*, assedissem, verùm, vel maxime ob recuperatam libertatem illam verè auream, & verissime à Jureconsultis inæstimabilem dictam; qua nunc demum revixisse mihi videor, tametsi, per valetudinem nondum ejus dulcedine frui licuerit. Quæ in fine adjicis aurium lenocinia, nullus accipio, nedum agnosco. Sapientiam tuam & Leges exspecto avidus. An tibi visa est Camerarii Sapientia Jesu Sirach, sive, ut alii, Salomonis? Accepi mense abhinc uno aut circiter patrium te solum revisurum, quod si fit, non dedignabere magnus hospes exiguis nostris penatibus succedere, & apud me divertere. Vale eruditiss. Nanni, & doctiss. D^{no}. Petr. Tiaræ Platonico nostro, simulque Langio plurimam ex me salutem imperti. Harlemi quarto Kal. Julias, & quarto ante natalem meum die.

Pe-

Petro Nannio .

EXiguum quoddam est & exile munusculum, quod tu tam magnificis verbis exornas, & liberalitatis titulo insignis, vixque te dignum cui majora debentur & quæ expectationem tuam exantlare queant: Cæterum ut ne gelu istud votis utriusque nostrum plus satis iniquum, etiam secundo spem meam moretur, differam in proximum tabellarii reditum, quod nunc decreveram mittere ἀποφενδὼν. Itaque cum proximis literis mittam ad te unâ, scriptos literis penè obsoletis Sta. Cl. & Per. in quibus multæ sunt notatu lectuque dignissimæ variationes scripturarum, missurus postea alia quoque, si tibi gratas fore istas munusculorum minutias intellexero. Vale.

Martino Formerio, ut opinor.

Temporis brevioris angustia excludor quo minus prolixè & pro meritis tuis singulis gratias agam, & tamen absterret mehercule pudor, ne cessem

defungi hoc ipso, licet vili & extrito gratiarum actionis munere. Cuperem equidem facultatem eandem mihi dari, quam tibi sufficit & quidem meritò virtus tua & liberalitas incredibilis, ut vicissim paria tecum facere possem: at tu beneficiorum, penè liberius dixerim, profusus, oneras me magis quam ornas. Certè longa ista meritorum beneficiorumque tuorum series, auget atque exacuit mihi sollicitudinem istam, & scrupulo quodam difficili pungit, ne ubi impingam ac ne quid aut ex amore aut ex judicio de me tuo deteram atque consumam, siquidem haud scio, neque si sciam facile dixerim, plus ne dignitatis opinionisque in perpetuum, an voluptatis quotidianæ adferat mihi tuus iste in me amor, tuumque de mea exilitate iudicium. Hoc solum dixero, me etsi meritorum certamine inferior sim, animo tamen non succumbere, observantiaque qua possum arctissima tibi devinctum teneri non inficior. Itaque immortales tibi gratias ago, paratus referre si suppetant vires. Eodem prope difficultatis compede irretivit me nuper Sonckius Consul vester, consanguineus me-

meus, vir prudens. Restat unum, ut utrumque vestrum exorare insistam, ut ad me proximis hisce diebus, dum calent Dionysia, advolare dignemini, ut saltem memoris animi amicitiaëq; scintillam redivivam excudamus. Vale, & consanguineo meo, cum humanissimo Theodorico Teylingo, Sonneveldio, aliisque honestiss. viris plurimam ex me salutem nuncia. Harlemo ipsis Idib. Februar.

*Idoco Hagano Pensionario
Hormano.*

ET si quod ad te scribam novi nihil habeam, per occasionem tamen admonendus mihi visus es ut meo nomine susceptam operam urgeas, nec id modò, verùm etiam ut exemplum sententiæ in Frisia lataë describendum mihi fideliter meo ære cures; quod quidem ut facturum te non dubito, ita rem mihi longè gratissimam præstiturum te putato. Vale. Harlemo.

Quirino Talefio Harlemaeo.

Officiofissimas tuas literas & humanitatis benevolentiaëque erga me singularis plenissimas accepi Idibus Juniiis, doctiss. Talefi, ad quas longo sane intervallo respondebo tandem, non tamen ita plenè & absolutè ut optarim; siquidem temporis angustia excludor, quo minus elaboratè aliquid ad eruditissimas tuas aures cudere liceat, urget enim tabellarii improbè flagitantis præsentia, maris recursum excusantis. Proinde illi imputabis cur justis finibus defraudetur epistola, vel, si placet, ipsi mihi, qui dum tergiverfor & diem (ut fit) eximo paulo occupatior, non appararim expeditas in omnem eventum & ad quamvis occasionem literas: quamquam mole literarum non æstimari à te amicitiam satis persuasum mihi habeo, ut cum qua pessime agi necesse sit, si sola magnitudo, non item veritas, omne momentum ducet. Sed ut veniam ad tuas, gaudeo serio & triumpho etiam quod fortuita nostra amicitia Londini primum inita, ita altas firmasque egerit
ra-

radices tantillo temporis , ut secura minimeque controversa videatur. Ego quantum in me erit eam excolere & promovere satagam , ut ne illi externæ injuriæ obnoxia labascant . Quod mei labores limatissimo tuo judicio non displiceant omnino, est quod mihi ipse grater , cui hoc elogium tuum incitamenti vice erit , ut lubentius impensiusque operam studiumque in literariis rebus consumam . Quod non gravatus fueris titulum incomparabilis illius Heröis mihi describere , magnam tibi gratiam habeo : & volupe est tam absolutam veri Principis *εἰκόνα* , qualis à te depingitur, qui ut est apud Æschylum *ἔδοξε ἄλλοις ἢ εἶναι θεῷ* , potiore longè illis Philostrati imaginibus , legere & intueri , lubetque eam in publica orbis pergula spectandam omnibus exhibere , non aliis pigmentis aut umbraticis lineis , quam quibus tu uteris , qui nihil auribus tribuis , veritati tamen omnia : alioqui alienissimus sum à Calliæ illius Syracusani ingenio, qui Agathoclis impurissimi tyranni historiam mendacibus titulis & impudentibus mendaciis asperferat, optimum clementissimumque;

Principem nuncupans, qui nihil esset minus: Itaque mirificus ille scriptor merito dictorio fuit notatus, quæ bona omnia tyranno tribueret, quemadmodum: ille civium bona nefario exemplo occupata, scriptori. Vale. Harlemon.

Hadr. Iunius Iano Douza.

IAmbos tuos non maledicos quidem illos & ἰὸν βάνοντες, sed medio de fonte leporum natos, sed gratia ac venere affluentes, attulit mihi tuus tabellarius modò, mi Douza, qui me delibutum, at non expletum saturatumque reddiderunt, quamvis pungant semel, sed non acerbo vulnere, quale impresso fugiens aculeo relinquit apes, sed cujusmodi punicea rosa, dum festinam virginis rapta sequitur manum, solet apprimere. O quam vellem Hygiæ Æsculapii filię vicem explere illi potuissent, ut pristinae valetudini viribique redditus, ad te Pegaseo efferri volatu, ventorumque æquare cursum valuisssem, sic nostram haud impune fidem accusares. Sed extra jocum: Febriculę nuper apud vos contractę nuncium remissi, superiore Mar-

Martis die , quo pugna victor excessi : cum tussicula interim malè mihi convenit , quæ litem in rem suam vertit. Vale & uxori , ac Moro lepidiss. salutem ex me plurimam. Harlemono Nonis Sept.

Gregorio Martino Britanno .

L Iteras ad Corenbeckium nostrum tuas , Gregori Martine , perlubenter legi , & avidis faucibus , pene dixerim , hausi , quod honorifice de me loquerentur , amanter , sed extra modum judicarent , ac pleno ore , & (si pateris) Sibyllino quodam raptu in meas laudes erumperent , vecordem enim esse puto . & vix hominem , qui non libenter laudes suas , præsertim à laudato viro profectas , tanquam dulcissimum quoddam acroama admittat : ad quas cur minus è Thermis responderim fecere continentes meæ occupationes dum in curando quodam depositæ propè spei generoso viro Ducis affini Bristoam excitus , totus abessem . Itaque consilium respondendi in reditum Londinum à merejectum fuit , ut in feriato quodam otio cum Musis in gratiam redirem , quo

I 5

cum.

cum venissem ac vires itineris molestia fractas colligere cœpissem, institutum meum, cùm amicorum officia, tum crebræ salutationes & necessarii in aulam excursus, interruperunt, oblitterarunt, & (ut Enniano utar vocabulo) penè expectorant, donec apud Rogerium Ascamum singulare literarum ornamentum (quum de puritate & elegantia Latini sermonis facta esset mentio) prolatis è pera nugis aliquot meis, simulque literarum tuarum priore parte, tuæ dictionis gustum illi dedi, legit ille cupide & secundis velis percurrit scriptum, impensiusque laudavit, ut Romanè pureque loquens: factum istud fuit à me peropportune, tum ut astipulatorem haberem mei de te iudicii, tum ut laudum mearum participem illum facerem, sed meliore ut spero omine, quam olim Candaules Gygen suum uxoriæ formæ conscium habuerit. Sed hæc hætenus. Censura illa tua de mea versione ab Aristarchea lima cerisque miniatis aliena, & perliberalis visa est mihi & quam indefessi studii, iudicii profundi, & sagacissimæ naris fidem faciat, eadem quod plusculum mihi tribuat,

buat, sed apud alienas aures ignoscere possum, odisse non possum, siue mei studio erraris, siue animum ad alia mihi conatus fueris addere, utroque certè nomine amandus mihi es plurimum: Itaque ut ea occasio amicitiae inter nos constantis in posterum auspex sit, etiam atque etiam rogo, ac proinde ut ne dedigneris esse *ἀγαθὸν φίλον* ineundae apud discipulum tuum, ad quem nunc eadem operâ scripsi, amicitiae, sedulo te obsecro. Vale, & Junium ama. Londino. Julio mense. anno 1568.

Philippo Surreio Comiti. S.

UT te literis meis salutem, ne id temeritate potius quàm consilio factum existimes, Puer nobiliss. in hoc equidem me teneri ex officio reor, non uno nomine, tum ut veteris clientis jam ab avorum memoria, ne nunc dicam paterni, munus præstem & quasi renovem, erga herilem filium tum ut genio tuo felicitatiq̃ue gratuler, & quidem geminæ: nam quod ad genium attinet tuum, locupletis testimonii vicem præbere potest scriptum illud quod ad ge-

nitorem tuum Illustrissimum nuper dederas, fidemque comprobant unanimis omnium qui te novere, consensus. Felicitatem verò metior partim ex genitura, qua virtutum omnium antesignanum, modestiæ, justitiæ, integritatis, morum, prudentiæ, & pietatis archetypum quoddam nactus es parentem, qui te omnigenis exemplis augebit: partim ex institutione literatissimi modestissimi-que præceptoris, qui te scientia & eruditione, veris animi bonis, tanquam alter genitor imbuere atque adeo ornare poterit. Maacte ergò animo & virtute pariter, Puer nobiliss. eo-que industriam omnem confer ut votis Illustrissimi tui genitoris, & expectationi de te omnium respondeas, quod non potes non facere, si literis animū excolas, quæ ut promiscuè omnibus, ita imprimis ornamentum addunt Principibus, quorum vita, publica quædam scena est, dum ceu in edito orbis theatro constituti, in omnium oculos occurrunt, atque observantur, quam decorè fabulam agant. Itaque fit ut in quibus illud eruditionis lumen reluxerit, augustiorem de se splendorem diffundant. Quare obnixè da
ope-

operam , ut quantum generis antiquissimi nobilitate , tantum dein etiam animi cultu æqualibus tuis præluceas , & magistri optimi vestigiis insistas . Ego certè si quid in me erit luminis aut ingenii , id lubentissime ad promovendos & alendos profectus tuos conferam . Vale . Londino .

*Ioanni Alberto Duci Megapolensium ,
Principi Vandalorum , &c.*

O Incredibilem sapientissimi & à cæterorum genio non infeliciter alieni Principis prudentiam , qui ubi alii terrarum orbem bellis exhauriunt , latrociniiis funestant , exactionibus inaniunt , solus fermè in utilissimam publicæ salutis curam & cogitationem incumbis , quando sanandæ jam affectæ scholæ reparandisq̃ue luxatæ artibus Pæonias manus adhibes & fulciendæ quæ labat Atlantem quendam te præstas , dum ab ingenii eloquentiæq̃ue fama celebratissimum quemque evocas , conquiris , conquisitos non pœnitendis stipendiis liberaliter foves : quæ res summam tibi dignitatem & solidam nulloq̃ue sæculo

morituram gloriam allatura est. Cujus
 certè singularis tuæ industriæ ac præ-
 claræ voluntatis in aquirendo Reipub.
 ornamento pariter atque emolumento
 locuples mihi testimonium tribuunt
 honorifice à te Princeps Illustrissime
 scriptæ ad me literæ, quas docti atque
 elegantis ingenii cliens tuus Gryphius
 attulit, iisq̃ue equidem non invitus ac-
 quiescerem, tuæque voluntati mos à
 me gereretur, ni dissuaderet declivior
 paulo ætas (cui parendum esse vetus
 proverbii religio monet) ni etiam longa
 otii assuetudo, postquam laboris scho-
 lastici impatientiorem effecit, me de-
 terreret, nominavi tamen unum aut al-
 terum muneri isti accommodum ac pa-
 rem, Gryphio tuo, si fortè manus da-
 rent eoq̃ue pertrahi possent, in quibus
 erat & Lambertius noster Medicinæ
 doctor, quem votis tuis responsurum
 confidunt, si ad conditionem descende-
 re minime omnium repudiandam (id
 quod futurum auguror) velit, Deumq̃;
 Opt. Max. precor, ut reipub. prosperè
 ac feliciter ea res eveniat. Nolim in-
 terim laudatiss. Principis voluntatem à
 me alienatam aut immutatam, si dum
 in-

ingenii imbecillioris modulum animo metior , & valetudinis in hac ætate infirmitatem , mecum reputo , suscipere provinciam honorificam reformidem , quando vel ad irrependum in opinionem hominum , beneque de humano genere merendum , vel extendendam longissime nominis memoriam , accommodatius quam hoc munus , nihil inveniri posse existimem , jucundissima tamen semper erit & regum fortunis anteponetur à me , dum vivam , perhonorifici ac liberalis judicii de me tui recordatio . Vale Princeps Illustrissime , quem nobis , Musis , ac Reipub. diutissime incolumem superi conservent .

Post exaratas ad te literas , oportune importuno tempore , quippe bidui intervallo incidi in eruditiss. Medicum Memmium , * quem virum rara ejus doctrina , singularis virtus , rerum & altioris philosophiæ cognitio penitior , & modestia facile tibi probare & unice commendare poterant , nisi prioris commendationis revocatio aut retractatio potius , levitatis cujusdam notam aspersura mihi fuerit , qui tamen ipse eo

* Petrus Memmius Med.

æquior videri debet, quo certius tuæ voluntati consultum expetiverim, tum etiam quod virum istum & coram sermonibus eruditis & è scriptis orbi publicatis arctius omnes apiculæ in morem pervolitet, auctores quos sequendos sibi arbitretur, combibat. Sed quid ingeniosus esse apud te insisto? quidûe sus Minervam. Vale vir eximie, & Junio uti cœpisti patrocinare.

Henrico Junio.

INcredibilis tua humanitas & officiosa sedulitas, Juni doctiss. facit ut te Mercurio quodam & internuncio Junius cognominis utar, qui cum intellexerim Comitibus dictum esse diem in proximam hebdomadam, nolui occasionem salutandi Crypii, quasi maturam messem piger agricola, è manibus amittere: proinde oratum te velim ut in tradendis illi hisce meis sedulo operam mihi tuam cômmodas, & eadem operâ studium omne meum illi deferas. Junium denique totum commendes. Vale.

Pe.

Petro Bloccio .

Versus meos , obsecro , ne jugulato Aristarche eximie , Juniomastix auditure , si pergas. Certè si ita res ferat , ab ejusmodi Ligurinis Momis parum mihi metuo , qui alienæ famæ luminibus obstruere conantur ; malletem tamen te sobriè magis & candidè , (sicubi peccatum sit humano more) indicium mihi per literas , ut olim , fecisse , quam dentatis susurris in aurem aliis obgannire , meoque nomini derogatum velle . Tu Textorem tuum Boccatiumque consulito , si placet , ecquid sit erratum in Amiculus , vox ne sit diminutiva ab amicus (id quod tuæ Musæ videtur placuisse) an pro vestimento , ab amiciendo . Vale καὶ εὖ φρονέων , tui memor cognominis .

Ghijsberto Heerman .

NEquo obscure ferre aut dissimulare , Ghijsberte charissime , meam interdum in scribendo tarditatem aut incuriam , quæ tamen non è fastu aut despectu

pectu nascitur, sed potius è quodam laboris tædio, quoniam animus multitudine scriptorum lectionisq; fathiscit, aut ad rerum indignitatem stupet, aut negotiis indies gliscentibus torpet: ita accidisse semel aut iterum existimo, cur minus responsum à me tuleris, itaque dabis hoc mihi & ignosces, non sponte delinquenti. Petrum meum ob temporis iniquitatem apud me continui domi, quod atrociora omnia & cursum rerum atque exitum principio simillimum animus auguratus fuerit. De Lamberto nuncio metus injectus erat, ne quid ei secius accidisset, eam suspicionem ex animo amoveris meo, gratiam habeo, sed quod sectæ studium fugam illi suaserit, vanum esse suspicor, quin potius causam referendam arbitror in fastidium temulentę uxoris. Arnolde salutem ex me nunciabis. Salutat te Petrus meus & uxor.

Thoma Havardo Nordofolcia Duci.

HESTERNO die, Illustrissime Dne. patrone, Londinum appuli, postquam vix tenui spe vitæ submersionem ab
atro-

atroce maris tempestate evasi , sed uti naufragi ad deorum templa primo se recipiunt , vota nuncupaturi , ita T. Ex. Vuidam Patris imaginem accedere , dextramque deosculari statueram , verum eam spem fefellit tua absentia , procul apud Nordovicum , incertum , an apud novum Mercatum subsistentis , qua de re si quid mihi certum aut compertum foret , moram nullam , quin T. Ex. adirem , interponendam mihi putarem , ut jucundissimo tuo aspectu alloquioque frui , & oculos satiare voluptate illa possem , neque enim tua benignitas omnibus decantanda ab eo fructu me excludi patietur spero , alimur tamen exili quadam spei bonæ aurula , de tuo in hanc urbem adventu sub Pascha , ceteroqui nisi solitudo quæ extero homini & soli periculosa formidine incutere potest , me deterreret , illico volucer alas sumerem . Interim absentis manum ea animi devotione adeo , qua in præsentem incursumus essem . Deus Opt. Max. tuam Ex. nobis ac Musis diutissimè incolumem conservet . Raptim . Londino x. Aprilis .

104-

Ioachimo Hoppero.

LUctatur ac pugnat secum animus ,
inter dolorem & gaudium medius ,
gratulari ne debeam magis ad majora
evocato , id quod fas postulat eum fa-
cere qui rerum tuarum successui hono-
ribusque faveat: an dolere, quod patriæ
ornamento orbemur , & ope præsidio-
que viduemur . Verum istam vulneris
acerbitatem communis Principis vo-
luntati ac desiderio condonare me par
est. Nunc accipe paucis quid de re mea
sit actum : Comitibus postremis itum est
ab omnibus ordinibus civitatibusque
unanimiter in Principis verba ac volun-
tatem de committenda mihi historia
scriptione mediocri autoramento , præ-
ter quam à solis N. malevolentiae ad-
versus me compertis. Tu explora San-
delici animum cujus ab ore cardo in illo
senatu vertitur , & à quo promanet
istud , quid rei sit . Indignum certè
tam florentem civitatem ita protervè
haud dubio malevolentiae argumento à
reliquorum ordinum consensu diversam
dissidere atque dissentire. Tu Atlantem
hic

hîc te præsta & ruinam authoritatis tuæ
humeris fulci . Vale . Haga Comitiss .
13. Cal. Decemb. anno 1564.

Gailelmo Crypio à Secretis Delph .

EPistolam illam dubiâ, hoc est, in qua
dubites plus ne humanitatis an eru-
ditionis fuerit, à te accepi, Crypi doctiss.
cui quo minus responderim effecit offi-
ciosa quædam mea diligentia & salutan-
di tui incredibilis &c.

Luca Fruterio Brugensi .

QUæ ex Epigrammatario festivissimo
poëta , jam semel atque iterum ad
me prescripsisti , ea omnia ut ab acutissi-
mo minimeque oscitabundo ingenio na-
ta, deosculatus sum impense jam insolens
& rarus ejus lector , videorque mihi in
nonnullis à tuis annotamentis haud
dissentanea annotasse , nec enim quic-
quam certi possum afferre &c.

Ma-

Malinao.

QUum superioribus mensibus Lovanii fortuito congressu in hortis Bussidianis apud Nannium communem amicum obambularem, vir doctiss. factis aliquot spatiis de re literaria inter nos actitatum fuisse memini, quo colloquio brevi quidem illo, sed erudito & comi, tantum mihi singularis tuæ eruditionis humanitatisque specimen opinionemque iniecisti, tantum quasi doctrine jubar diffudisti, ut mentis aciem penè perstrinxeris, sideratoque similem me reddideris, dum totam animi harmoniam vinculo quodam impeditam, cui admiratio ligat atque obsidet. I nunc & philtris ligandi animos vim inesse nega. Quid multa? Vivit etiamnum ab eo tempore fomes ille in animi quasi foculo insidens, qui me & voluptate quadam perfusum tenet, & ad ambitum tui favoris impellit. Nunc orandus mihi es, ut Philippeidem typis Anglicis efformatam, memoris animi testimonium benignè excipias, alterumque exemplum Carolo Imp. cui quod sis lon-

longè omnium gratissimus tua meretur virtus , exhibeas , ornésque verbis nostram operam, si videbitur , ita ut Cæsar tuis verbis intelligat , ipsum filii laudibus cumulatiùs laudari, earumque fructum uberrimum hoc quidem modo in ipsum redundare . Londino. 8. Cal. Octob. anno 1554.

Ioanni Boyfio .

GRAYITER sauciavit animum meum mors parentis tui amantissimi, quæ te affecit non mediocriter, uti ratio postulat, ac jus naturæ flagitat : quam non dubito, quin (quæ tua est prudentia) dolorem compresseris, rationem ratione, velut clavum clavo retundendo : ac violentum naturæ imperium, salubri inevitabilis mortalitatis omnibusque impendentis interitus recordatione compescueris. Non est quod lugeas necem viri constantis, & magno natu extincti, præsertim ubi animo expenderis irrefragabilem omniqûe animantium generi communem legem, qua nascimur, ut semel mortem oppetendam nobis cogitemus. Deinde decessit ille
matu-

mature senio & vieto, octogenario major, & eo dedum tempore, quo filium, extra lutum, quod dicitur, positum, ad magna natum, ad majora emerfurum indies videret, conceptâ animo spem crescentis fovens: quo nihil potuit accidere jucundius, nihil optabilius seni eiâque parenti, quàm in ea spe animam ponere. Sed hac de re nimis multa apud te. Porro mustitabamus plærique diu, quænam potuisset esse causa tam subiti, tamque inopinati tui discessus, donec hæsitatiōis istius caliginem discussit tabellarii adventus, qui te convenisse ferebatur. Habebis me commendatum Domino meo & patrono incomparabili D. Oratori, Et amicis tuis & nostris. Raptim Londini Breadwellæ in cubiculo Dominae communis. pridie Idus Januarias. A^o. 1549.

Martino Aedituo.

QUam grave animo meo fuerit vulnus non tam præsentia tua carere hætenus, quam per literas saltem nusquam te cognoscere, veterem concubium, studiorum sodalem intimum, amicum singularem, hospitem humanissimum,
ver-

verbis nullus queam exprimere, Martine candidissime : præsertim quoties animo mecum revolve, quomodo amicitia vetus illa nostra & consuetudo junctissima, ita non modo refrixerit, verum etiam consopita, ne dicam intermortua & extincta plane videatur : quod tamen ut per me non stetit, ita nec in te hæere culpam, testes esse possunt & integritas tua & excusatio apud fratrem meum olim facta .

*Ioanni Montonio Pharmacopæo
Tornacensi .*

NON video cur refractaria medicorum quorundam natio invidiæ (nisi me fallit opinio) oestro agitata, tuæ, Montonie doctiss. theriaces confectioni obstrepat, nolitque te beneficio Promethæo ad meliorem ejus coctionem uti, quum ignis ille furtivus si accesserit vitali solis jubari tanquam *πᾶρεργόν τι*, vim ejus efficaciorum, reddere valeat . Itaque ne actum agam, longè doctiss. medicorum Becani, Ronsæi, aliorumque recta sentientium judicio accedo, idque meo calculo, (si quid ille pond-

K

ris

218 H A D R. J U N I I
ris momentiū adferre possit) approbo.
Vale.

Antonio Poelenburgio.

Quia rustica vita, turbæ omnis est
nescia, vir clarissime, simul quia
famulus negat te quicquam inaudisse,
visum est tribus verbis te certiore de
tumultu Amsterodamensium facere.
Dic Jovis præterito colluvies homi-
num ignotorum perfractis templi fori-
bus primum custodes tuendo monaste-
rio relictos in fugam egit, mox stragem
altarum & simulachrorum ingentem
edidit, Franciscanos exturbavit, cuncta
profanavit: idem factura putabatur ea
nocte in templū quod vulgo Heyliger-
stede vocatur, nisi à prætore cohorti-
busque præsidiariis infessum fuisset,
postero die pari insania debacchatum est
in Carthusianorum cœnobium, quos
tamen non exegerunt quamvis templū
profanum reddiderint, ea colluvies te-
rrimorum hominum postridie disiecta
fuit per sagittariorum manum, com-
prehensis quatuor, qui mox discissis
vinculis liberati fuere, ubi primum in-
tra

trā mœnia adducti sunt , plebe promiscua cunctis exitium minata nisi evestigio dimitteruntur, cæteri natando effugere. Res in summum adducta discrimen ad arma spectare cœpit . Vale .

*Theodoro Langio Enchusiano Græcas
litteras in Academia Lovanensi
profitenti .*

NEgligentiam in scribendo meam & ipse vernaculum vitium agnosco, & tibi noxæ dedo, ut immitius etiam illam flagelles , si libet , vir humanissime, pariter ac doctissime . Verùm ut pars sanitatis est, cognoscere morbum : & delicti agnitio rudimentum est salutis , ita labem istam vel errorem expiare in posterum crebriore scriptione statui , atque id non otiosis & solum verborum limum trahentibus , sed rerum momenta ad rem literariam interdum allaturis literis : cujus rei *αἰτιολογία* nunc primum animum induxi , si prius maximas tibi gratias egerim quod Joannis Læsii doctissimi juvenis amicitiam mihi conciliaris . Dicam nunc secundis tuis auribus meam opinionem , quæ si tibi

approbabitur, justam victoriam consecutus mihi videbor, quod si assensum quoque eruditissimi Corn. Valerii merebitur, prorsus triumphabo. Vale.
Harlemo.

Petro Nannio.

QUod ad te scribam, mi Nanni, non habeo, quod mittam vix habeo, nisi, quod dum mecum cogito quid potissimum ad te, in mentem venerit mihi quam tu unicè erga veteres & manuscriptos codices sis affectus. Itaque rem me tibi non ingratam facturum putavi, si tibi ex *κειμηλίοις* nostris aliquid transmitterem. Mitto igitur opuscula ejus cujus nos omnes literariæ rei operatos, nedum te studio teneri par est, Ciceronis nempe Rhetoricos libros, manu non inscita exaratos, quos si tibi acceptos fore intellexerim, meque tali officio tua demereri posse benevolentiam, dabo aliquando & alios. Tuam interim ego nunc in procudendis meis operam, tuasque ceras miniatas & ungues vel maxime desidero, nos enim in nostris (ut nosti) plerunque cæcutire facit
splen-

splendida illa φιλαυτία. Itaque theatrum tale, cujusmodi Lovanium est, votis quidem ambio, sed invita, quod vereor, Rhamnusia, cogito tamen Dædaleas alas. Vale doctiss. Nanni, & nos, ut soles, ama.

Nicolaus Guldensterrio.

TAbellarii inopiam, aut argumenti penuriam, excusationis prætextum more nimium usitato, nullus admitto, quod eò velut ad asylum quoppiam confugiant plerique omnes, neque rursus altam tui oblivionem in me pro crimine recipio, absit ab amico procul ista labe. Aliena est ab animo meo ista excusandi religio. Quin potius motoria illa fabula tua, quam agis nunc Bruxellis, nunc apud Insulas (ut intellexisse me putaram) nunc Lovanii diversans, in causa fuit quur te epistolio non salutarim. Bene ergo à te factum est, qui priores partes tibi sumens, habitationis tuæ inditium feceris. Commoda itaque ista loci admonitio ansam dederit crebrius ad te scribendi. Literæ tuæ ad quartum Id. Janu. scriptæ, duodecimo

K 3

Kal.

Kal. Februarij à tabellario Lovanienſi redditæ mihi fuerunt, præſente tum fortè apud me Theoderici uxore, germana mea, cui tuas in manum dedi, cujus ex ore ita habeto paucis. Duabus abhinc hebdomadis atque eò fortè amplius, ait maritum ſuum curaffe perſeſcendos Antverpiam ad Florentium hoſpitem tuum triginta aureos noſtrates tibi numerandos, totidemque ad D. Nicolaum juvenem ſplendidiff. Inſulas. Quod poſtulas certior fieri (quod ex tuis literis intelligere mihi viſus ſum) an apud me locus tibi pateat, quoniam decretum tibi ſit huc ad nos commigrare, ita velim exiſtumes, amico capiti non denegari locum, modò ne anguſtiores tibi aut humilioreſ ſordeant noſtri lares, & ſi tenuis iſta mea eruditio te capiat, nam de pretio ſat inter nos conveniet. Vale feliciter. Harleſmo.

Arnoldo Birckmanno.

L Iteras tuas Arnolde ſuaviſſime quanta cum animi voluptate legerim, quoties fuerim exoſculatus, nullus facile dixerim. Renovarunt enim mihi
vè-

veteris amicitiae interpollem gratiam ,
& integritatis illius tuæ quam semper
magni feci & admiratus fui , memoriam
refricarunt , te quasi coram sistere mihi
visæ sunt : atque utinam tuam quoque
præsentiam diu nobis non invideres .
Videris interim me in literis tuis per-
stringere iræ tuæ fulmine , ubi me ne-
gligentiae supinae in altissimo ocio insi-
mulas, quod tamen postea mitigas osten-
sa ratione qua commissus error sanari
queat : At quod mihi impingis incuriae
crimen , cave ut in te queat relidi, certè
ingenuè aliquam culpæ partem in me
recipio , modò ne tu omni vacare velis :
equidem in posterum me docilem præ-
bebo , dummodo tu vicissim in eadem
opera respondeas . Cæterum quod ob-
jicis mihi beatum ocium , aut potius
ocii somnium , Tantali nimirum hortos
non agnosco , nisi fortassis tale mihi au-
gurato optas, talius dignum reris, ejus-
modi verbis prædicas . Quod ad aucta-
rium * Lexici attinet , est illud quidem
non perinde numerosum ut existimas ,
fuisse tamen multis modis auctius , si
justam operam præstitisset typographus ,

* Lexicon Græcum .

nisi tam fœdis cicatricibus deformasset opus eaque res alienavit animum meum à repastinatione; liberetque stomachum evomere in residem operarum socordiam, pro suo arbitrio temere fingentium atque confingentium male intellecta (dicam è multis unum, in calce epistolæ ubi in priore æditione erat, tum ut oculata fide loca investigare & nasuti isti, si diis placet, censores substituerunt, occulta fide loca investigare, cujus quidem generis infinita sunt alia) nisi scirem seram querelam instituere me, & juxta proverbium, post bellum adducere machinas. Per ocium tamen potes indicare Typographo justæ quærimoniæ meæ titulum, atque admonere etiam meis si videtur, verbis, ut majore cum religione operæ suam provinciam exerçant, tantumque sibi non permittant. Quod de Suida scribis, curam hanc in tuum usque adventum rejicio. Percupio enim te huc semel advolare, idque quo citius hoc gratius, multa enim habeo tecum communicanda. Tribus fere ab hinc mensibus scripsi ad clariss. D. Oratorem Scheiffium responsorias quibus oſcitantiam meam excusa-

vi,

vi, sed nihil etiamnum inde, paro nunc etiam alteras. Quod si quando convenieris eum, habebis me illi modis omnibus commendatum. Tradidi nuper Dickmanno libellum meum de * Anno & Mensibus fastisque prælo mancipandum quam citissime. Tradidi item † Lucanum varia lectione ad vetustissimi exemplaris ejusque castigatissimi fidem à me interpolatum, quem si quando sit animus potes eidem incudi subicere. Si quid habes rerum novarum, aut subolet tibi, impertias nobis in extremo prope orbis angulo seclusis. Vale. Harlemi ad x v. Kal. Maias.

* De Anno & Mensibus. † Lucanus emendatus.

Guilelmo Lindano.

LEgi hodie T. P. ad Arnoldum Lavunculum epistolam, è qua ut mirificum tuum erga me studium intelligere visus sum, ita modestiæ fines in laudando me transcendisse prorsus animadverti: in eadem expectatio tam sollicita mei ad literas tuas responsi valde me commoverat, animumque penitus fauciasset ni sollicitudinem eam mihi

K 5

ex-

exemisset dies adscriptus postridie Cal. Febr. qui prævenit meas, quarum nunc exemplum mitto. Interim summopere dolet mihi quod hominum perfidia, de quibus non male fortassis merueram, factum sit cur tuam ego expectationem fefellerim, & incuriæ, si non despicientiæ alicujus opinionem apud te incurrisse potuerim, ipse interim jucundissimo literarum tuarum reciproco fructu orbatus. Sed ne forte in me culpam hæsisse putes, en tibi ejus per quem meas dedi, hominis non proletarii, sed nonnullo apud suos loco, nomen, ut ab illo periculum existimationis petendum sit, Alardum Matthiæ (sic Ael Tiis 3. interpretor) Quæstorem Leuardianum nominari audio T. P. interim in bonam accipiet partem, curiosiorem istam & raram excusationem. Simulque oro & obtestor, ut fidem quam polliceris præstes ubi huc iter institueris, meosque licet humiles penates cum Pompeio facibus tuis pulsato hospitium tibi, si non dedignaberis, deligere ne graveris oro. Vale. Raptim Harlema ipso Pentecostes die.

An-

Antonio Houao.

Quem tu quæso, vir eximie, Therfiten mihi nominas? tametsi omnes in genere Therfitas quosdam in vita esse velit Aristides, quod dehonestamento potius quam ornamento huic vitæ plerique simus: quum tu magis insuperabilem quendam Achillem vitæ moderatione ac doctrina (ne quid tuis me auribus dare existimes) præstes. Nam quod naso te suspendisse adunco me reris, an ego tibi usqueadeo bardus ac ab humanitate alienus videor, qui amicissimo capiti illudam? dii prohibeant, ut in me ea cadat suspicio. Donum pomarium uxori mihiq̃ue gratissimum fuit. Miror quid remiseris libellum olim tibi donatum ne rediret, nunc postliminio ad te reducem excipies. Phoenix Voerthusii ad te proficiscitur, unâ cum epigrammate meo. Vale & D. Priorem quem miror tantopere à nostra familiaritate abhorreere qui non salutarit nos vel saltem uti canis Nilum, Blondelium, cui epigramma remuneratorium paratur, Promum Condum aliosq̃ue viros specta-

tissimos omnes ex me salute plurima impertias. Harlemo.

Eidem.

Sodalitium istud Musis operatum libenter admodum fuissem comitatu prosecutus, nisi otii difficultas impedisset, quod nihil in votis æque fuerit quam tua uti frui suavissima præsentia, & disertioris amœnissimo fructu potiri, usqueadeo incertus ut sim, illis ne magis invideam hanc felicitatem, an ingratis meis Musis succenseam, quæ negotiis ita temere addictum importunius involuerint, ut vix ad biduum respirandi spatium indulserint: abrumpam tamen (ut credo) brevi hanc Adrasteæ legis necessitatem, & ad vos excurram. Vale. raptim Harlemo.

*Frederico Simonio Enchusano
Consuli.*

QUI cum aliquo belli aut dissidiorum causas quærunt, aut instituunt, vel ultro apertum bellum inferunt indicta causa, vel per fœciales res repetitum
ve-

veniunt, nisi reddantur, aut nisi injuriis satisfidetur, bellum denunciant. Neutrum horum quum tu hactenus ostenderis, miror equidem quid fuerit causæ cur tacitis nominibus, nullo indicio facto, tuos olim mihi commissos, quasi aliud agens, non retinueris modo, verum etiam emoveris, non tam ea de causa quod id gravatè feram (cur enim non liceat tibi in peculio tuo, quod tuo jure maxime potes) sed quod nulla ostensa ratione, quasi indicta causa, me condemnare videaris. Aut nullus ego sim aut tu rationes emotionis prius explica, aut calumnias delatoris unius pluriumue, qui meo nomini detraxerint, ingenue declara nihil dissimulans, vel justam expurgandi mei petitionem ne denega. Nam quum famæ ratio unicuique nostrum debeat esse antiquissima, non video, cur mihi eam non summo tuendam opere putem. Si tu justam aut etiam voluntariam adferas causam, cedo facile: sin vitiligatorum ex occulto calumniantium insidias, me inaudito, facilibus auribus admiseris, da saltem cum Alexandro Macedone, alterius auris patientiam: sed si (quod reor) conjurati unius

alteriusve persuasionibus ducaris, licebit per me quiddem dum non omnino, meum nomen causa cadat. Quanquam non possum hic non detegere meam jam olim de hac re suspicionem, præfagiente hoc meo atque etiam dictante genio, non de nihilo susceptas plures Delphos tuas profectioes, elusum me toties fuisse, excusatas mei salutandi conveniendiq; , ob preclara scilicet quædam & seria negotia, frustrationes. Certe res ista tanti non est mihi, ut vel minimum quid commoveri aut stomachari propterea insistam, dummodo suspicione me liberares. Vale & amici rationem ne deferendam tibi puta.

Arnoldo Rosenbergo:

EN tibi libellum * Ænigmatum olim promissum tuoque nuncupatum nomini, vir clarissime, nunc tandem ab incude profectum. Hoc tu munusculum boni consules, & ab amico natum, benigno animo accipies. Si te scissem domi esse, adjunxissem unum atque alterum, quod ipsum tamen facturus sum,

* Ænigmatum libellus.

tibi

ubi de tua præsentia redditus fuero certior. Mitto eadem opera nostram Anaſtauroſin ſive Paſſionem Chriſti ſervatoris. Cæterum miror interim quid tuis promiſſis tam arduis impedimentum attulerit, cur nos minus inviſeris? an te fumus iſthinc aliquis, qualis apibus ſuffiri ſolet, abegit? Vale.

Voerthuſio Præſecto Daventrienſi.

IAm ſubjerat animum cogitatio quædam; aut ſuſpicio veriùs, ornatiffimum Muſarum delitium Voerthuſi, altam te Junii oblivionem traxiſſe, & quaſi πολλὴν τῇν μανδράζουσαν ἐκπιπαιέουσαν, quum ecce repente à te libelli duo allati & obſtriſctam fidei tuæ religionem exolverunt, & mira quadam voluptate me perfuderunt, plane me beaturi quoque, & immortalis ἀμβροſίας ſucco delibutum reddituri, ſi vel περιπλήγης literas ad Hopperum Juris (ut tu venuſte cenſes) Antiftium, adjunxiſſent, nam decretum erat omnino Bruxellam quamprimùm illis comitibus evolare. Sed hanc curam tuis negotiis ſeriis facile condono, à quibus ſi pauxillulum reſpi-

spirare detur , per Musas communes istam opellam abs te (quem ἡδύμειλῃ αἰνέδναι μουσῶν cum Aristophane vocare liceat) impetrari non gravatim concedes . Vale , vir ornatiss. tibi que devotissimum Junium , quo cæpisti affectu , prosequi perge . Raptim Harlemo .

*Friderico Simonio Enchusano
Consuli .*

S. P. **Q**UOD tuo nomine , hoc est , alieno fidejusserim , malè hîc audio , sed istorum petulantem maledicentiam facile contemno quum tibi gratificandi tuamque gratiam demereri potestas est . Tu interim cura ut primo quoque tempore huc accurras & ab Hasselario debitore tuo te explices , meque pariter evolvas , ne tuo nomine lubricæ fidei reus arcessar . Sicubi aliâs tuis prodesse commodis facultas erit , me tui studiosum tibi pollicearis velim , ut pote apud quem beneficii gratiam non perituram sperem . Vale . Raptim Amsterodamo , eo namque ut proficiscerer , adegerunt me Arnoldi Joannis Verba , qui te adhuc Amsterodami me
offen-

offensurum non dubitabat inde rediens.
Salutat te Arnoldus Bouwerus hospes
hoc vespere meus .

Tuarum rerum studiosiss.

*Hadr. Iunius, Thenderico Deynio
Nardeno, Senatori
Mechliniens.*

QUI has à me tibi tradit , V. CL.
cujus causam superiore bruma tue
equitati commendaram, postquam mo-
dis omnibus sategit transigere contro-
versiam cum uxore, quam habet effrena-
tè imperiosâ, moribus ipsius minimè ac-
commodâ, & Bacchis suis oppidò plus
addictam , neque tantillum proficere se
vidit,oblatis etiam conditionibus æqui-
oribus , quas illa obstinato animo pro-
positi sui tenax respuit ac de solito rigo-
re nihil remittit , & ne micam quidem
de communi peculio impertit : is nunc
tandem postliminii jure ad vos redit ,
experiri cupiens quid jus , quid æquitas
ferat , eam ad rem vestros calculos im-
plorat , patrocinium in caussa , nisi sit
justa, nullum expetens. Ad quod ipsum
quum te Senator ampliss. proclivem
ani-

animo adverteret, huc me quoque scip-
tionis impulit, existimans nonnihil etiã
momenti ac ponderis meis verbis sibi
accessurum. Itaque salutaris civis
functurus officio, bonum civem, qualis
mihi visus est hætenus, & cui fieri injuri-
am universi apertè mussitant, protegen-
dum tibi que commendandum negligere
non potui, cui ut non defuturum te
causa præsertim justa scio, ita Junii quo-
que obtestationi daturum te nonnihil
confido. Porro causam ex ipsius ser-
monibus discēs planiùs pleniusq; quam
ut à me explicari possit. Vale. quarto
Non. Aug.

Hadr. Iun. Hermanno Rubrio.

SEmel atque iterum salutem mihi im-
spertiit à te communis amicus qui has
tibi tradit, Hermanne optime, quam
ob rem gaudio non vulgari perfusus fui
ac cumulatus: itaque mihi gratulor
quòd te sospitem atque incolumem è
tot numero amicis quos calamitosa ista
tempesta absumpsit, superesse intelli-
gam: quanquam nuper affigere animum
ac percellere idem cœperat, injecta
men-

mentionem de averſa tua & ægra valetudine, qua & ex literis & ſermonibus nonnullorum didiciſſet te repente fuiſſe oppreſſum: Sed quum respirare jam te atque à morbo recolligere addidiſſet, ægreſcentem mihi animum rursus confirmavit, quę valetudo ut ſit conſtans tibi & perpetua precor. At utinam rebus feſſis, malisquę iſtis publicis & quidem fatalibus finem aliquando tandem Deus faciat, quoliceret inter mutuos complexus præteritorum laborum jucundam memoriam refricare, lubentibusquę animis ſepelire, ad quam rem ſoleo in familiari cum amiculis colloquio affirmare, nihil opportunius prudentiusquę ad ſedandum ſopiendumquę diſſidiorum incendium potuiſſe excogitari, quàm ſi renovato veteri Athenienſium exemplo, memoria omnis diſcordiarum ſempiterna oblivione fuiſſet obruta, aut ſaltem ſi unius alteriusquę ſolum interitu crudelitas fuiſſet expiata & procurata, atque ita jaçtis concordię fundamentis, ac pace cunctis reddita, intra eos cancellos coërcita fuiſſet indomita iſta ſæviendi libido. Verùm aliter viſum fuit ſectoribus iſtis & ſævitię

ar-

architectis, coelum Gigantæo tantum non more oppugnantibus, quorum conatibus illudet tandem spero vindex Nemesis. Sed ut exitus quem optamus felix aliquando divinitus rebus contingat, votis precibusque orandus est Deus, ut conversa in miserationem iusta ira nos respiciat, mitiusque nobiscum statuatur. Vale. Vale.

*Hadr. Iunius Ioanni Molano
Theologo.*

QUEM ad me dedisti libellum, placuit, cum argumenti genere, tum multiplicis lectionis opibus, acceptissimus, in quo (quia mutandi demendique potestatem mihi facis) qui supercilio censorio uti velit, aut miniatis ceris Aristarchæam authoritatem usurpare, nã idem modius fidius Icareæ fretus audacia Oceanum transmittat alarum remigio, quanquam huc hortari videaris: sed eam operam oneri impar deprecor. Consilium de edenda Batavia mea in aliud opportunius tempus differo, quæ de re locupletius ad te scribam aliàs. Vale.

Hadr.

Hadr. Iunius Iohannitarum cœtui.

O Missis verborum ambagibus lenociniisq̃ue, Areopagiticum institutum persequar, remq̃; ipsam vobis, Patres, reverendi ob oculos ponam, ne videar per anfractus & circuitiones velle irreperere, fucos facere, aut insidiarum diverticula quærere, quo sic demum quid vos facere velim per epistolam admonere. Editæ est à vestri sodalitii nonnullis tristis malique exempli res & crudo agitata consilio, in vestri gregis membrum, atq̃; ita Tragicis modis in publica urbis scena expressæ ut multorū, qui neutiquā vobis iniquos gerere animos existimantur, mentes commoverit & exasperarit etiā, reputantiū apud se quā clandestinæ factiones & Sathanica odia in Cœnobiorum lustris pullulent, ac pernicioso exemplo noceant. Injectæ fuerunt intempesta nocte uni è vestro contubernio catenæ, ferreis manicis oneratae manus, compedibus vineta crura, per varias illusiones toto noctis spatio habitus, in vehiculum plena jam luce cum vili lacerna protrahitur, à merce-

naria

naria licitorum turba obsessus, medias per urbes invehitur, non in carcerem quem habetis non unum corrigendis flagitiis aut castigandæ proterviæ paratum, sed in arcem exteram, proscriptionis perditisque destinatum domicilium, includitur, indignum ita atque acerbum bonis omnibus spectaculum exhibens, foedissimoque ludibrii genere cunctorum in se oculos & ora convertit, non pro sacerdote habitus, sed ut latro, ut incendiarius, ut perditissimus omniq̃ue scelerum immanium genere coopertus nebulo, jactatus. Atque ista quidem omnia citra liberum capitis assensum, nisi si fortè comminationibus nonnullorum extortus ille fuerit & expressus: Liberum dixi capitis assensum, quòd ille quem pro capite habere solemni jurejurando obstricti tenemini, (nisi ille rupta sacramenti reverentia in ordinem coactus sit potius) disertis verbis me coram questus fuerit, pullos accipitre superiores esse, nimirum superbum, iniquum, ne dicam impium vestrum imperium tacitè innuens. Ista luce meridiana clariora sunt, neque in dubium vocari possunt; attamen credibile, imò in

in ambiguo non est , è vestro sodalizio unū, qui magnos sibi spiritus sumit, concepto vetere atque altissime in medullis imbibito odio eoque plus quam Vatianiano , simulates cum isto compedito gessisse hactenus , illum capite oppugnasse , & per emptas immicitias ut adversarium de statu deturbaret numquam quievisse , neque modum ullum facere furori , donec rabidam sitim expleat , hirudinis more , cujusmodi hominem ad sanio rem mentem revocari , per vos & commoneri , exempli publici interest , ne contages latius in gregem nondum donis & conniventia corruptum proserpat . Iam cogitate apud vos , Patres , & animo advertite , quam pudendo totius ordinis vulnere ista agantur , ut qui crucis , quam palliis circumfertis , hostes oppugnare religiosè tenetur , nunc in sua viscera grassetur , atque desæviat : qui Evangelica lenitate oves in ovilia colligere solet , nunc Barbara quadam feritate dissipet , dilaniet , lupisq̃ue vorandam unam objiciat . Quid potest esse acerbius indigniusq̃ue quàm clanculariis odiis famam vitamq̃ ; alterius lancinare , quam confutis &
fa-

fabricatis pro libidine criminibus ab-
 sentem, qui innocentiam suam defende-
 re nequeat, flagellare, traducere inau-
 ditum, & indicta causa condemnandum
 involuere? quid hostilius funestiusque,
 quid à fraterna pace, quam jurati pro-
 fitemini, & concionibus publicis incul-
 catis, alienius, quàm prætenſa manu
 altera amicitiae laurum ostendere, alte-
 ram occultis armis instructam abscon-
 dere? Perpendite diligenter nihil quid-
 quam esse ad ordinis perpetuitatem fir-
 mius, ad colendam conservandamque
 amicitiam opportunius, Concordia,
 quæ ut parvas res alit & confirmat, ita
 nisi ea adsit, quantumvis magnas facile
 evertit, nullum tali muro tutius numi-
 mentum: prudentissimeque factum à
 Sciluro Rege, qui ligna in fasciculum
 conligata, infracta vim respuere osten-
 dit, separata haud difficulter confringi
 posse. Considerate quo ab ore manarit
 dictum illud, Misericordiam volo, non
 sacrificium: quæ buccina illud cecine-
 rit, Vos qui spirituales estis, instruite
 in spiritu lenitatis. Estote imitatores
 Christi, qui rerum omnium arbiter,
 convitiis verberatus, maledictum non
 re-

regeffit: plagis consciffus, non repugnavit: id quod eò dico, non quòd proterviam ab illo captivo vobis factam profitear, fed ut injuriam, fi vel facta fuiffet, diffimulari remitti que oportuiffe, neque fufcipi vindictam debuiffe agnofcatis. Revocate cum Encœniis veftris, quæ nunc annua celebratis, Zachæum è Sycomoro arbore, à gratiæ finu haud alienum ne excludite, ut verè occini illud poffit, Salus hodie huic domui obtigit. Proinde ne vos longo verborum tractu morer, fi confultum veftro honori cupitis: fi ordinis famam fartam tectam vultis: fi ignominiam, quam ineluctabilem ne incurratis videntum vobis etiam atque etiam eft, profligare fatagitis, nolite exitialem tedam pofteris prælucere, aut ifti sæculo nimis quam oculato accendere, quin me authore & confultore funeftam iftam facem reftinguite, inteflinam fimultatem obruite, in concordiam redite, & amicitiam pacemque per malè conciliata nonnullorum ingenia divulfam refarcite: quam vobis mentem à patre luminum infundi, votis feriis exopto. Valete.

L

Fran-

Francisco Amérongio.

EPistolam tuam variè picturam, & omni verborum copia & apparatu luxuriantem jam pridem accepisse non inficior, melitissime Francisce, sed cur ad eam seriùs ac veluti decurso postliminii jure respondeam, in causa, fuerunt multæ magnæque occupationes meæ, & præter has absentia sperato diuturnior. Fuit quidem illa, ut tribus verbis apertè citra ambages dicam, lectu mihi perjucunda, uno tamen importuna ac molesta, quòd in laudes meas effusior, plusculum meis auribus tanquam prurientibus dedisse videatur: nisi fortè ex immoderato cæcoque mei amore profectum esse istud quælecunq; studium suspicari libeat. Ceterum, quæ per Deos immortales, obsecro, dysopia te deterreat, quive pudor dimoveat à compellando Junio, à provocando eo in scribendi palæstram, id quod tanto verborum flumine, gravitate atque elegantia excusas, tanquam ad thesin declamaturus? adeo ne tibi Jovialis volucris ingenium videor induisse, ut

te

re scarabæum facias? quin tu (id quod Deos etiam ut detestentur atque aver-
tant, precor) omen istud obruis ac ca-
ves, ut tu mihi scarabæum agas, à quo
ne Jovis quidem fulguratoris gremium
adversus morsus pericula tutum fuisse
loquitur apologus. Quin tu potius ve-
recundum istum ac timidum pudorem
(qui tamen desiderii ac cupiditatis solet
esse plærunque moderator & tempera-
tor) ut exveres abjiceresque orarem,
nisi me ipsum totidem literis & puderet
& pigeret tarditatis istius in rescriben-
do, quod peccatum ut mihi condones,
sive ut rectius significantiusque dicam,
magnis meis & incredibilibus occupa-
tionibus ut imputes flagito, quæ solent
interdum mihi conciliare communem
cum Lupo cervario oblivionem, cui
ingenium esse prædicant naturalium re-
rum ventilatores, adeò veterinosum ob-
liviosumque, ut mandenti etiam in sum-
ma esurie, si vel reflexerit oculos, cibi
oblivio subrepat, digressusque aliud re-
quirat. Intellexi ex fratre tuo pectoris
te angustia urgeri & spiritus difficulta-
te, qui me nuncius non leviter commo-
vit, animo reputantem multiplex inde

periculum : speraverim tamen clementius esse malum è crassa viscidaque pituita , studioforum hoste , natum , neque ita profligatu pertinax, ad quod depellendum haud facile præsentius aliud autumo, quam sit Helenii radix condita commansaue jam decubituro , aut botrys decocta, cum hyssopite vino inlatoe ; sed quia mali origo fratri quam mihi non minùs erat incerta , superfedeo plura dictare , dum certiora indicentur . Vale .

Francisco Londinensi Medico.

QUI non recta via ad inanes honores & fucatam gloriolam aspirant , vir doctissime , nã illi , meo quidem iudicio , videntur cœlo oppedere atque Giganticè illudere , aut in exemplum trahere factum Herostrati ambitionis plenissimum , aut saltem Pausaniam Philippi Macedonis percussorem imitari , in utroque certè mendacem neque veræ virtutis comitem gloriam venari : quando ille ut latè famam extenderet , Ephesinæ Dianæ nobilissimum fanum incendio corrupit : hic impulsu Philo-
sophi

sophi qui famæ quærendæ compendium per necem illustris Principis commonstrarat, Regi suo manus intulit. Neque verò absimili ratione famæ aucupium affectare apud credulas indocti vulgi aures mihi videntur, qui Galeni sacrosanctos manes, ad exemplum leporum jacenti Leoni insultantium, proculcant, traducunt, illique imperitiæ dissectionis humanorum corporum maculam aspergunt: dignissimi qui eodem tollantur supplicio, quo Ptolemæus rex Homeromastigem Zoïlum, qui multis antè sæculis morte defunctum incomparabilem poëtam laceraverat & virulentis scriptis flagellarat, affecit. Equidem varias excogitari posse rationes, cur in Anatomicis libris seipsum corpora dissecurasse non prodiderit expressis verbis (id quod ingeniosi isti, si diis placet, vitilitigatores offundunt) existimo, quas brevitati consulens silentio prætereo, veluti illam, ne evisceratrices suas manus & humano tabo manantes, tanquam lanista, non scriptor, delicatis lectoribus objiceret. Sed dicant mihi quæso quam ob aliam causam dissectorios libros peculiari minimeque

otioso vocabulo & titulo *ἀντομικὸς
ἑγχεσίτης* nuncuparit, hoc est, manua-
rias (ut ita dicam) in dividendis corpo-
ribus tractationes & munia? Mihi cer-
tè dubium non videtur, aliam quæsitur-
um fuisse illius operis inscriptionem,
nisi voluisset etiam manifestè videri
ipsius *ἑγχεσίτης ἀντομικὸς*, nimirum ma-
nuarius dissector fuisse, alioqui mendace
titulo fucum lectori facturus. Adde
quòd videor mihi memoria, licet mi-
nùs præsente ob diuturnum istum à
Musis meis exilium, tenere, Galenum
alicubi disertis verbis docere quosdam
musculos qui in simiis (in quibus disse-
candis præclari isti argutatores totum
fuisse hariolantur) ne visantur quidem
omnino: deinde alio loco scribere se in
bina interfectorum in montibus corpo-
ra casu incidisse, quæ dissecuerit. Cæ-
terum quod commonstrare in præsentia
non datur, id me aliàs, ubi cum Musis
meis in gratiam rediero ostensurum li-
teris ad te non diffido. Vale Londini
tui decus. Londini v. Kal. Iunij.

Senatui Bergana civitatis in Norragia.

BONI civis officium inprimis esse duco, demittere se in causam civium, eorum saluticonsulere, infontium opes & fortunas pro viribus sustentare, periculum à cervicibus, quantum in ipso sit, depellere, unde Civicæ coronæ celebratissimum apud scriptores præmium. Hac ratione motus pro cive ac populari, atque adeò vicino meo ut vos appellarem per epistolam, erubescendum non putavi, ut ita in re mala intercessor fierem, ac pro captivo salutarem civem præstarem. Detinetur apud vos gravissimi criminis accusatus, quem pro viro bono & duximus & coluimus semper, qui ne levissimi quidem flagitii suspicioni locum dedisse auditus est unquam, rerum suarum sategisse, gnavus domi forisq̃ue, semper judicatus, ac propter istud singularis diligentiae nomen ad naucleri officium provectus, quò fortassis ob opes non perinde magnas pervenire non potuisset, propterea quod difficiliùs emergant, quorum virtutes angusta domi res elevat. Contrà,

L 4

qui

qui illum accusat, quamvis popularis vester, ut multorum sermonibus didicimus, malæ fidei audit, & qui augendæ stabiliendæque suæ rei cum alieno detrimento, tum etiam quia soluendo non est, studeat, sed improba profligataque audacia homo: ut qui illum nostratem de suis rebus interpellet, verboque profiteatur, se res quæsitum suas Harlemum venisse, qui revera nunquā interea pedē huc attulerit: cujus merces à partiariis hîc asservantur, dum ab illo his satisfiat: qui videtur eas pro derelictis habere, eo quod impeditis nominibus grandem pecuniam debere se cognoscat: quem tantundem alieni æris contraxisse videat, quantum in bonis hîc sit. Itaque alia istum via callidè sibi aggrediendum putans, circumveniendumque, quo negotium suum conficiat inter suos melius, & spe transigendi majore suo compendio cum nauclero, oppugnat hunc modis omnibus, majoribusque administriculis suffultus, exterum popularis apud populares, illiq, periculum creat, ut sui se periculi laqueis extricet. Quare quum innocentiam pœna judiciorum liberandam gravissimi philosophi semper

per censuerint, non possum mihi de vobis, (quorum sapientiæ opinio magna hîc est) aliter polliceri, quin ex æquo & bono sitis judicaturi de reo extero, procul à genitalibus sedibus oppresso, cujus causam favorabiliorem esse jus civile voluit: id quod mecum uxor ejus, honesta fœmina & multorum liberorum mater, cum lachrymosis precibus obsecrat, cujus res ob mariti longinquam dentionem accisas confirmare, afflictas erigere, perditas recreare potestir. Valete. Harlemo.

Guidoni Laurino Brugenſi.

NArravit mihi modò Veldius Brugenſis Auguſtiniani ſodalitii præfectus, vir cùm doctus, tum eo honore ac dignitate digniſſimus, te, ornatiff. Guido, hoc ipſo tempore aut matrimonio virginis Gandanenſis obſtrictũ teneri, aut ſaltem propediem conjugi, lætis dubiisſque ſociæ jungendum conſarreandumque: credere tamen ſe tranſactum jam eſſe id negotii. Itaque niſi temporis brevitatem excluſum me viderem, quòd abſitum paret ille, deinde niſi ri-

L 5

dicu-

diculus esse metuerem , qui à bello machinas , post anthisterea Hederam adferrem, Camelion tibi justum accinxissem . Nunc ambigno rei eventui dubium carmen ad lectulum conjugalem , connubii vel peracti vel ineundi testem dum admetior , æqui bonique consules pro humanitate quam in te summam prædicant . Vale & me fratri tuo M. Laurino V. C. ex interiore nota commenda. Harlemo pridie Kal. Novembr.

Huberto Goltzio.

ACcipe à me benigna fronte lusam olim per otium tuique nominis , quamvis per se inlustris , honori consecratam Acrostichidem , humanissime Goltzie , at utinam te antiquitatis penum omnem è tenebris in lucem revocare natum , complecti præsens ita possem , ut Fastos tuos soleo , quod tamen nunc non liceat propter seculi asperitatem , & mearum occupationum mare , spem tamen non abjicio potiundi aliquando voto . Volui obiter curas tuas interpellare , scribendi nactus occasionem per reverendum virum Patrem (quem

(quem vocant) Provincialem Augustiniani Ordinis Brugenſem , virum mercede eruditum & diſertum . Vale & Junium ama . prid. Kal. Nov.

Petro Mecchoutano .

PEtisti ſerio atque obnixè , ut de valetudinis meæ ſucceſſu te certio- rem redderem, qua in re non poſſum non tuis votis acquieſcere, ſed paucis. Cutis lateris ſcalpello adaſto diviſa primum fuit , ſpe ſecuturi fluxus ſaniei , ſed ea irrita : nihilo meliùs res ſucceſſit admoto *πυ* aliquanto poſt augeſcentibus immenſum doloribus , repetita cutis ſectio , tum verò tetra , virulenta , putida , nauteamque ſpirans ſanies copioſè ſe effudit , unde reſpirare cœpi , & velut guſtata Glaucus herba reviviſcere , quanquam ne ſic quidem diuturnum manſit levamen : unde quum recrudeſceret mali ſenſus, inſpitiſque metuſque cavernoſi ulceris animos perculit , inde ſpongioſus ſe tumor, quaſi forex, prodidit tangenti chirurgo, quem nudiuſtertius ſcalpro pertudit. Hîc priori non abſimilem ſanioſi puris virulentiam vomica ejecit ,

semel atque iterum , sed ita ut jam ope divina mundum ab illuvie ulcus propediem cicatrice solidandum confidam .
 Vale Harl. xv. Kal. April. 1572.

Benedicto Aria Montano .

POSTquam singulari tua benignitate & incomparabili candore uti frui mihi licuit in instituenda justa mei purgatione , Benedicte literarum decus unicum , mirum quàm à te discefferim confirmatior erectiorque , non ob id quod aut flagitii compertus , aut commissi fuerim mihi conscius , sed quod omnia etiam tuta timenti , evocatio mei per epistolam à Plantino facta , scrupuli nescio quid animo injecerat meo , quod inde revelli nequivit antè , quam tu , ad exemplum Homericì Mercurii , qui salutare pharmacum Moly contra veneficia Ulyssi porrexerat , aut uti Helena , quæ Nepenthes suum abolendæ tristitiæ comparatum , poculo diluit , bono me animo esse jussisti , ac rationem obliterandæ delendæque suspicionis sinistrae commonstrati . Qua veluti coelesti voce respirare cœpi ac recreari : ita pristina
 re-

rediit tandem in præcordia virtus. Itaque tui consilio fretus scripsi ad quos jussieras. Nunc postquam jactatus enormi tempestate à discessu à vobis meo & ad penates reversus incolumis meos, cum Musis in gratiam redire incipio, dum immortalis beneficii memoriam mecum recolo, nihil mihi antiquius fuit aut priùs, quam te hujus ævi & literarum ornamentum literis salutare, ac nominis mei curam, quam ad te ultro recepisti, iterum atque iterum tibi commendare. Vale Harl. IIII. Id. Nov.

Corn. Cruserio.

GRati animi est beneficium agnoscere, nullumque ingratitudine crimen odiosius puto, mi Cruseri, itaque debere me tibi quantum mortalium nemini lubens confiteor, qui me exterum, ab omnibus utensilibus nudum, domo extorrem, domicilio tuo perelegante illo exceptum volueris, & studiose etiam missis in hoc literis gratulatus fueris ædibus tuis mei receptum. Qua prò re benevolentiaque tantæ testimonio, quæ tibi potissimum gratitudinis vices

L 7

sint

sint refundendæ , incertus sum , sed quod nunc facultatibus deest , memoris animi testimonio Musa nostra orbi manifestum faciet , daboque operam , ut Junii memoria apud te tuamque filiam , lectissimam foeminam , quæ benevolentiae sinum omnem in me profudit , non insuaviter revivenescat . Delphis. 1574.

Christophoro Plantino .

Hodie vicesimo octavo Febr. accepi à te libellos aliquot è tua officina profectos , nihil metuens mali : à prandio sumpta cervisiaria forbitiuncula subito febris horrore ita fui concussus ut nulli artus officium facerent . Gaudebam mihi tibi que quod jam fini laboriosissimi operis proximus instares & quasi calcem urgeres . Ego absumpsi in hoc continuato fere morbo quicquid in ære habui , ita ut cogar merces meas extrudere quos inter sunt Nomenclator infinitis locis auctus . Batavia mea jamdudum absoluta in hoc morbo , & viginti libri poëmatorum , qui omnes simul manu mittendi sunt , volente Deo .
Hæc

Hæc filio dictavi finito paroxysmo.
Vale & D. Bened. Ariæ me com-
menda.

Nicolao Guldeſterrio.

SAlve per internuncias literas, vir am-
plissime, quem quod præſens ſalutare
& datis acceptiſque dextris amicè di-
mittere non potuerim, eſt quod vehe-
menter doleam. Id fecit importuna illa
& foeda tempeſtas, qua minimum ab-
fuit, quin perierim hauſtus mari, cui
etiam imputabis non redditi ſcripti
iſtius tui fidem ſuſtentantis, quod nunc
per filium meum iſtuc ad te mitto, ex-
cuſationis legitimæ, ne in crimen ca-
dat quod caſus dedit, obtentu innocen-
tiam meam incolumem & ſaluam cu-
piens. Vale, vir ampliſſime, & Junium
amare perge. Harlemo tertio Calend.
Novembr.

*Hadr. Iun. Guilelmo Cecillio Anglo.
Borlai Regulo.*

BAtavicæ Reipub. nomine ad vos
profeſturi, legationemque obituri,
I. D.

I. D. & Th. N. rogatum me voluere, ut in peregrina sibi, mihi verò notissima olim regione, portum aliquem amicitiae notitiaeque aperirem, quod officii genus quum denegare clâris amicisque capitibus non possem, in magna amicorum quos vel mors, vel calamitas mihi ademit, inopia, unus Cecilli occurristi reliquus, cui illos tribus verbis commendarem, quem humanitatis omnis laudibus cumulatissimum & compere-ram & fueram olim expertus, ac tanto quidem studiosius, quod per alium neminem quam per te (quo velut fidissimo Nestore potentiss. regni res feliciter innituntur) accessus proclivior paratiorque ad R. M. interioris concilium patefceret. Ex his D. ut antiqua inter nos nobilitate, ita ingenii & docti poematii gloria clarus: alter patritia familia & Iurisperitiae laude non postremus habetur. Dabit itaque illustris tua & nota omnibus humanitas aures, uti solet, istis faciles atque adapertas, testimoniique mei fidem non elevabit. Vale
Harlemo Id. Novembr. 1572.

Ludo-

Ludovico Opacio Tprensi.

Nisi profecturientis aurigæ festinatio moram omnem præcipitaret atque adeo præcideret, pluribus meam necessitatem, quæ me mutando jamdudum hypodidascalo animum adjicere compulit, tibi significarem, nunc sublata occasione quæ mihi desultoriæ cujusdam levitatis notam aspersura esset, si ei quem probum & diligentem sum nactus, nuncium temere remitterem: velim igitur non in sinistram à te partum trahi, si voluntati quæ in te olim propensior fuit, obtemperare hoc præsertim tempore negatum sit. Tu animum metire interim, tuis rebus haud iniquum. Vale. Raptim Harlemon.

Gualtero Bertoldi.

Gratulor tibi ex animo provinciam te dignam à Repub. Dordr. tibi impositam, Quæsturam dico, in qua non dubito quin te talem ostendes, qualem boni omnes sibi pollicentur, & calculi suffragiaque comprobarunt. Ego
Histo-

Historici munus suscepi non ita pridem totusque nunc sum in colligenda materia quæ penum nostrum instruat: decrevi enim Hollandiam totam describere, suisque eam coloribus, ut ita dicam, depingere è veterum scriptis, mox etiam oppidatim, inter quæ primas fert Dordracum, prius quam historiam delibem. Itaque statui æstate proxima lustrare, Hollandiam, ut finium rationes intelligam, & si quid in archivis suis oppida habeant de origine sua, quod cognitionem nostram adjuvet, qua de re Senatum vestrum per te certiorem fieri cupio, ut si quid sit, quod haud dubito quin sit plurimum, candide communicare dignetur, ubi illuc venero. Vale. Harlema.

Arnoldo Cobelio.

POstridie ejus diei quo à te discessum est, Cobeli ornatiss. incidi in atrocio- rem penè (horresco referens) tempestatem, mox enim irruerunt undique velut agmine facto non venti, quibus nihil vanius, sed morbi, quibus nihil tetrius, diriusque à Diis additum est mortali-

talibus : hinc Colicus & renum dolor , illinc stomachi everfio & incontinentia , cum febricula & infomniis , poſtridie ſucceſſit ardor urinæ intolerabilis , cum genituræ profluviſio poſtea miſtus ſaniei , qui me ita hac nocte afflixit ut ſomnum oculis , quietem membris capere nequiverim . Hæc eo prolixius ematuravi inter crebra , quibus diſcrucior , tormenta , ut excuſationem non remiſſorum tibi exemplarium in de metiaris , cauſamque ſimul ſtatuas non liberatæ à me fidei de prognſtico tibi à me promiſſo . Verboſiori mihi eſſe non licet in iſto cruciatu meo . Vale . Harlemon .

Splintero ab Hargen .

ADventus tui expectationem , vir ornatiff. imbres iſtos aſſiduos feſeliſſe , dolemus , ſed ita ut in eo recreemur , quod poſt dimiſſas operas videndi tui ſpem facias . Quod filium tuum nondum inaugurandum primis Ordinibus , ut te velle video , curaverim , factum eſt partim cœli injuria , partim ob Præſulis noſtri abſentiam . Itaque in ejus adventum rei differendæ periculum eximi ſi velis , ſi .

si quæ ad ipsum Hæcmondæ affixum cum filio tuo advolare me vehiculo jubeas, voluntati tuæ morem geram, eo quod incerta sit ejus expectatio. Tu quid fieri velis, primis literis aut nuncio certior me facito. Vale feliciter cum familia. Harlemi nonis Julijs.

Eidem.

Literis tuis hesterno die scriptis clariss. vir, nulla interposita mora, ne momenti quidem dispendium passus, respondere volui, negligentiae ne insimularer. Dixit mihi modo Jo. Scotenus, ante dies octo Abbæpaludium prope Leydam se contulisse Reverendissimum id si ita se habeat, miror te non olfecisse qui vicinus sis. Itaque commodiorem breviorēque via indagari rem per te tuosque posse existimo, an illic hæreat, ut si res ferat, tuo assensu nutuque illuc appropinquemus. Qua de re in crastinum aut perendinum diem tuum responsum expectabo. Vale, vir clarissime.

Con-

*Consalibus Senatuique civitatis
Harlemæe .*

IMmenſas vobis & habeo & ago gratias P. C. Ampliſſ. Præſul , Magnæ Rector , Exmii. DD. quod liberali iudicio conquiſitis quaſi per Satyram legem ſuffragiis ſententiisq̃ue in veſtrum cœtum me advenam cooptandum cenſuiſtis : quæ res ut mihi cumprimis honorifice propter luculentum veſtrum de me iudicium , cecidit , ita vobis cum æternitate ipſa conjunctam & perpetuam fore eam gloriam , ſi quid noſtræ Camœnæ poterunt , conſide , alioqui mortalium omnium facile ingratiff. & haberi & dici merito poſſim , atque à Gratiis Muſisq̃ue quarum ſuaviſſimum eſſe conjugium teſtatur Euripides , aliendiſſimus. Itaque dabo operam ut nec vos huius veſtri iudicii pœniteat , & ego ſi non σκετρω ταλαιπω ut apud Lycophronem Priamus , ſaltē καὶ τὸν πελαργικὸν νόμον obſequio beneficium cumulatè reponam . Unum penes vos eſt , in quo ſi veſter acceſſerit calculus , me plane beaveritis , nimirum ut ab ejus temporis

ris auspicio , quo patria excessi , huc instituta peregrinatione , jam tum licet non actu , potentia tamen (ut secundum medicos loquar) vester collega , ut ab eo , inquam , tempore , me collegio vestro adoptatum censere dignemini , initiationis meae primordia statuatis.

Ioanni Sambuco .

Scripsi ad te ante mensem prolixius , Sambuce doctissime , de rebus omnibus , responsum à facili ac votis amicorum deditissimo expectans. Hoc te nunc scire velim interim , me inter initia gelu saevissimi non sine vitae discrimine Antverpiam venisse , ac * Nonium Marcel- lum , (quem Laurinus scriptis ad me prae-terita hebdomada literis Brugen- si praelo efflagitabat cum honorarii insignis pollicitatione) Plantino attulisse , locis supra bis mille à me restitutum , cujus restitutionis specimen doctis hîc viris nonnullis exhibui cum incredibili admiratione adeo *μεμβρ* omnes tenuit *ἀπίροχτον* . Unus nos sollicitos habet scripulus , an te lubente ac patiente

* Nonii Marcelli emendatio .

Maxi-

Maximil. Aug. (quem olim instructiss. prorsusque Ptolomaicæ illius æmulam bibliothecam adornare scripseras) opera ingentibus ac tantum non herculeis (ut ille inquit) laboribus mihi exantlata nuncupari possit, subsecutura à tergo ad te epistola. Qua de re primo quoque tempore voluntatem tuam ut perscribas, te etiam atque etiam pro summo tuo erga me studiososque omnes studio obsecro. Salutem tibi plurimam officiose D. Pulmannus adscribi jussit. Vale. Antverpia.

Victori Gisellino.

Quantum me pariter & Susium recursuri tui desiderium attigerit, dum in singulas horas adventum tuum operiendo, ego opinione mea, ille spe excidit, non facile dixero, fuit enim mora illa tua justo prolixior, nostra vero commentatio varia & jucunda, & cui, sat scio, jam invidere incipeas. Emblemata quod flagitas tetrasticho, ut cætera omnia, circumscriptum, sed haud scio an genio tuo responsurum mitto ea lege atque omine ut si palato minus tuo fasti-

di-

dierit, si oculis tuis indignum fuerit, flammis aboleas rapacibus, aut digno alio interitu absumas. * Commentarium in Horatium mittam brevi. Vale.

* Commentar. Iunii in Horatii Odas.

Iacobi Susio D^{no}. in Grysen.

NI te gravioribus curis addictum implicitemue scirem, vir amplissime, jamdudum ad exolvendam promissionem te provocassem: itaque diem extraxi haectenus, juxta Homerum, *αἰαβαλλόμενος*, sed quia moram eludi video, & circumvectionem illam Hollandicam, altissimam tibi ac tantum non Lethæam oblivionem nostri peperisse suspicor volui, quod medici diligentis munus est, à præsente periculo, hoc est veterno te admonere. Hæc atque alia longe plura quæ decisa protasis olim vice futura per jocum scripseram, missa nunc facio: siquidem prævertit olim me D. Ostervici inopina profectio, cui imputabis quod longioris commentationis usuram truncaverim præsertim hoc tempore quando ea lucrosa mihi fuerit accessione nonnullorum Scaligeri libro-

librorum , & Marii Victoris à te commentario , cui vestræ liberalitati magnam habeo gratiam, seorsim habiturus tibi infinitis modis majorem , si , uti intellexisse mihi visus fueram , manuscriptum * Vegetii exemplar transmiseris, cujus desiderium me plane suspensum hætenus tenuit atque etiamnum tenet ; proin si per te non stat , hac me quamprimum sollicitudine libera, beneficii q; pondus celeritudine mensum iri cogita. Vale .

* Vegetii manuscriptum exemplar.

Christophoro Plantino.

QUum affinis iste meus, qui tibi hæc offert literas , Antverpiam prope-
raret , non potui non verbo uno atque altero te salutare , dum te propiore uti frui licet. Placuit ad te dare Oden, superiore biduo à me conscriptam , qua invictiss. Maximiliani Cæs. laudes dederere exili ingeniolo institi ; tu si quid mutandum aut abolendum videtur , Aristarchi vices expleto. Mitto quaternionem T. è Leonardi Malespinæ emendationibus in epistolas ad Atticum,
M qui

264 HADR. JUNII
dierit, si oculis tuis indignum fuerit
flammis aboleas rapacibus, aut digito
aliò interitu absumas. * Commentarium
in Horatium mittam brevi. Vale.

* Commentar. Iunii in Horatii Odas.

Iacobi Susio Dno. in Grysen.

NI te gravioribus curis addictu
simplicitumue scirem, vir ampli
me, jamdudum ad exolvendam prom
rationem te provocassem: itaque die
extraxi haectenus, juxta Homerum
ἀναβαλλόμενος, sed quia moram elu
video, & *ἄλγος* circumvectionem illam H
landicari, *ἄλγος* tibi ac tantum n
Lethæa *ἄλγος* oblivionem nostri peper
suspicio *ἄλγος* quod medici delige
munus *ἄλγος* praesente periculo, hoc
veteri *ἄλγος* monere. Hæc atque
longe *ἄλγος* quæ decisa protasis
vice *ἄλγος* & jocus scripseram, i
quidem prævertit
ici inopina profectio
longioris comm

mentem
gram
tibi
intellectu
scrip
ris, cum
hacten
proxi

Quoniam
ratur
alio
frui
perire
inven
terre
mar

abuco.

ert, ornatiss. Sam-
positum habet no-

2

men,

qui loco Y repositus est; quod si bibliopola unde exemplar nactus es, illic praesens sit, tantillum operæ quaeso dabis mihi in tuo ipsius donario, ut loco T. repossas Y post X, cujus sequela ista est. Thermum ex. Proxima hebdomada mittam ad te Emblemata mea cum epistola dedicatoria. Vale praesidium meum.

Splintero ab Hargen.

Quid ni permittam filium, quum vota vincant hinc paterna, illinc maximi Ducis, ut re ipsa, ita in hac quoque parte Imperatoris praesentia, alioqui invito facturus animo cum ob hyberni frigoris injuriam, cui filius valde opportunus est, tum ob studiorum remoram, quanquam etiam Panus, qui cervicem illius infestat, poterat illum hinc stitisse, sed pruriebant illi jam pedes invitato paternis literis, non è pernionibus, id quod ominabaris. Tu interim dispendio temporis occurre, ne quatrimum superet. Vale vir clariss.

Gn-

Guilelmo Lindano.

Literas tuas dudum mihi reddidit
 avunculus tuus , Arnoldus Joannis ,
 Reverendiss. Domine, quibus agis me-
 cum de scribendo ad Jo. Sambucum, id
 quod præstiti in tenui opera tanto viro
 non defuturus, mittoque apertas literas,
 ut fraudem extrudam, tuum erit eas ob-
 signare. De * Onomastico statuam, ut
 jubes, post finitum gelu. Wolffii opera
 vereor ut ille parum sit futura gloriosa,
 nisi iis instructus veniat copiis, quas præ-
 ter me an alius habeat ignoro : nunc illi
 in mustaceo quæsitæ gloria frui aliquan-
 tis per liceat. Offers tuam operam & fi-
 dem in juvandis rebus meis in aula, quò
 profectiorem paras, certè non ingratis
 in eo laboraturus, si modo adniti velis,
 ut saltem literario otio alendo aliquid
 adjumenti quærat, si non patri, saltem
 filio. Vale Reverendissime Dne.

* Onomasticon .

Ioanni Sambuco .

Qui has ad te perfert, ornatiss. Sam-
 buce, in illustri positum habet no-
 M 2 men ,

men, tum titulo, tum scriptis evulgatis orbi notus; est enim Ruremundensis Episcopus, Theologiæ Doctor, Pano-
pliæ, quam haud scio an videris, scrip-
tor: * Guilelmo Lindano nomen est.
Is per me muniri sibi aditum ad tuas au-
res expetiit, cui ut in officio deesse ne-
queo, ita etiam per se clara doctrina
facile tibi commendabit. Novi enim
tuam liberalis institutionis comitem in-
dividuam, facilitatem in admittendis ad
amicitiam, & complectendis eruditis vi-
ris. Illi nihil magis in votis esse intelli-
go, quàm ut librarias tuas divitias ali-
qua ratione cognoscere possit ac frui,
quam illi operam non denegabis, ut con-
fido, humanissimo viro, tu ipsa humani-
tas, quod sine tuo studiorumque dispen-
dio aut incommodo fieri queat, pro
amicissimo mihi olim capite intercedo,
ut saltem aliquod apud te pondus mea
habuisse scripta intelligat. Vale pridie
Aagnetis.

* Gulielmus Lindanus.

Victori Gisellino.

HAud facile dixerim, quanto me de-
libutum gaudio reddiderint tuæ li-
teræ

teræ adventus tui auspiciatissimæ nunciæ
 atque indices, adde etiam interioris cu-
 jusdam lætitiæ testes, quando cognati
 cognominis domum immigrasse te sig-
 nificant. Valeant Pandionæ stirpis
 ominosæ hospites, veris nunciæ, dum
 Musæ, ver aliud novum adferentes aut
 sacrum, isthic propius nidulentur. Gau-
 deo, gratulorque vestram utrique, & ut
 Thesca, aut Pythiana quadam, olim inter
 vos inita (quod Musarum Charitumque
 alumnos decet) coalescat amicitia, pre-
 cor, cuius utinam tertium sodalitii
 gradum implere valeam, triplicis funi-
 culi omen inoffensum confirmaturus,
 novum quoddam triumviratus genus.
 Exulceratissimi hujus sæculi discrimina
 non vanus augur probè divinas, sed om-
 nia spero mitiorem successum habitura,
 quæ nunc nimis horrere passim viden-
 tur. Videt Rex nullum malorum tri-
 stium effugium, Gallum hostem, jugulo
 imminentem, interseptos obstructosq;
 militiæ suæ aditus, confœderatos in-
 genti numero & armis potentes, Tur-
 cam, Siciliæ Italiæque inhiantem. For-
 tunatarum unâ captâ classem Indicam
 periclitari & aurum. Quæ tu fœderis

Ultrajectini capita vereris, ea ego in speciem gravia, sed, si animum Principis, à sævitia cumprimis abhorrentis, perspicio, præter *μορμολυκῆα* quædam non alia existimo, terriculamenta nimirum, ad continendos in obsequio homines, & ad objiciendum oculis Curiae glaucoma, & Ecclesiastici ordinis latratus cohibendos adornata. Quod de Arenbergio obsessio scribis, vanum est, nam Lingii se continet, metuens sibi ab infestis & conjuratis Frisiis, quos præter truculentiam nupero facto admodum offendit, nam Levardiæ vigillum præfecti uxor, è metu, quod in mariti sui barbam ille involârat, abortiens, fœtu intra uterum prius tabefacto, mox mortem obiit, commotis graviter cognatis & affinibus, nec ab vindicta alienis. Quid, quod Curia Leuard. Senatoribus minorum gentium (est enim duplex illic Senatus) mandârat publicationem placitorum de necandis *ἐκγονοκλάσταις*, & restituendis templis, arisque, quod nisi prius consulto populo perlaturus se negantibus illis, conventus civium instituitur XIX. Novembris, ubi quum jussi essent
in

in occidentalem templi partem discedere, qui factum laudarent, soli quinque reperti sunt placiti illius approbatores, & cum ingenti clamore sibiloque explosi. Audi cætera; Suollenses oppidani, multi numero, armatis precibus depoposcerunt templum suæ religioni exercendæ, passi à Senatu, ejus rei cognitionem ad Arenbergium rejicientem, repulsam, è vestigio unum è cæteris opportunius sibi visum, à sordibus repurgatum, in usus suos converterunt. Apud Alcmariam sodalitia opificum sacrificulis suis repudium remisere: idem à plerisque hîc factitatum. Amsterodami collegia omnia magno consensu parant per supplices libellos unanimiter spatiosius templum efflagitare, quòd alterum illud neutiquam capiat omnes.

Christophoro Plantino.

ACcepi literas tuas modò admodum Plantine humaniss. cum specimine Emblematum, sed nescis, ut animum meum commoverit, quod peculii mei mei ratio constare mihi non possit:

M 4 dispe-

dispereream, nisi malim interesse, planeq;
 abolitum illum mihi laborem. Placet
 quidem Iconum politura, placet accu-
 rator in imprimendo diligentia, nec
 displicet series Iconum conjuncta, sed
 ita, ut mox non secretis libellis subse-
 quatur commentarius, qui (hariolandi,
 conjectandi que palmâ in medio posita)
 volentibus aut minus affequentibus fa-
 cultatem intelligendi subministret,
 ductorisque, aut, si ita placet, interpretis
 vicem subeat: quare non poteris placere
 melius, nec mederi saucio animo.

Ioanni Sambuco.

SCRIPTIT ad me hisce diebus Plantinus,
 te Eunapium & Illustrii editionem
 valde urgere, qua in re mos tibi geretur:
 nam * Illustrium prope verti, simium
 Laërtii; majus opus restat in † Eunapio,
 quem vitiosissime descriptum, & ut ex
 collatione vitæ Porphyrii deprehendi,
 alicubi mutilatum, nosse potuisti: quin
 statim prima pagina desidero aliquid,
 ὁ γὰρ μέγας ἀλέξανδρος ἔκ αὖ ἐζήντο μέγας,
 εἰ μὴ ξινοφῶν καὶ τὰ πάριεργα φησὶ δὲν τῷ
 περὶ αὐτοῦ ἀνδρῶν ἀναγράψειν. Quem locum

* Hesychius Milesius Illustrius. † Eunapius.

quo-

quomodo tu reddideris velim scire .
 Eunapius peculiari quadam phrasi , &
 brevitate tenebrosa ac subtilitate quid-
 dam habet immutabile , ut mihi vide-
 tur , alioqui nitore verborum & adagio-
 rum raritate atque elegantia illustris :
 Itaque nec potest nec debet levi quodam
 brachio (quo vitio Germania laborat)
 percurri , sed acurata dicendi ratione
 exprimi . Igitur si plusculum illi tem-
 poris detur , inter beneficia referendum
 puto . Nonium Marc. arbitror jam à
 te Cæsareæ M. exhibitum , quem , dum
 festinant operæ , eo complusculis men-
 dis respuerant . De Nomenclatoris
 nuncupatione velim sententiam tuam
 promas . Cæsari gratulor , quòd Tran-
 sylvaniæ locis aliquot oportunioribus
 potitus sit , qua de re , si placebit , tri-
 bus poteris verbis *μᾶλλον λακωνικῶς* , &
 quid de belli eventu , & num decumani
 illi à Turca fluctus sint metuendi . Vale
 & Junium ama .

Ioanni Sambuco .

OMnia pudoris officiiq̃ue repagula
 perfregisse videri possem , doctiss.

M. s. Sam.

Sambuce, si singularem istam & inauditam tuam in me complectendo humanitatem, & in ornando munificentiam tacitam præterirem; si verissimis justissimisque laudibus non eam in cælum extollerem; si non omni dicendi scribendique vi ac copia, qua possem, eam enarrerem, ne dicam exornarem. Verùm quum neque usu satis vāleam, atque ingenio parum possim: qua ratione id pro meritis præstare queam, hullus scio, neque verò in impudentiæ scopulos impingere velim prudens, ut id mihi eruditionis arrogantem, quod tu tantus Encomiasta tribuis, quòd si adesset, næ ego plenis velis in tuæ liberalitatis laudes efferrer, à quo nunc instituto tenuitatis meæ conscientia me retrahit, quanquā etiam in Salustianas illas sàlebras angustiasque præceps incurrere periclitor, ut nihil quam parca dixisse fatius fore videatur. Memini quidem prolixè mihi ipsi de tua voluntate & liberalitate promississe à primo colloquii nostri rudimento, sed votum illud ita superasti, ut cumulatissimè mihi satisfactum & supra spem videam, ita ut nulli hominum plus propemodum, quàm tibi debere me agnoscam.

At-

Atque utinam pro ingentibus istis in me beneficiis supersedere mihi liceat tam vili, tam inertī, tam ἀγανῆ καὶ βλακῶδι orationis muneri, ac potius observantia & assiduitate officiorum præsens possem memorē me tibi approbare, proque ampliissimis tuis erga me meritis pertinacem operam studiumque navare : quandoquidem nihil jam sit extritius, nihil vulgatius communi ista agendi gratias lege ac via. Contrā si istam amicitiae, quæ te erga me adeo liberalem & profusum facit, rationem atque originem ad fontes suos revocare velim atque à capite arcessere, ad trivium illud decurrendum mihi fuerit quod amicitiae genera dispescit in τὸ κατ' ἀρετῇ, τὸ κατ' ἀμειβῇ, & τὸ ἐκ συνηθείας, (quæ obscurius paulo Pythagoræus Hippodamus τὸν ἐξ ἐπιστάµας θεῶν, τὸν δὲ ἐκ παραχρᾶς ἀνῶν, τὸν δ' ἐξ αἰδιότητος ζώων indigitat) in quibus cum nullum habeant locum, vel beneficii à me orti conscientia, vel consuetudo prior, reliquum est, ut aliqua virtutis perspicientia hos tibi amoris fonticulos aperuerit, quæ cujuscumque modi sit, ex tuo judicio coniectare magis, quàm de me ipse prædicare possim.

Videor hercle mihi hariolari posse, te ex eorum numero esse, qui me in re literaria præstitisse aliquantum, monumētisque editis & juventuti utilitatis, & nomini meo gloriæ nonnihil peperisse autumant, unde τὸ τῷ πότῳ τέκνωμα κλίϑ, ut Æschyli verbis dicam, consecutum sit. Qua certe in re gaudeo si quid feci, aut facio subcivis operis, quod non segnibus judiciis placere, quod amorem multorum conciliare, quod posteritatem demereri queat: nec enim usque adeo corneam alicui, non ignavo homini, fibram innasci existimo, ut amplissimum illud virtutis præmium gloriam respuat. Quis enim tandem fastidium illud ingenii æquis ferat vel auribus, vel animis, qui id repudiet, quod cæteri per ferrum, per ignes quærere solent? Sed à diverticulo regrédior ad illud amicitiae seminarium, quod aut necessitate aut occulta aliqua ratione coaluisse oportet, nam qui coisset alioqui horulæ unius auspiciis ingeniorum non omnino compar conditio? quod coagmentum tam solidè conjunxisset, quæ naturali regionem divoratio dissiderunt? Itaque ferruminis firmi laudem suo jure sibi vendicabunt, opinor,

nor, literæ virtutum omnium fundamen-
ta, omnis humanitatis, omnisque indu-
striæ fomites, alumnae, matres denique.
Eadem tamen, nisi fallor, te propenso
quodam mei studio efferri (absit ut hal-
lucinari dicam) faciunt, qui laudis plus
justo ficulneo ingenio meo assuas, nisi
forte *ἐνδοξότης* mihi accinis quale remi-
gibus præire solet. Quanquam quid
pulchrius, quam viro literatissimo place-
re? Si Nævianus Hector præcipua in
laude ponit à viro laudato collaudari,
ego verò non omnino semissis homo-
quam non laureâ, quas non triumphales
quadrigas affecutum me putem, cui à
laudatissimo viro, & ejus Regis, qui
nostro hoc sæculo idem audit, quod Sol
(absit dicta invidia) oculus nimirum &
fax orbis, familiari & præconium am-
plissimum obtigit, & cum beneficiis haud
postremis, ultroneæ amicitiae arctissimæ
necessitudo honorificè delata est? Sed
heus mi Sambuce, cave cum Stesichoro
palinodia Helenes tibi cantanda sit, lau-
desque intra modi cancellos revocandæ.
Quod me ad editionem mearum vigilia-
rum provocas, nempe cursurum sua
sponte, nec stimulis opus habiturum (si

abesset ergastulum illud, quod me plane conficit) instigas, facisq̃ue ut te decet *ἄνθρωπος πάντος ἐν μυσταῖς τε καὶ χαρίτων γίγνηται*, quanquam eodem ego te jure in campum istum provocare debeam, ut Hesiodiana illa *ἀγῶν ἔσται* apud nos locum haberet, quæ mutuis exhortationibus immortalitatis amorem utrinque accenderet. Dabo tamen operam ut tuis monitis obtemperē, utq̃ue tuo arbitrato (a) Suidas in Augusti, & re vera maximi Maximiliani manus inscriptione transeat: cujus genio etiam cudentur nocturnis diurnisq̃ue operis eandem incudentibus (b) Stromata mea, quo opere Græcorum Epithetorum rationem explico, opus altero tantò copiosius quàm sint Erasmi Chiliades, cujus specimen propediem tibi dabo. (c) Miscellaneorum libri aliquot forte Hulrico Fuggero, Meccenati olim in Italia meo quum Senæ ageret puer; cui commendatione tua charior notiorq̃ue fieri cupio, ut & Typographo ejus *τῷ πάντῳ* Henrico Stephano, nostri sæculi *ἀκριβεστάτῳ πάντῳ* *διμαθείας γνῶμῃ*, ad quem meditor propediem literas. (d) Nonius Marcellus,

(a) Suidas. (b) Stromata. (c) Miscellanea.

(d) Non. Marc.

fi

si videbitur , in tuam familiam adoptabitur . (e) Nomenclaturas Rerum omnium , variis linguis scriptarum , haud dum statui , cuius parem patrōcinio . (f) Epigrammaton libri variis pro argumentis diversis nuncupabuntur . Vale præsidium & decus meum decimo Kal. Septembris .

(e) Nomenclator. (f) Epigrammata.

*Had. Iun. Cornelio Susio, Hollandi
Præsidi .*

ATtulit mihi superioribus diebus nostræ Civitati à Secretis * Ænigma de Calamo Gallicum, tuo (si bene accepi) jussu descriptum , ea lege , ut à me carmine, quoad ejus fieri posset, redderetur Latinum. Parui extemplò, nihil cunctatus ; quid enim tibi , qui quidvis aliud imperare potes, denegârim? Itaque mitto nunc illud qualicumque Minervâ elaboratum, certè recens ab incudè, neque solum , sed corollario cumulatam , non tamen deteriore jure quàm à me accepta est conditio , tecum stipulatum velim , nimirum , ne oculatius , morosiusque

* Ænigma de Calamo.

Rhe.

Rhetorum more expendas, aut ad Critolai (quod dicitur) libram illud appendas. Adscripsi etiam alterum eò libentius, quòd Gallus ille, quisquis fuerit, ut obscurius, ita & inarticulatus confususque rem involvisse, multorum aliorum judicio, nedum meo, videatur. Initio Calamum membratim describo velut novum quoppiam animantis genus, quò res ænigmati sit vicinior, à forma exordio sumpto, quam in eo oblongam videmus, alvo cavo quidem & fistuloso, sed in pervio, quem medulla pellucida internodiis distincta permeat. Vernacula lingua furẽ nuncupat, quòd suctu suo atramenti usuram intercipiat. Addo illi caudam barbatam, ita nominans plumeam utrinque partem, quæ in volatu præcipuas obtinet. Mox ad materiam illius transeo, quæ exanguis est tametsi carni natalem suam & nutritionem acceptam referat. Inde ad apparatus ejus usumque transcendendo, quorum ille consumitur in ressecando capite, eoque in mucronem diffusum attenuato, quo accommodus redditur hauriendo atramento (quod Sepiæ nomine intelligunt Poëtæ, quum sit piscis

ge-

genus, quem Galli *une sèche*, nostra-
tia littora *Spaensche Zee-katte* nomi-
nant, qui in metu atramentum emittit,
maria circumquaque infuscans ad effu-
gium.) Unde Persius Sat. 3.

Nigra quod infusa vaneſcat ſepia lymphæ.

quod atramentum dilutius ſit. At
porro uſus ſpectatur in ſcribendi munes
re, variis officiis ſerviente, nimirum ab-
ſoluendo, condemnando, excitandi-
diſſidiis, uniendis animis, exſtimulandis
Principibus, aut ſopiendis virulentis
contentionibus, & benignis ſermoni-
bus, ad quas quidem res obeundas
quum lingua membrum præcipuum ſit,
juxta proverbium, *Lingua quò vadis &c.*
potiores tamen ſibi vendicat Calamus
duplici nomine, cum quòd verba (quæ
linguæ ſobolem voco) citiſſimè intere-
ant, & volatica effugiant, ſcripta verò
(calami ſoboles) diutiſſimè perdurent
in multa ſæcula: tum quòd verbis ſoli
præſentes fruuntur, at ſcripta, nullis
locorum ſpatiis circumſcripta, in re-
motiſſimas quoque terras emanent.
Vale & ænigma hoc boni conſule.

Cor-

Cornelio Poelenburgio.

Litteras tuas mihi reddidit affinis meus Corn. Beresteinius ante octiduum, quibus quòd non prius responderim, ipse in causa fuit, quòd se propediem istuc ad vos rediturum distitaret. Quàm verò gratæ mihi fuerint, nullis verbis exprimere queam, quòd januam mihi veteris amicitiae, quam aliqua ratione refrixisse ominabar, reclusisse videaris, delato ultrò necessitudinis haud vulgaris argumento, quo insignibus meis locum in ædium tuarum structura cedis, ea utcunque à me expressa, & Beresteinii operâ coloribus illustrata mitto. Tu curabis ea graphicè reddi, ego vel repræsentabo, vel refundam pretium. Superioribus mensibus omiseram sciscitari ex te, distichâ ne effigiei tuæ adscribenda aut adpingenda, fuerint tibi reddita, an fecus, & ecquid placuerint, aut si quid mutandum censeas. poteris verbulo uno me certiolem reddere. Vale.

Splîn-

Splintero ab Hergen.

Literæ tuæ mihi fuerunt redditæ ante septiduum, vir clarissime, quibus cur serius responsum sit, aut desiderio tuo satisfactum, in causa fuit Comicius apparatus mox in Tragicum luctum vel exodium commutatus. Nam repentinæ nuptias, quas filiæ socrus maturaverat præfagio fortè mortis suæ in postriduanum diem ab acceptis literis, quatrIduo post secuta est subita ejusdem socrus meæ decessio, ita ut uxori vix constiterit officii ratio, jam etiam par-tui vicinæ. Curatum est tamen qua potuimus diligentia ut vase compacta mala ad vos pervehantur commodiùs, quæ quòd non responderint superioris anni magnitudini, fecit pluvii temporis malignitas, uti certiùs me pernoctis. Critillum, quod ex Anglia per affinem D. Matthiæ adferendum scripto curaveram, tibi gratum fuisse, ut valetudini tuæ accommodum, lubens accepi, pretiumque, jam olim illi adnumeratum in expensi rationes, relatum feres. Quòd de Card. addis, vereor ut sit thus aulicum

cum; nam unde mihi à civilibus multo-
 que magis Ecclesiasticis feriato, ea sup-
 petat cognitio, ut subodorari queam,
 quid petendum sit, quod non alii Lyncei
 præviderint, ne dicam, Harpyæ jam in-
 volârint antea; alioqui ex affluentissimo
 illo Copiæ cornu aliquid posses redun-
 dare. Ita redit aucupus in orbem labor!
 Felius tuus, melius habet accepto ter-
 quaterque decocto simplicium, quod
 sanguinè biliosum defæcaret. Salutabis
 officiosè humanissimam tuam uxorem,
 & D. Præsidem. Vale, raptim Harlemon
 multa jam nocte, ipso die imminente,
 D. Martino sacro.

Eidem.

Uxor modò mihi (gratia superis) pe-
 perit foemellam prolem, cui quum-
 te susceptorem deligi sedulo ante seme-
 stre spatium depoposceris, non potui
 non tuæ voluntati acquiescere, ut ea
 parte necessitudinis vinculum mihi
 arctius obstringatur cum eo, qui mihi
 & ornamento, & præsidio esse possis,
 tametsi hinc avocet me pudor, illinc tui
 reverentia deterreat, cui hyberno hoc
 tem-

tempore molestiam istam creem , quam , si ita visum est , ne valetudini tuæ offensa pariat , per familiarem aliquem tuum id muneris obire licebit .
Vale. Raptim Harlemo.

Joachimo Hoppero .

EMblematum meorum exemplaria bina accepisse vos puto , quæ ad te & D. Viglium mittenda curavi. In iis vestri utriusque nominis honorifica , (si mens mihi non sit læva) testimonia , ut meremini , edita sunt. Etenim , quod si minus dictum sit , quam vestra merentur merita , ingenii id nostri paupertati , vel certe pudori vestras laudes deterere timenti , imputandum veniet . Anastausin si ea fronte , qua studui approbare fructuosam meditationem , in gravissima valetudine expressam , acceperit D. Antistes Viglius , est quod mihi magnopere gratuler : certè placuit hîc non infimis Theologis . Quod si aures tanti viri æquas sustinuerit (id quod assensu privilegii facile metior) jam serîo triumpho : qua de re si dignatus fueris tribus tantum verbis indicium profiteri furto
otii

otii longè jucundissimo mihi futuro, gratissimum mehercle mihi feceris. Oro te atque obtestor, vir clarissime, ut consilio me operaque tua jüves, & confirmes ad eam telam, quam superiore anno paribus exorsam animis, tuique studii radio percursum recordaris; detexendam, ut determinato cursu res aliquando transigatur. Vale, vir clarissime, & Junium, D. Viglio tibi que commendatum, de nota interiore habeto. Harlemo.

Splintero ab Hargen.

QUID sit, cur fidem meam fefellerim, miraberis non absque causâ, vir ornatiss. sed cognitâ eâ mirari defines siquidem ut, id quod res est, liquidò dicam, procrastinatio adventus Præsulis remoram meâ ad te scriptionis iniecit; nam quum de die in diem is expectaretur, atque ea olim per te imbutus fuisset opinione, quod te illi comitem adjungeres, diem semper exemi, ut quæ tibi addixeram, præsens præsenti probarem. Nunc quia rejicitur in longum jam inaugurati adventus, non potui non & meam fidem certa testificatione tibi pro-

probare, & quæ in me receperam, indubitata fide permittere. Proinde non ægrè feres, si quasi postliminio ad te perferantur, quæ tui præsentis inspectioni destinata fuerant ea ratione, ut oculatæ fidei testimonio sedulitatem meam tum comprobasses. Sed invidit hoc nescio quæ Nemesis, quæ rebus Præsulis opposuit, nisi fallor, obicem, ei tamen plurimum & ex animo faveo. Itaque boni consules, neque sinistrè interpretaberis tui clientis comperendinationē. Mitto tibi resinæ abiegnæ seu oleosæ, quam Venetæ terebinthinæ nomine Pharmacopolæ indigitant, puræ & defecatæ fescunciam, quam cum nebulis (*mis-broot* nostrates nominant) vino aliquantulum maceratis assumes licebit: mitto item semunciam ejusdam in catapotia conformatæ. Vale, vir clariss. Harlemo.

Martino Formerio.

Quantò minus certi, aut explorati quidquam Alcmariâ intelligere possum de tua valetudine, vir amiciss. tantò ardeo avidius scire quidnam illa pro-

promittat, tametsi de ea non dubitârim
hactenus, eò quòd firma satis basi inniti
videretur, quum inde discederem, solli-
citus tamen mea quiescere me non
passa est, quin te tribus saltem verbis
commonefacerem, ne finas, me tui loci
& conditionis præsenteis ignarum plane
esse, ac eo quidem impensius, quòd quàm
plurimis bonis tuam salutem cordi esse
videam, in quibus fortè pauci aliquot,
sed mihi jam olim suspecti, suam mihi
non possunt probare sedulitatem. Tu
modis omnibus adhibe curam omnem,
ut pristinam recuperes valetudinem, id
quod fiet si alvus respōdeat quotidie sal-
tem semel, nisi sequatur, cassiæ atramen-
to, aut simili leviculo pharmaco ducatur.
Si somnus, si orexis non faciant
officium, ille poculo soporifero, hæc
illectamentis ciborum, tuo te ingenio
excogitatis, provocabitur aptissimè.
Mitto tibi dono, quando beneficiis te-
cum certare nequeo, levidense munus,
chartam Antarctici Orbis, quod de
nostra tenuitate non aspernabere. Am-
plissimo viro D. Arnoldo Rosenbergo
J. V. D. nunc eâdem operâ scripsissem,
nisi affinis cujusdam meæ puerperæ
æгри-

ægritudo sollicito mihi otium scribendi suffuraretur. Dices tamen illi fœneratum hoc fore silentium ænigmatibus aliquot , quas intra quatrimum, præter promissum, illi destinare paro. Cui unâ cum uxore commendatum meum officium seriò tuis verbis velim. Tritici pretium ista nobis addictissima tua Paternitas indicabit. Vale. Raptim Harlemo undecimo Martij.

Guilelmo Lindano .

STudium erga me tuum & præclaram voluntatem multis sæpe argumentis deprehendi antea , cujus haud dubia tuæ benevolentiae fiducia fretus , consilium mihi tuum ut expedias rogo atque obsecro Præsul Reverendiss. quam nimirum ratione eximi è reatu nomen meum possit, num id opera Card. Augustani, qui olim hospes meus fuit Romæ, aut alterius, ut Granvellani, confieri queat excusationis illius justæ patrocini-
nio quod nosti , hac super re tuum expectabo per avunculum consilium. Nam quod Hopperus iussit me in utranque aurem hac in re securum dormire , non placet. Vale. Raptim Harlemo.

N

Ge-

*Gerardo Emilio Pensionario
Lugdunensi.*

UT promissi munus conficias, te etiam atque etiam rogo, cum quod mirifico cognoscendi penitiusque introspectiendi vaticinii desiderio tenear, tum quod Verlanius Consul me semel atque iterum ea de re interpellarit, incredibili (ut videtur) expetendæ scriptionis desiderio & ipse flagrans. Si quid vicissim meis in rebus fuerit quod usui tibi esse, aut jucunditate perfundere possit, tuo jure impera. De strage in Tornacensi urbe edita, quæ res civitatem nostram graviter hesterno die parturbaverat, vanus est, ut existimo, rumor, quod nullis posterioribus literis alatur aut confirmetur. Harlemo sexto Idus Januarias.

Gisberto Heerman.

VAletudini meæ, quum tuas mihi tabellarius reddidit, prope deploratæ, nunc etiam dubiæ silentium meum imputabis, Gilberte amantiss. ne nunc præ-

prætexam occupationes in absolvendo
& ad Colophonem perducendo Nomenclatore serias, uti nosti, cui operi modò admodum postremam manum addidi, ut votiva jam *ἔκτακτα* mihi sint apparanda. Qui quidem confesti laboris nuncius gratus tuis auribus accideret, non dubito: itaque proximis literis prolixius tecum fabulari licebet, ubi respirarit à continuis molesti operis laboribus animus. Tu interim Dialecticem gnaviter, ut soles, avidisq̃ue animi faucibus hauri, modò ne illic velut firenæis affixus scopulis assideas. Nunc * Eunapium Sardianum subcisivis operis in Latinam linguam è Græca transfundere aggredior. Salutat te plurimum filius meus. Vale,
Raptim Harlemo.

SCIOTERICUM tuum quod diversis gnomonibus indiciiis horarum discrimina ostendit, umbris nunc anfractis, nunc reductis, nunc projectis, tua arte affabre factum, mihiq̃ue inscriptum donatumq̃ue accepi, quod mihi etiam atque etiam, ne multis te verbis morer, pergratum fuit. E diverso de valetudinis tuæ in-

* Eunapius Sardianus.

N 2

com-

commodo, quæ vires tuas tantum non labefactarit, auditu permolestum fuit quod nuncias. * Sozomenum curabo ut sub novum annum strenæ loco, volente Deo, accipias à me conversum. Sicubi gratificari tibi literalisquæ omnibus queam, libenter pro virili mea parte obsecundavero. Pluribus ad te scripsisse, versionisquæ nostræ partem ad te misisse in votis erat, sed ita me exercuit his totis sex diebus pituitæ molestissimum malum, quamvis studiis familiare, cum tussicula, ut animum ad scribendum appellere nullus potuerim. Itaque boni æqui quæ consules, aliàs prolixiores expectabis. Vale & Junium tibi addictissimum, ut soles, amare perge.

* Sozomenus Theologus.

Guffio suo erudito & modesto adolescenti. S. P.

Literæ tuæ, mi Guffi, perquam gratæ fuerunt, longè gratiores futuræ si quod pollicebantur, & cujus spem dederant animadversionis specimen saltem aliquod ostendissent: quid enim tu aliud, quam palatum irritamento quo-

piam,

piam, aut veriùs embammatis cujusdam fumo provocasti, dum suspensum animique incertum ita relinquis: quare fac, te obsecro per tuas Musas, ut quamprimum ista me sollicitudine liberes. Non ita sum duro atque protervo ingenio, hominem ut me esse, & quod doctissimo cuique contingit, errare posse negem, certe nihil humani à me alienum esse in animum induxi semper: nam ut demus illud, πολλὰς μαθηταὶς κρείττους διδασκάλων, quis est usque adeo ore ferreo, ut omnia se pervidisse existimet; aut qui à doctiore admoneri se non patiatur, ac præsertim, amicè id si fiat, nam inimicè insectantes repellendos ultrò censuit Cicero: imo ingenti beneficio cumulatam me putavero, si lapsius, aut μεμημονικὴ ἀμαρτηματος (qua parte sæpenumero summus ille Orator impegisse existimatur) ratione, non autem præjudicata quadam opinione convictus admonear ab homine literis tincto ac proinde candido, quem decet æqua lance expendere, quam nihil sit miserius vesano isto hominum genere, qui editis libris aleam judiciorum omnium subimus, & intanta ingeniorum

varietate, ne dicam infinitate, censendos traducendosque nos propinamus. Cura igitur quod dixi, ut miniatis tuis schædis primo quoque tempore & quidem per primum nuncium uti frui liceat, ne ardens desiderium, quod tantilla ista mora tantopere exacuit, in rabiem abeat, & nosti τῆς ποθέυσης ἐν ἀματι μερόσκειν juxta Theocritum. Grave interim fuit quod nomen tuum studio & quasi dedita opera obliteraris atque induxeris, an fuit quod in eo offensam aliquam metuisti? Cave Italico scommati pateat tuum nomen, ut Goffio mutari tibi nomen aptius possit. Vale raptim è nostro Musæo, Harlemi postridie Cal. Novembr.

Francisco Fabricio Marcodurano.

HEnricum Junium pari cum eruditione humanitatis gloria clarum, quo proxeno ad emerendam scilicet augustam istam amicitiam uti voluisti, superiore hebdomada reversus Bruxella conveni; is confestim tuas literas è sinu depromptas legendo mihi præivit, in quibus verè nihildum te responsi à me ac-

accepisse declarabas , ego eandem vicissim illi operam præstiti tuis (quas ceu tesseram ad omnem eventū circumferebam) prolatis . Ibi tum intellecto in agnomine meo errore , respondi ubi primum me collegissem à diuturna peregrinatione (quæ alienum à Musis toto mense Bruxellæ viderat) ad ipsum scripturum , quod ea dexteritate posse me optabam , qua te usum singulari Naturæ beneficio Ciceronis historia declarat , quæ olim à me cum magno fructu perlecta , *πέντεθλον* te quendam in literario stadio ostendit , ut Cercopis hujus præ illo Ephialte *ἑλίγη φρόντις* futura appareat , dum tenues molimur grandia . Ab eo tempore fuit apud me Solenander non ita pridem Duci suo comes , Medicus , ut semel dicam , eo patrono dignissimus & cuius recentiorum *ἰατρικῶν* , sed ita fuit , ut quasi per transfennam spectandum præbuerit sese , qui cum multa de te & quidem honorifica commentatio fuit , ac talis ut propemodum cum illo transegerim de adoptando ablegandoque in tuum cœtum domesticum filio , quem literis mancipio : qua de re aliquando per otium

scribes, quantum numeret grex ille tuus
ἰσορέφει, & si *ἀνωμετέρηται* aditus non
 erit obstructus, ut illis olim. Quod
 cupis scire quos effectum istud solum
 foetus ediderit, ne dicam abortierit,
 præter enumerata à te, sunt De Anno
 & Mensibus, eum Fastis Commentarius
 Basileæ olim excusus: * Cassii Medici
 Problemata Lutetiae Philippeis carmi-
 ne Londini: Nonius Marcellus nostra
 opera emendatior, id quod committenti
 cum aliis dilucidum fiet (nam operæ
 typographiæ tunc præfectus nasutus
 quispiam multum mihi detraxit hono-
 ris, probata à me lectione in contextum
 relata.) Emblematum liber cum Ænig-
 marum libello, Antverpiæ; Anastau-
 rosis Christi, ibidem exhibit eadem ex
 officina † Nomenclator noster, qui in
 locorum communium lacus quosdam
 digestus, rerum omnium nomina variis
 linguis pandet, opus valde expectatum,
 juventuti utilissimum, & iis etiam quib
 in literaria palæstra *βέλτερον* se putant,
 futurum, nisi mea me fallit *φιλανθία*.
 Eo absoluto opere Epigrammatum li-

* Cassii Medici Problemata Græca Latine sermo-
 ne reddita sunt an. 1541. † Nomenclator.

broſ, Eunapium Sardianum Latinis
auribus appenſum cogito cum Heſychio
Illuſtrio, & juſtum volumen Suidæ
emendationum, Plinianas fortaſſe, &
cum appendice Adagiorum Animad-
verſorumque libris aliquot. Idipſum
in Demotheſte præſtiturum te non du-
bito, ut præſtantiffimorum duorum
Oratorum *inſperare non deſideras* nobis
velut redivinos ſiſtas. De Apollodoro
quod ſcire deſideras, is Romæ exiit ante
paucos annos. Habes mi Fabrici lingua-
cem pro ſobria epistoſtam, ut verborum
miſera ſcriptionis tarditas compenſetur.
Vale, & de nota meliore Junium tibi
commendatum habeto Harlemini.

P. Regemortero Angla.

A Jactis semel amicitiae inter nos
mutuae fundamentis, haud laevo,
ut arbitror, omine superiore anno apud
Londinum conceptis, vir omnium inte-
gerrime pariter & doctissime, quanto
tui flagraverim desiderio semper haud
quaquam praeterirem tacitus, nisi & ab
assentationis crimine quam maxime
alienus ut esse, ita haberi quoque studu-
issem,

issem, & ii ipsi (quos diversis temporibus me tibi ut probarent simul atque commendatum haberent, obtestatus sum) nequiquam levia aut dubia argumenta fidei meæ tibi obstrictæ pervissent; in quorum nominibus recensendis irritam operam posuerim, & quorum, si sit opus, nomina æderentur: ne quid interim de tua ipsius propensa in omnes benignitate dubitare videar. Porro si virtuti tanta vis est (id quod apud philosophos in confesso habetur) ut ad se amandum non invitet modò, sed etiam invitos illice catena ad amandum pertrahat: quis mirabitur ad id deligendum me rapi quod hominis proprium vult esse Civilis Batavorum Regulus apud Corn. Tacitum, virtutem nimirum: quippe quum te (absit invidæ dicto) ut locupletissimum virtutum omnium domicilium suspiciant ad miraculum usque omnes, non modò qui te nunc fruuntur Angli, verumetiam quos nominis tui fulgor perstrinxit nostrates, in quibus aliquanto plus loci habet invidia, quam in exteris: liberalitatem, comitatem, integritatem, atque obviam facilitatem, virtutes Heròicas omnes

UNO

uno ore cuncti prædicent. Sed absit ut aliquid me tuis auribus dare credas, quin optavi non semel, imò decrevi etiam, ad te evolasse, nisi arctiùs iusto illigatus tenerer. Interim tamen absentem me, quum præsens præsentem nequeas, complectere, & Hadriani tui, quem tibi & paria eadem, & commune idioma, literarumque bonarum studium pariter & Rei Medicæ commendant, ne sis immemor, etiam atque etiam rogo. Salutavimus te ego pariter & qui has tibi reddit literas mutuis officii gratiâ poculis non semel, & cujus præsentia usui non potuit esse, animum boni æquique consulas oro. Vale eruditionis nominis & humanitatis exemplar unicum, septimo Cal. Decembris.

Hieremia Barchelto.

ACcepi commendatitias à D. Martino Ædituo hodie, sed laceras & effracto sigilli repagulo, per nescio quem cujusvis fidei hominem, intestinum testimonium cui bilet aperientes, id tibi nosse, mi Hieremia, facilius fuerit, quam mihi addivinare; Nam quod ad com-

mendationem attinet, quid tantopere
attinuit te laborare aut sollicitum esse
ea de re, quum per se satis commendare
te queat tua eruditio? aut quid de con-
ditione quantulacunque, ut res nostrati-
um exiles ferunt, quum tu tibi fingere
& fortunam & conditionem possis?
Scripserat quidem mihi D. Aed. de
Hornana conditione, sed ea jam prærep-
ta est, ut audio, & tuo tuique parentis
nomine indigna, & alioqui inter pocu-
la non suppetit aut se suggerit alia us-
quam te non indigna fors: si quid se
obtulerit, facile in tui memoriâ descen-
dero. Vale inter crateras medios.

Iacobo Poelenburgio.

QUanta perfusus fuerim lætitia,
lectis à Sasboto meo literis, nullus
facile dixerim, vir ornatissime: quan-
quam dejecerit animum meum nonni-
hil (ut verè dicam) judicii, ad quod abs
te vocabar, periclitandi necessitas, qua
in re difficultatem obtendere, ab ingra-
titudinis alea dissonum non fore vide-
bam: parendum itaque ei qui imperare
potest etiam quidvis, existimavi. Sed
ca

ea lege, ut excluso affectuum arbitrio
 Areopagiticè statuere integrum mihi
 esset: proinde sic habeto. Legi non
 sine magna voluptate, meique adeo
 genii dejectione, carmen genitoris tui
 eruditum quidem illud & elimatum,
 heröicum spirans, in quod quum cen-
 soriae virgulæ jus exercere rogatu Musii
 nostri singulari doctrina viri, parique
 dexteritate Poëtæ, incepissem, jamque
 ungue quæ miniatæ ceræ loco erat quæ
 interpolanda putarem fodere parassem,
 coactus fui ab incepto desistere, meæ-
 que ipsius culpæ agnitione revocatus,
 veluti mox in ipso operis frontispicio
 de Danubio, quem quia legeram con-
 sensu autorum omnium in Ortum Solis
 exonerare se, illud in Austrum, cona-
 tus fueram mutando reponere, in Ortum:
 Sed quum pressius rem apud me expen-
 dissem, geographicoteræ parentem
 tuum observasse Stridonis situm per-
 spexi, idem in uno atque altero mihi
 accidit aliena curiosius rimanti, ut de-
 siderio doctiss. longeque humanissimi
 Musii fatissacerem, qui provinciâ hanc
 à se in meos humeros devolerat, una
 tamen in voce passim impegisse parens

tuus (parcent mihi sacrosancti illius viri Manes) visus mihi est, Græcæ fortassis linguæ, cujus in ea ætate vix tenues scintillæ emicuerant, imperitia; dum in Eusebiadæ vocabulo secundam semper producit, quæ natura brevis est, alioqui dispeream nisi carmen sit rotundum, varium, & ad heroici styli majestatem feliciter assurgens, si quod aliud, nec indignum quod in manus hominum veniat, publicumque prætentet, deversa per te una aut altera illa labecula, per te, inquam, qui ut confessus dignitate, ita & ingenii dexteritate parenti sis simillimus, & quem parentis optimi Manibus parentare gloriosa æditione tanquam justis quibusdam debere censeo. Quare si quid ego video, persanatis pauculis illis mendulis, existimafim cum multis majorum quodammodo gentium Poëtis quos hæc ætas nostra extulit, paria facere posse, nisi si Vidam unum aut alterum, qui totum ævum absoluendo uni operi impenderint, obijcias. Proferes ergo aliquando in lucem, quod felix faustumque sit, nec in tenebris delitescere semper patieris. Atque hæc quidem hætenus. Nunc

vi-

vicissim mihi interpellandus es, vir ornatiss. ut huic juveni qui has meas tibi tradit, fratri affinis mei sororis meæ mariti (cui propter morbum ipsi præfenti esse non licet) operam tuam non deneges, intelligo enim ejus causam tuo & clarissimi viri, meique (ut arbitror) studiosi D. Susii arbitratus esse permissam, quæ est cum levissimo, impurissimoque ardelione & perjuro, quantum videre potui, quadruplatore, hoc est, ut uno dicam verbo) Scoto reipsa; qui quas non tragœdias innocentia homini moverit cum in Gallia, tum isthic, vobis abunde liquere è scriptis potest: qui si jurisiurandi (quod illi genti nullum est) religione tutus, voti que sui compos esse posset, quam ille mox ventis vela laxaret, ipse venti, quod dicitur, campus. Proinde eam in vestra æquitate fiduciam colloco, quod non indulgebitis homini extero ipsa levitate leviori Scoto denique laxiores habenas, neque evadere illum patiemini qui pedem ubi ponat non habet, cum magno nostrarum rerum detrimento, tum certissimo vestri ludibrio. Itaque commendo vobis majorem

rem in modum causam istam, ut soror
& affinis intelligant aliquid ponderis
habuisse meas apud vos literas. Harlemi.

Cornelio Susio.

TUæ valetudinis cura mihi cum bonis omnibus, Præses optime, est antiquissima: itaque mei officii esse duxi admonere diligentem ut ejus habeas curam, quando & Reipub. intersit id fieri. Etsi igitur ventriculus probe suo muneri satisficiat concoquendo, ut è tuis verbis didici, appetentia non degeneret, cruditas tamen, quam lotium, hujusce rei non vanus index, exhibet, portendit quiddam à cachexia nō alienum, nisi caveris: itaque huic malo potissimum occurrendum suadeo, iis rebus, quæ primas venas & viscus utcunque expediant, & ab infractu liberent, in quo non postremas habiturus fueris radicum aperientium usus in jussulis: quod ipsum medicorum industriæ præsentium relinquo. Nam sudor ille superioris noctis (ut admonui) non tam concoctionis testis fuit, quam cujusdam potius naturæ oppressionis è copiosiore ali-

alimento. Quod ad illam attinet, quam nosti, si ita res habeat, ut narravit, de tenesmo & dysenteria, si non commenta & confuti sunt doli (nulla enim morbi illius vestigia vidi) us piscimuto loquar, statues quod tua consebit æquitas, medicorum duorum intercessione emolita. Admonitionem istam æqui bonique consules à tui studiosissimo profectam, ubi malui medicos & consultores formidolosos, etiam tuta omnia timentes sequi potius, quam nimium securos: in illam parre peccatur prudentius ostendendo periculum, hic vecordius eò periculosiusque, quo securius. Vale. Harlemi.

Arnolda Rasenbergia. S. P.

ENtibi, vir humaniss. literas à Guldesterrio Suetiæ Regis Legato scriptas, quæ mihi hodie prandii tempore fuerunt allatæ Amsterodamo: ut quæ possem fide ac diligentia perferendas ad te curarem, quod officii ego libens in me recepi, tum ut utrique gratificarer, tum ut data occasione te provocarem ad promissi fidem explendam. Nimi.

mirum ut durante amœno hoc cœlo
 hospitio nostro dignareris succedere
 unâ cum uxore tua lectissima fœmina &
 promissi religionem exsolvere, quod ut
 facias te etiam atque etiam rogo atque
 obtestor. Imp. Ferdinandus dicitur in
 fata concessisse, qui rumor de ejus mor-
 te Daventria heri allatus est. Vale.
 Raptim Harlemo.

Martino Aedituo.

SCRIPSISEM ad te jam pridem, mi Mar-
 tine, nisi sedulum tuarum literarum
 desiderium expectatioque id invidisset.
 Anxia namque ista quo in statu res sint
 tuæ, qui insoliti muneris successus, co-
 gitatio, mirum quam nos suspensos
 omnes & sollicitos habeat. Quamobrem
 ut fidem tuam liberes, ut nos omnes
 consolatione quadam & gaudio afficias,
 nihil errabis, si epistola nos de tuis rebus
 certiores feceris, alioqui jam olim ex
 auriga vectore tuo intellexisse mihi sum
 visus te incolumem adventum tuum
 præstolantem Antverpiæ offendisse.
 Martinus Lemnius & alter Linnius,
 ter quaterque de literario officio admoni-
 ti,

ti, scripturos sese professi sunt, atque adeo nudius tertius inter pocula gestiebant cantiunculam quilibet suam ad te, & dictorum (quas nosti) novitates aliquot perscribere, quibus sollicitudinum nebulas ab animo tuo dispellere, si quæ sint, volebant, nisi certamen liberale poculis certandi undanti eos gurgite transuersos rapuisset: Sed promissam operam utriusque nomine abunde exequutus est noster Martinus, ex cujus literis miras illecebras, aureis rasuras affatim, percipies. Sed hæc prolixius. Libri tui nondum ad te redeunt, quin dierum aliquot operam sibi reliquam esse iidem dictitant. De bello rumor durat etiamnum, & quidem solito auctior, quare quid sim secuturus nescio, quid fugiturus scio. Occulta quædam grassatur hîc investigatio, eorum qui Lutheriani dogmatis nomine suspecti sunt. Sturinius legatum egit apud Regem pro explorando ejus affectu & assensu in propagandis Evangelii poemœriis Rex cras aut perendie hîc præsens erit. Mesve Sylvii sub prælo sudat. Tagaultii priores duo libri ad umbilicum sunt perducti. Eustathii quoque magna

magna pars. Farnellii Medicina Colinao excuditur. Hæc sunt quæ scire tuâ interesse duxi. De Arnaldo nostro nihil interim accepi literarum, quid sit, me latet hercle. Quod reliquum est, ut novus hic annis felix faustusque tibi ac nobis sit, precor iterum atque iterum. Vale.

Eidem, ut suspicor.

AUDIO Th. Dosium Pharmacopœiam parum sincerè aut integrâ fide agere cum puero Joanne, mihi sanguine juncto, nunc illum amandari alio, tanquam prophanum à sacris, nunc eludi aut distineri in tundendis trivialibus tyronum primæ anni seminibus, nunc alia quavis ratione occupari, ne intersit secretiori (ut ita dicam) adyto, confectionumque, si diis placet, abditarum penetralibus, quum jam totum, ni fallor, triennium apud illum triverit non sine magno tenuium fortunarum dispendio. Quod si aut hebetiore ac tardo foret ingenio, aut maligno, paratam excusationem haud iniquis auribus admiserim: nunc quum neutrum in eo comperisse, imò

imò lubentem quendam Mercuriolum ac dextrum agnovisse mihi visus sum (nisi fallor) parum æquus mihi putabimur, dum æquioribus herbam porrigere cogar, nisi si fuerit in causa (id quod intellexisse aliunde non dissimulabo) importunior ejus aliquando in mysteria illa superiora introitus, quod ego liberalis minimeque torpida, sed discendi avidi ingenii, argumentum interpretor, haud impudentiæ, quod illi falso fortassis opinantur. Equidem ita sentio, provehendam esse ingenuorum ingeniorum spem, non suppressendam tanquam in herba & obruendam. Jam si fiat id ad exculpandum, vel potius exprimendum peculii sanguinem, vides quanta id acerbitate accipiendum sit. Utcunque res cadat, mea nihil interest; piguit tamen atque adeo doluit mihi istius amarulentiae in cognato sanguine. Voluique te ejusce rei non esse ignarum, ut vel levi tua admonitione, qui apud illum quidvis potes, æquioribus conditionibus illum habeat. Vale.
Harlemo.

Ni-

Nicolao Grudio. S. P.

Vide obsecro, vir ampliss. omnibus animi fortunæque bonis cumulatissime, quam levicula res sæpe animos faciat: en unicum illud alloquium quo me superiore anno dignata fuit tua benignitas, pavore omni sublato eam mihi fiduciam addidit, ut in hisce negotiorum te undique vallantium turbis, in re tam tibi factu proclivi, animum compellendi atque deprecandi tui sumerem: quæ res quam sit non difficilis tibi aut laboriosa, sed à verbuli unius momento tibi pendeat, cognosces. Iste qui has tibi tradit literas, frater est mihi uterinus, Hornanæ civitati à secretis, is præturam ejus urbis ambit, libentibus omnibus, certoque & explorato optimatum omnium assensu: altero, qui id muneris obit propediem eo defuncturus, spurca & peculiari quadam temulentia ita famoso, ut non possit esse magis. Ad hanc igitur rem obtinendam, nihil te uno magis idoneum putavit ille, qui tua autoritate, qua polles maxima, quidvis impetraturum te certò existimat,

mat, indubitatumque hoc habet nullius te passurum repulsam, si vel verbo hanc commendationem instituas : reliqua ex ipso facile cognosces. Quod si facias, uti facturum te spero, uno facto duos tibi obæratissimos beneficiique immortalis nexu obligatissimos reddes. Itaque ut in hanc curam velis incumbere, per Musas tuas te quanto possum opere obsecro atque obtestor. Vale, vir ampliss. & Hadriani clientis, si admittis, tui ne obliviscitor, ita te nobis studiisque diutissime incolumen conservet Deus Opt. Max. Harlemi Kal. Februariis.

Arnoldo Peraxylo Arlenio.

MIraberis insolens scribendi studium, doctissime Peraxyle, in eo qui ad te numquam literarum momentum diderit, neque id injuria, dabis hoc Epimetheo, qui licet antea eruditionem tuam suspexerim semper maximi que fecerim, nunc tandem (tarditatus culpam deprecor) sagaciori aliquanto nare pectus illud omnigenæ eruditionis refertissimum odoror, admiror, exosculor, de quo
id

id auguror, quod de Jamblichō prædicavit ὁ πάριβάνης, à cunctis nimirum literarum amatoribus te ~~τοιοῦται~~ τῆς οἰκουμενῆς ὑπελπίσας olim auditurum. Hoc de te tua Musa pollicetur. Gaudeo equidem tuo nomine, nobisque, imò literis gratulor, quod apud Illustriss. Oratorem Cæsareū acerrimū τῆς ἐκείνου ἀσσοῦ assertorē quidvis possis & in revocandis ad lucē veteribus scriptoribus Orpheum quendam nobis præstes. Accepi magna cum aurium voluptate descriptos à te esse Commentarios Græcos in Æschylum : & libros Dionysiacōν Nonni. Quod si verum loquitur fama, edendis istis ejusque generis raris autoribus, quantum rei literariæ sis adjumenti allaturus, quid attinet commemorare? Hoc in præsentia te flagitarim, candoris & facilitatis exemplum unicum Peraxyle, ut ne nobis familiaritatis tuæ & amicitiae (cujus τὸ εὐδοκίμου epistola licet brevi, majore tamen benevolentiae ac studii significatione μενέτω) fores claudas, nisi prorsus indignum καὶ ἐκβλητὸς πᾶσι judicaris. Utinam certe id res meæ familiares paterentur, ut in ea luce tecum & cum tui similibus, quo-

quorum industria illic velut in amplissimo quodam orbis theatro , illustris est , vivere daretur & consuetudinem habere. Qui hasce tibi reddit literas, nostrâs est , modesti, ut apparet , ingenii, καὶ ἀμειψόμενοι, ἄνθρωποι ἐξ ὁμοῦ καὶ μαθητὴν ἔχοντες, is ignotus hodie ignotum salutavit , sciscitatusque est , ecquem in Italia nossem , respondi de te tuaque eruditione καὶ καθάκρεια, & Laurentio , de aliis dubia omnia : ad hanc ille vocem obtestatus est me , ut vel tria ad te verba pararem. Arrepto itaque calamo , acquiescere monenti, ac pauca ista exarare visum est, deinde obtestatus est ut se tibi commendarem, idque officii non denegare, humanitatis referre putavi , quanquã ægrè eo adduci potui quod vereretur animi tui offensionem libertate ista prima incurrerẽ: animavit me tamen singularis tuus candor. Itaque tantũ des illi, tantum mihi, tantum humanitati obsecro , ut patrocinium hominis apud aliquem familiarium suscipias , quorum etiam centurias numerare te posse scio , apud quos auctoritate plurimum valeas , qui in tuam gratiam hunc hominem commendatissimum sint habituri ad quævis officia &

O

mu-

munia paratissimum quiq̃ue egit in Italia biennium , ut ait , ejusq̃ue jam summo flagrat desiderio. Quod ut facias , etiam atque etiam te obtestor. Vale.

Ignoto .

SAlve domine humanissime. Jam prima & vicesima agitur (ut nosti) hebdomada , ex quo partim pecuniolæ mihi debitæ spem facis , diem è die du- cendo , partim nostri fugitans conspectus & colloquii tigi versaris , me interim ludificato. Ego nunc unicè peto , & amicè flagito , ut , si ita commodum tibi vide- tur , rem per unum atque alterum , utriusque arbitros componamus , aut inter nos amicè , ut antea , transigamus. Puto namque te tui honoris habere rationem velle : quòd si te non tangat ea cura , qua tamen honestissimum quen- que moveri par est , jure me meo in te uti velle te significabis , quod mihi gratissimum accedet . Alioqui quòd me apud alios traducas , sic enim accepi , præter æquum istud facis. Cujus rei fides penes autores esto , neque verò cui- vis credendum existimo. Vale feliciter in Christo .

Id.

Iacobo Longio ni fallor .

COgimur mi Domine cognominis,
 in causa non tam inope, quam pa-
 troni integri egente vindicem te appel-
 lare : (neque enim lucos, asyla, aras,
 vindicias, statuas heriles, ejusque gene-
 ris subsidia, id quod in rebus attritis
 atque deploratus fieri solet, quærimus)
 te nobis in re æqua (ut sustinemus)
 Demosthenem quempiam deposcimus :
 in causa communi cum eo qui has meas
 tibi tradit, non consilium, sed victoriam
 nobis pollicimur, te denique assertorem,
 ne dicam Camillum quempiam (absit
 dicto invidæ) nobis exposcimus. Sed
 hus tu, mi vir, ne existimes me tuis auri-
 bus plusculum dare, te justo titulo &
 pari nomine causæ (ut arbitramur) æquæ
 vindicem fore spero, eamque fartam
 tectam redditurum, quo te olim nobis
 approbasti Causam omnem, quia tem-
 poris angustia excludor, melius tibi
 exponet meus affinis, sororis meæ mari-
 tus, cui hæc lis controversa vertitur,
 cui ut ita patrocinare te obsecro atque
 obtestor, ut intelligat quantum ponde-

O

2

ris,

ris, quantum commenti mea apud te commendatio habuerit, beneficii verò summi loco erit celeritas. Mitto tibi in munusculum initiatorium, Dionysii Areopagitæ opera quod ut boni consulas te oro etiam atque etiam, missurus aliquando mea opuscula ubi à prælo respirarint. Vale, vir candidissime, meisque verbis salutabis diligentissime D. Arnoldum Cobelium juratissimum mihi & devotissimum virum, quo nihil mihi lectius esse potest. Raptim, Harlemi.

Ignoto.

QUANDOQUIDEM proluviū istud alui, (nostri Diarrhœam vocant) quod T.D. infestavit, ab hepatis vel immodica intemperie, vel obstructione ejusce visceris ortum non duxit, ac proinde periculum minari non videtur, jubeo te in utranque aurem ociosum dormire, modò vitare licebat (debebit autem libere cui valetudinis cura cordi est) cruditatem è crapula natam, cui frugaliore vivendi ratione medeberis, usuque ciborum concoctu faciliū, succique laudati, & à piscibus abstinentia ad dies
ali-

aliquot, ne malum recrudescat: ventriculo optimè occurreretur etiam olei de macere illitione: summopere laudatur quoque conditum de malis pyrisue cydoniis, quod in hunc modum concinnabitur, Rec. carnum cydoniorum faccaro conditarum sine specibus uncias duas assumas drach. duas paulo ante cibum. Vel istud. Rec. cornu cervi usti drach. unam. & semis misceatur cum aquæ plantaginis q. s. bibatur ante cibum, quod non in alui tantum fluxu, sed & in colico dolore percommodum est. Cæterum quia tuæ D. visa mihi fuit conqueri de prompta quadam reddendi alui cupiditate (quod symptoma plærunque diarrhœæ comes esse solet, ac Tenesmi nomine à Medicorum filiis indigitatur) & quia diarrhœa quæ præcessit falso phlegmati aut permistis illi biliosis acribusque humoribus originem sui acceptam referre solet, cujus rei indicium facit punctionis in ano sensus, laudarem vel oleo rosaceo, vel unguento populeo anum & interfoeminium totum inungi. Sin' à cruditate (quod vero similis est) ventriculi malum inceperit, isthîc cibi parsimonia & quidem

dem concoctu facilioris ac succi meliores, pellendum malum censuero aut si malum assiduet, consulo furfures in rubello vino decoctos cum verbasco (thapsum barbatum nominant) excipi facculo, ac sedi admoveere. T. D. pro sua eruditione, si quod habet præsentius remedium, utetur iudicii sui censura.

Iacobo Poelenburgio.

CUM humanitate tua, qua me tam honorifice exceperis, tam liberaliter tractaris, tam comiter dimiseris, quomodo paria facere queam, nullus invenio, nisi quod ingrati insuper maculosum nomen imponendum mihi verear, ni tu ipse id aliquando aboleas, tua præsentia nos dignaturus, & hospitii vicissitudinem accepturus, quod quo facies citius, hoc confirmabis tesserae fidem magis. Mitto ad te cum Sleidano, Pauli Jovii historiam, uti postularas, libellos numero quinque, qui quod ferrius ad te perferantur, in causa fuit & nautæ in exportandis lineis telis mora longior à perfidia parum aliena & quod aqua immaduissent illi cum cæteris omnibus.

nibus. Tu interim lectione fruiere jucundissima, & nos, quod facis, ama. Salutabis ex me accuratè amplissimum virum D. Marium, & humaniss. tuam uxorem, fratremque amantissimum. Harlemo quarto Nonas Decembreis.

*Hadr. Iun. Cornelio Susio &
Iacobo Longio.*

ET si interpellare vestras curas animus horreat, viri clariss. tamen cum in vestra manu positum existinem id quod petere propositum est, cumque rem non iniquam flagitare contendam, patientes mihi tantisper & feriatas aures accommodari à vobis mihi postulem, dum nuda simplici que oratione & à coloribus vacua rem non altius repetitam cum bona venia expono. Decimus tertius agebatur annus vertens, ex quo in beneficia ærarii relatus Reipub. beneficio immunitate à vectigalibus usus fueram continuus, quum tandem exortus publicanus, is qui nunc tandem publicos proventus redemit, rationes mihi omnes in tranquillo constitutas conturbare, meque quasi de gradibus dejicere

adortus est, quam rem per se indignam, indigniorem facit fortunæ meæ pristinae acerbissima recordatio, quam non mediocrem Reipub. olim condonavi, & qua incundè toto vitæ cursu uti frui licuisset, nisi gratitudinis spes propositæ hinc affulgens, eam facile ex animo oblitteratam delevisset. Miserum est diuturna possessione exturbari, sed minus est, injuria. Iniquum est immunem laqueis legum confringi, iniquius post tot annos securitati assuefactum & innutritum, immunitatisque bono mactandum potius quam defraudandum. Nam quam octoginta Coronatorum autoramentum in singulos annos (pace Reipub. dixerim) ut communis ejus inseruirem, missum fecerim, par fuerat laxiores mihi indulgeri habenas, tenuitatiq; nostræ liberalius consuli: sed ea de re pluribus agere nolim, ne ingratitude maculam mihi ipsi aspergere velle videar. Habet civitas ista inter suas municipales leges, ut juven-tus, quæ scholam publicam frequentat, pro capite in singulos annos Caroleum velut tributi nomine persolvat, quasi soluta gravioris impendii onere, quo
au-

augeſcat ſcilicet ſcholaſticorum multi-
tudo, ac proinde civitatis creſcant opes.
Hic exiguntur viritum tres Carolei,
iniqua (quantum ego iudicio) ratione,
quaſi aut illi ſoli qui publicè ludum fre-
quentant, ad capiendum ingeniorum
cultum advolent, & propterea munici-
palis munificentiae prorogativa digni
habeantur, aut ſoli illi civibus com-
merciorum cauſa ſint. Utrunque certè
in iis quos ego literis inſtituendos acce-
pi adeſſe nemo inſicias juerit. Accedit
quod in liberos meos è priore uxore
natos idem juſ, propè dixeram injuria,
depoſcitur. Quid his rationibus con-
ſtituatur aliud non video, viri clariff.
qua ut & immunitate mea ego extermin-
er, & iniqua compendii acceſſione lo-
cupleterur publicanus: etenim ſingu-
lorum nomine, quos domi alo con-
victores, tres Carolei ſi mihi pendendi
fuerint præterquam quod exors immu-
nitatis erit mihi familia mea, de cœtero
etiam triplum refundendum fuerit, ita
ut longè ſatiùs fuerit immunitati nun-
cium remittere in univerſum, quam
damnoſi honoris onere gravari. Quare
id modò poſtulo, ut ſi aliter nequeat,

O 5

Reſpub.

Respub. de rationibus præteriti cum publicano suo transigat, mihiq̃ue certum pensum paciscatur ultra statam portionem immunitatis. Nunc te Sufi, teq̃ue cognominis Juni, lumina & ornamenta Reipub. Hollandicæ, appello, vos obtestor supplex, ut Junium vestrũ à periculo quod illi creatur, factum rectum conservare à legum judiciiq̃ue laqueis emittere velitis, ac tenere cursum, quem hætenus jubeatis, cùm propter non minimum ejus in hanc Rempub. meritum, tum propter officiosos labores suos, & nonnullam apud eruditos opinionem & gratiam, vigiliis partam monumentorumq̃ue multiplici genere, unde non ad juventutem modò Harlemensem, sed ad totum studiosorum nomen utilitatis aliquid mansurum sit. Quod si præstiteritis, viri clariss. ut certè in vobis est, qui summa autoritate polletis apud Consules viros lectissimos omnes, nostræq̃ue causæ (neque enim in dubium eorum mihi fides venit) satis æquos futuros, beneficium traballi (quod dicitur) clavo fixum animoq̃ue memori sempiternum collocabitis, quod nullum tempus, nulla fortunæ in-

injuria abolebit unquam . Valet .

Arnoldo Theodoro Amsterodamao.

INtellexi ab Hadriano nostro meas per Blasium literas tibi non esse redditas , quam rem non possum non impensè mirari , quid si dicam , etiam flagitium detestari : nam in eo periclitatur mea fides & illius , qui publicus tabellarius est , quamvis de me securus sim , ut qui rem omnem aperuerim Hadriano abeunti , quæ causa etiam fuit , quur te non epistolam , sed libellum à Blasio accepturum scripserim . Quaternionem illum primum , de quo scribis negat bibliopola daturum se , ob unius exemplaris integritatem . Mitto ad te per Stephanum partem Eustathii mei , cujus reliquum corpus in proximas nundinas Francfordianas differt Wechelus , non absque meæ gloriæ detrimento . Post dies tres aut quatuor hinc decretum est movere , Cramben *Norþw* jam mihi sapit Gallia , tu ad nos literas si quando mittes (quod ut facias sæpius rogo) in Hollandiam ad Martinum nostrum curabis perferri . Exemplum epistolæ superioris , quam

tibi redditam negat D. Hadr. hîc sub-
 texo in magna temporis penuria, quæ
 ultimo hoc temporis articulo mihi in-
 cumbit hac solum de causa quod meam
 fidem liberare cupiam. Lutetiæ Parrhi-
 siorum. Vale Nonis Aprilis.

Petro Nannio.

Literas tuas cumprimis eruditas,
 doctissime Nanni, & singularis in
 me amoris & fidei plenissimas, reddidit
 pridie idus Martias Lambertus Tra-
 jectensis vir non indoctus, & vel maxi-
 mè candidus: ad quas respondere uti
 me deterruit Delphicum illud oracu-
 lum quod *μηνόσκεν ἑαυτὸν* monet, sic tum
 revocavit me aliô pudor, tum animavit
 mirificè (quæ humanis ingeniis innata
 est gloriæ cupiditas) tuum de me judi-
 cium, & illa mearum laudum accumu-
 latio, quarum non adeo fuisti parcus, ut
 etiam prodigus esse videre: Tametsi
 haud scio an nimio mei studio donan-
 dum id sit, an quod occulto consilio
 dederis operam quo me proveheres
 & ad majora inflammares. Quanta
 cum expectatione apud Elæos sub Stöa
 se-

sedens Athleta τὸ μισομυβερὸν κέρυγμα
 præstolatur, tanta & majore etiam cum
 animi lætitia, tuam illam censuram de
 meo ingenio, deque exili ejus foetu
 sim amplexus. Quid enim est aliud sub
 tanto Palæmone judice vicissie, quam
 velut aurei pomi congiario fuisse dona-
 tum? Unicum Nannii de me elogium
 pluris quam omnes inauratis linguis sta-
 tuas (quæ Græcorum fuerant ὡς ἀθήματα)
 facio. Damnatur interim ab Juliano
 avarū Sylofontis pro chlamide de Samo
 possidenda votum: nec immerito culpan-
 dus & ego venire, si pro exiguo in ami-
 cissimū caput collato officio, tam uberem
 tam splendidum mearum laudum cumu-
 lum vel expectare, ne dicam poscere
 fuisset ausus. Quis unquam cum Bu-
 dæana grandiloquentia καὶ τῇ τῆς φειάσεως
 ὀγκῶ nostram exilitatem cum Barbari
 majestate quam simul cum succulentia
 temperatam habet, meam existimasset
 nuditatem committendam, nisi huic
 rei tu primus præscripsisses modum,
 tu inquam, ὃ τῆς ἑς λόγους διδουχέντων
 facile princeps: nam communem no-
 stram patriam Hollandiam exornare
 quod tu in meum adstivis caput, in quem

tandem, si non in te, cadet? Quod cum Justo Velfio, magni in quamcunque partem sese applicuerit judicii viro, redieris in gratiam, ut scribis, gratum est, ut quod maximè; alioqui quam ego libenter vitilitigatorum quorundam linguis malè esse velim, qui nil satagunt aliud, quam virulentis moribus doctorum hominum dirimere consortium. De * Lucretio vix possum certi aliquid polliceri, propterea quod omnes suos qui à typis illi erant, exauctoravit superioribus diebus Christianus: alioqui vel semel à me tui instituti admonitus, illico exemplar, quod in officina non extabat, emendum curavit. Sed nondum nosti mulierum tyrannidem. Condylomatis sævitiam fac ut primo quoque tempore *ἀντιπαύλιον* compescas. Excusabis me apud D. Velsium quod non scripserim distineor namq; pluribus negotiis, & implicat me in Architectonicæ artis vocabulorum explicandorum infinitū pelagus, quod operæ in † Vitruvium consumitur; & urget discedendi cupiditas: addit etiam aliquid inter cæsa & porrecta (quod ajunt) laboris, Com-

* Lucretius. † Vitruvius.

men-

mentariorum aliquot Galeni restituendorum cura. Spero propediem vos videre lubens etiam si digna me maneret conditio, isthîc hæsurus ut vestra frui præsentia καὶ συζητήσας liceret. Vale Nanni doctiss.

Martino Aedituo.

POst alterum quam scriptæ fuerant mensem & amplius, tuæ mihi hodiæ fuerunt redditæ literæ, multò desideratissimæ, ex quibus de tuis rebus, tuoque statu factus certior incredibilē cepi voluptatē, ad quas respondendi locū negat temporis ratio : Itaque tuo successui valde gratulor, ut debeo : Nam spero brevi coram tecum colloqui ; quo nomine non possum jam esse prolixior, aliās, ut nosti, ὑπερβολικαῖα planè. Scripsimus ad te ego & Martinus Lemnius ad Natalem Domini per Petrum tabellarium, sed vereor ut redditæ sint literæ, quum ad justum (quem existimabam Antverpiæ vitam degere) fuerint inscriptæ. Anhelant video meum redditum mater & cognatorum natio. Salutant te Lemnius & Linnius
ad

ad quos tabellarium duxi hodie, qui tamen, ut id quod sentio semel dicam, parum candidè mecum videntur egisse, quod librum tuum mensibus abhinc duobus sæpius efflagitatum, in extremum usque diem, quem mittendæ meæ suppellectili destinavi, rejecerint, quamvis ante binos plus minus menses defuisse esse illis usui multorum testimonio constet. Vale & animum quem nosti amplectitor.

Cornelio Rhemmio.

Q Uibuscunque rebus possum, libenter tuam benevolentiam demereri studeo, idque velut ex officio. Itaque nihil mihi omittendum decrevi semel, quo tibi gratificarime posse confidam. Proinde quum aliud hoc tempore non haberem, libellum, qui superioribus diebus in lucem prodiit de expeditione Cæsaris in Africam, tibi mitto, ex quo plurimas nænias & multorum mendacia convincere poteris, quamvis autor ipse oculatus adfuit testis: & quamvis nationis sit Gallicæ, non tamen vanitatis, quæ huic genti ab omnibus impingitur, in-

insimulandus videtur, adeò ubique de Cæsare magnificè sentit, & optimi fortissimique Ducis gloria illum non defraudat. Quod ipsum veri & ~~peritus~~ historiographi est, sepositis affectibus, ceu pravis arbitris & consultoribus, de laudato viro, quamvis hoste, laudabilia prædicare. Vale, vir ornatissime, & Hadrianum ut tuum clientem amplectere.

Ioanni Pisoni.

Næ pulchrè apud Græcos dicitur, Vulpes pilum mutat, non mores: huic tu diverbio, mi Piso, quam luculentè fidem adstruas, audi. Vix inspexeram tuas literas, quum statim velut apertis fenestris ingenium tuum solito more apertum, candidum, pro re nata hilare, & festivum, totum se mihi ostendit. Quam, Deus bone, me refecit mirificè læta illa jocorum seges tuis aspersa literis? Quid dicam de scribendi dexteritate & succulentia, cujus incredibilis expectatio me mirum in modum affecit, eaque in mediis spumantium craterum fluctibus nata? Hæc nim-

mirum & alia, quæ, ne te velut in os collaudare videar, jam missa facio, tui ingenii fecunditatem abundè commonstrant, & quandam inventionis restibilem ubertatem.

Meinarde.

QUOD ad te Meinarde integerrime nihil hætenus literarum dederim, multæ sunt causæ, cùm quod variis exagiter curis quæ animum alio atque alio trahunt, impellunt, rapiunt, tum quod commodi tabellarii defuerit copia, adde huc bellicos istos tumultus qui vobis propiores fuerunt & vias omnes tutas obsederunt, ut alias omittam brevitatis gratia. De vestris rebus certiores paulò, non tamen ad liquidum facti sumus nuper quomodo cum politica defensione, sacerdotii intemèratam libertatem confuderitis, dum sedulo in vigiliis incumbitis, stationes tuemini, armis accincti mœnia stipatis sacrifici, quamvis, vos placando numini & precibus sollicitandis vacare æquius fuerat, ut aliquis dixerit. Ego tamen, si meo lis staret iudicio, vos laude omni superio-

riores hac in parte censuerim, qui pro aris & focus, sacris profanisque dimicare parati, sacerdotii gloriam hoc facto minueritis, tantum abest ut & auctiorem augustioremque reddideritis. Sed hæc ἀμαθύνει ad te: attamen feliciter cecidit, quod pro vobis ægida suam hostibus objecerit Louanii tutela Pallas, uti quondam contra gigantes fecisse fabulantur. Intellexi non ita pridem Enchusæ te fuisse concionatorem, miror certè prodigam illam tuam socordiam, ne dicam, nostri contemptum, qui non dignatus fueris Hornam percurrere in nostras ædeis divertere. Hiccine Theologorum fastus est? hoc-cine profanæ mensæ fastidium? certe Naturæ tuæ id esse vitiū non agnosco; quapropter in posterum fac ut sis φιλανθρωπότερος, & humiles nostros lares non asperneris. Vale & amicos nostros omnes diligenter ex me saluta.

Iacobo Poelenburgio.

SAlve, vir integerrime. Quid in causa sit quur non dicam rariùs, sed ne semel quidem inter nos ultro citroque com-

commeent literæ, aliud reperire non possum, nisi quod vicinitas locorum quæ nos disiungit haud ita procul, segniores hac in parte reddat, id quod vulgare diverbium de iis qui proximi phano habitant, testatur: proinde si tuus huc accesserit calculus, sarciturum me quod hætenus negligentia omissum est, spero. Miror quid fidem vestram fefelleritis de instituto itinere. Ferunt apud Binzium in Gallobrabantia Longovallium comitem Martini Rossemii cum pluribus aliis pila ferrea è tormentis excussa cecidisse, & ab Anglis occupatam Bonam.

Petro Nannio.

NActus occasionem in præsentia ad te scribendi, Nanni doctissime, non potui absque ignaviæ suspicione, eam è manibus more inertis agricolæ deponere; proinde paucis habeto. Nos hîc commodè valemus, interdum vano hostium metu concussi, unde periculi nobis nihil est. Militares illæ copiæ ad vestras usque stationis procurentes, non parum timoris Lovaniensibus inflixisse di-

dicuntur, attamen *expositum* juvenis audacia urbem è manibus hostium eripuisse creditur, si vera est fama: veruntamen ea excursio, sive dicam impressio satis docuit & velut indice commonstravit, quam in pace confidentes, belli meticulosi, hoc est, utrobique degeneres & ignavi Lovaniensium plærque fuerunt, quippe ubi plures ducentis elapsi mœnia deseruisse credantur. Sed hæc omnia planius & verius ex te intelligere possemus. Tu verò, mi Nanni, *expositum* nomen longè à te abjecisse narraris, ut qui framea munitus stationem tuam gnaviter & vigilanter defenderis. Damianus à Goes captivus abductus cum prætore unà memoratur. Budam expugnatam ferunt. Armantur hîc aliquot celoces & liburnicæ in hostem libera prædandi potestate. Imperator quam potest maximas adunat copias. Lantgravius Hassiæ Imperii nomine viginti Germanorum millia subsidio nobis ducit. Quem tandem exitum hoc bellum sit habeturum, incertum, sed Deus, ut spero, haud impunitam istam Galli perfidiam in Christiani orbis perniciem adornatam finet.

finet. Vale & amicos de meliore nota communes meis verbis plurimum salvere jubeto.

Ioanni Beverovicio.

SAlve, vir clarissime. Vix admonuerat me superioribus diebus Gilbertus noster, datum sibi esse negotium à Dujistio de repetendo libello, eoque sibi ignoto, quin suboluerit mihi idiomate Italico perscriptum exemplum, meæ olim fidei à Cornelio Rhemmio commissum, reposci. Attuli itaque id postridie, hoc me nomine peti conscius. Mox Gilbertus à te schedulam profert, quæ præterquam quod libelli liberam continebat flagitationem, tantam & mihi tui admirationem iniecit, ut non potuerim satis tuam in repetendo quod tuum erat modestiam sermone promoverè, suspicere, & exosculari. Hoccine, inquam, opes summæ, quæ fastum nusquam non pariunt, efflagitent? Hoccine ignoti hospitis mereatur absentia? Quasi verò dictabat animus, aut liberali ingenio bonisque imbuto literis tanta suæ originis, quæ cœlitus comparata est,

est, oblivio possit obrepere, ut odiosum illud in bonos supercilium exercere velit? aut aliquod flagitium in ignotum ignotus potuerit committere hospes? Rursus cogitabam apud me, singularis viri eruditio, humanitatisque studia apud liberale ingenium facile obtinent, ut supercilium haud exerceat, & libenter etiam quosuis sincerioris literaturæ studiosos quamvis ignotos, aut saltem eorum vestigia affectantes, amplexetur, ut tacceam in præsentia quid hac in parte virium habere potuerit Ulyssæa illa tua prudentia post multorum gentium mores agnitos, urbesque lustratas comparata. Quæ certè omnia, referente Gisberto, attentum me quasi in stuporem tui pertraxerunt. Cæterum sollicitabat ille quoque animum meum & veluti pertentabat ex tuo, ut addidit, mandato atque consilio, de occupanda medicam artem exercendi provincia apud Delfum nobilissimam facile & principem Hollandiæ civitatem. Quæ res non levi ariete meam mentem percudit, nec dubiis argumentis oppugnavit: primo enim in doctorum hominum (quorum uberior illic, ut arbitror, quam

quam nostra in civitate seges est) coetu
industriæ specimen prebere, vicissimque
doceri ab iis, à meo ingenio alienum
non est. Deinde existimo quoque no-
minis mei propagandæ gloriæ non levi-
ter conducturum, si claro Hollandiæ
loco coram splendido virorum theatro
constitutus, decorè ubi personam agere
liceat, me commendem & per ora homi-
nium provehendum exhibeam. Quid
enim homini studioso antiquius esse de-
bet, quam nominis sui rationem habere
quam maximam, bonisq; omnibus
prodesse optate semper? certè mea qui-
dem sententia nihil. Quò & illud
spectat, non parum referre, obscuro an
illustri loco degat quispiam. Proinde
ita meum animum habeto, vir eximie,
si annua numerent stipendia, quæ, ut
nostri, singulis ferè civitatibus peculia-
ria, suis medicis ex conducto pendunt,
siq; tuus (cujus magna illic est autho-
ritas) huc accesserit calculus, non in-
vite ad vos me concessurum. Itaque si
de stipe certior factus fuero, quidq;e
hac in re tu ipse sentias, intellexero,
brevis ad vos advolabo. Quod si feceris
ut in ignotum & immerentem id bene-
ficii

ficii contuleris , multis tamen nominibus me tibi perpetuo devinxeris. Vale vir ornatissime , & Hadrianum amare incipe. Harlemi.

Hadr. lun. Petro Nannio Alcmariano. S. P.

PLacuisse tibi carmen meum oppido quam lubens accepi , at criticis quibusdam non perinde satisfecisse haud gravatè fero : neque verò his detraho vel nomen vel jus suum , quo tamen abutuntur non parum , attamen velim iidem doceri etiam se patiantur , si quid aut erroribus imbuti , aut judicii (quo genus istud gloriatur potissimū) ἀκρίβεια defecti, aut ὁσμηδία, ne gravius addam, ignorantes , aut denique negligentia sua multum ab iis quos πολυίστορας & multæ lectionis vocamus , discrepantes , perspicere nequeant & intelligere ab aliis rectè dicta. Si non cujusslibet est auris , juxta Flaccum, exigere literarum sonos, nedum fidium : quanto hercle in sententiis alienis explorandis, verborum pondere examinando , cognitione rerum intelligenda , plus sudandum sibi cogi-

P : t. 1. c

tare debebunt, qui judicare volent. Sed à quibus Virgilium quoque poëtarum principem notari scis non semel : quis horum satis facere morosis judiciis se posse credat? An propterea Flaccus è manibus erit abjiciendus continuo, quod rerum abditarum & historiarum reconditorum divitiis luxuriet, atque in Odis præcipue, usqueadeò ut commentatorum nemo mentem ipsius plene sit affecutus hætenus? Quæ quidem patrocinia eò citare visum est, ut sub iis homuncio lateam. Neque dissimulabo isthuc, quid in me observasse videar, aut qua in re indulserim mihi magis; quod si fallor mendacem argue. Studui semper nomini meo respondere in styli ratione, hoc est, τὸ ἀδρὸν illud, quod apud Quintilianum est, dicendi genus sequi, cujusmodi superiore sæculo Pollitianus fermè secutus videtur: quod Italici placere magis, quam Cisalpinis nostris video, illis cura majore & elaboratius scribentibus, his rudius & αἰτοχιδνιστῶν fundentibus & præcipitantibus omnia. Sed sentio plenior me alveo abripi longius; supersedeo itaque plus super hac re verborum ferere. Quod
ad

ad locum de Lucina attinet, totum ita ex literis tuis habeto, tuumque consilium mihi ne invideto, rationemque omnem explicato, tuorum namque verborum ipse eris locupletissimus interpres, vel, si mavis, Oedipus. Quantam calamitatem Hollandiæ inflixerit dira superiorum dierum atque inaudita hominum memoria tempestas, nullus facile dixerim, nec dubito quin ab oculatis testibus certiùs ista sis intellecturus, ego annũ & diem numerali disticho signavi,

NoX tenebrosa, MInaX VentIs, bIs sExtra bIfrontIs
IanI, Ignes VIBrat DIrIter horrIfonOs.

Et item altero ad hunc modum,

ConDIDerat soleIs bIssenos IanVs, Vt VLtot
EXtrInXIt noCrV teLa trIsVLca pater.

Vale amicorum candidissime. Harle-
mi: 1552.

*Nicolao Iacobo Harlemæo bone
spei adolescenti.*

PRæposterum istorũ judiciũ, qui me-
lioribus studiis nata ingenia, Colle-
giis (nisi potiùs ergastula vocari possint
& debeant) mancipare solent, ubi velut

P 2

in

in specu Trophonij severa illa , si dis-
 placet , Dialectices oracula haurire , &
 captiosa argumentorum quorundam re-
 tia pertexere discant , damnavi semper
 Nicolae charissime , & etiamnum im-
 probo:delibandam veram Dialecticam,
 non apud eam velut ad Syrenæos sco-
 pulos assidendum esse semper professus ,
 quod aliquoties te à me audisse puto :
 tantum abest ut patri autor esse volue-
 rim , ut te nugacibus illis studiis ad-
 dictum teneat. Nam quod illi sciscitanti
 de promotione (quam vocant) dixi
 olim , de fucoso superciliosoque magi-
 sterii titulo sensi , quem differri posse
 putaram , invigilante te interim altiori-
 bus studiis . Sed quum ita se res habe-
 ant apud vos , ut ad vim spectare vide-
 antur , consulam illi ut mutato propo-
 sito , votis tuis acquiescat : Neque enim
 velim bene natam segetem velut in
 herba oppressam intermori . Tu solùm
 da operam ut conceptæ de te opinioni
 meæ respondeas , & ad tuos quam
 doctissimus redeas , istud verè erit pa-
 rentis tui optimi patrique spem susti-
 nere . Scribe ad nos sæpius , sic stylum
 optimum dicendi magistrum feliciter
 ex-

exercebis . Scire aveo , ecquid literis
Græcis valedixeris , an verò succisivis
eas horis etiamnum colas , id quod sua-
deo . Vale . Harlemi , Idibus Octobrib .

Petro Nannio suo .

ANnus est , doctiss. Nanni , ex quo
literarum tuarum suavissimo fructu
careo : si laxiōres sint digitorum nodi ,
aut torpore diriguerunt manus , fac me-
dicum consulas , qui properato remedio
malum sanet , priusquam inveterascat :
sin propter bellorum motus tanta sit
isthic papyri atque atramenti caritas aut
penuria , supplebitur vel hinc . Da ergò
operam ut primo quoque tempore in-
telligam tibi non defuisse Mellonis al-
bam paginam , & liquorū furvæ sœpiæ ,
ut cum Ausonio ænigmaticè tecum lu-
dam . Tuarum municipalium legum
copiam mihi fecit Matthias Herius
noster , placuit opera in argumento licet
per se jejuno , & quod ἀνιγνωσκῆται
respuat . Tuum expectabo consilium ,
cui potissimè suadeas dedicandum Com-
mentarium meum in Horat. Odas , cui
propediem colophonem imponam , vo-

lente Deo ; qua in re ut operam mihi tuam non deneges , etiam atque etiam rogo . Raptim præsente Beyero, quem literis tuis vacuum huc redire cave patiaris .

Othoni Simonio.

TAmbo tuos postridie Cal. Junias accepi in Thermis Caldaneis, non Bupalis, quod ait ille, pugnam spirantes, sed quales hymnis congruere voluit Sappho, quibus ut ametrica epistola respondere deterruit pudor, ita confirmavit rursus oraculum illud Delphicum, quod se ipsum nosse admonet. Quis enim in eandem tecum palæstram descendat, nisi qui idem omnigenam movere harmoniam se posse speret? Pane Bucolicum suum melos sonante, Aristæus sis licet, obstupefascas necesse est: & citharam pulsante Phœbo, ne si Orpheo quidem sis haud inferior, mutire ausis. Decuit itaque intra proprios limites me subsistere, tuaque imbutum Musica interquiescere, non minore religione, quam solent Apollinis responsa à scitantibus summo cum silen-

lento excipi. Proinde boni consules, si adstrictam pedibus, soluta epistola, nervos & sanguinem, nuda carne rependam: neq; enim omnibus ista Corinthus aditu facilis est, ut quæ per tot tantosque cognitionum anfractus petenda sit. Placuit mirè scrupulosa illa in argumenti penuria, tui purgatio: magis etiam placuit, quod ita bellè Matheum Curtium suis non monochromatis & primis delineamentis, sed quasi justis coloribus depinxis expresserisque, ut coram hominem obtueri videar. Illud verò permolestum fuit, quod ὁ μῦθος poeta importuna sua interpellatione uberiores literarum proventus mihi interverterit, de quo homine quid sentiam, possim breviter cum Salustio dicere, Loquentiæ multum, sapientiæ parum habere: nolo gravius in illum quidquam addere. Vale, Senæ Hetruriæ, anno 1538.

Ioanni Sartorio suo. S. P. D.

EX schedula tua ad Ludovicum Gifbertum, doctissime Sartori, intellexisse mihi videor, certam de mea in

P 4

Ger-

Germaniam profectio, cujus apud te spem injeceram, opinionem te conce-
pisse: certè magno mearum rerum dis-
pendio, iter quod tū ingredi indubitato
propemodum institueram in proximam
panægyrin rejicere coactus sum: id quod
non meæ incuriæ, sed quod acerbissi-
mum est, fortuito chartacæ meæ
supellectilis incendio acceptum referre
quamvis invito possum: ea namque rudi,
ut fit, & indigesta mole in acervum mihi
accumulata asservabatur in librorum
materiam, sed infeliciter ita ut dixi mihi
periit multorum mensium, ne dicam
annorum, labor. Hinc factum est, quod
pollicitationem tibi præstitam implere
nullus potuerim: verum si quid de tuis
rebus ex Birckmanno bibliopola Ant-
verpiæ, quò post non ita multum tem-
poris iter paro, resciscere contigerit,
dabo operam ut te quam citissime cer-
tiores faciam: tuarum enim rerum
satagam. Vale feliciter Sartori candi-
diss. cum uxore tua modestissima,
Gilbertulumque nostrum salvere ex me
jubeto, cujus indolem placere tibi im-
pensè est quod gaudeo, & tibi nobisque
gratulor, Deumque Opt. Max. precor
ut

ut quam tu illum literis ornare potes ,
 tam vicissim ille scholæ tuæ ornamēto
 esse queat , ex qua plures literatos pro-
 diisse , quam ex equo Trojano proceres
 scimus . Harlemi , postridie Iduum
 Aprilis . anno 1554.

Hajoni Caminga amplissimo viro.

ET si tenuiter alter alteri sumus noti
 vix unica congressione , quæ olim
 abhinc triennio apud Hemstedium con-
 tigit, singulare veræ nobilitatis exemplū
 Hajo , impudensque haberi meritò
 posse videar, qui talem tantumque virum
 compellare sim ausus , tamen ita confir-
 mavit me tuæ humanitatis , qua melio-
 res literas earumque amatores profe-
 queris , fiducia , ut non dubitarim te
 scripto provocare. Noveram jam antea,
 sed ex colloquio familiari perdidici vi-
 rum te eximiè eruditum , qui plus in-
 recessu haberet doctrinæ , quam prima
 fronte præferret , Silenum (si pateris).
 Alcibiadis. Rapiebant me tunc tem-
 poris ad tui admirationem sermo purus
 & in affectatus, judicium acre, ingenium
 in numero posuitum & excellens,
 P 5 pectus.

pectus apertum, & cum singulari candore mixta obvia facilitas, cuncta denique quæ Erasmi illius magni discipulum, si non typum quendam potius, loquerentur: quas dotes omneis enumerare ut majoris operæ fuerit, ita ab assentationis periculo vix sit liberum. Scio namque te tacito earum aestimatori, quam verboſo laudatori, æquiores fore. Quorsum verò ista tendant, expectare te jamdudum, & sollicitis oculis quærere, ex me judico: id quod nullus dissimulabo. Populares mei homines consulari dignitate, & honestis natalibus orti, quum ad T. A. legatos meditarentur, hanc ipsam ex meis verbis tui prædicationem olim factam memoria repetentes, cœperunt apud me insistere, ut literarum nomine (quæ doctos inter se ubique terrarum conciliant, & vulcanio quodam vinculo conjunctos illigant) T. A. convenirem, ejus adminiculum in re misera & afflictâ appellarem, utpote cujus ditio calamitatis acceptæ è naufragio, de qua querimur, testis sit eadem & hospes. Etenim quum ante plures hebdomadas memorabilem naufragio jacturam passa esset

hæc

hæc nostra civitas Horna , accidisse
fato quodam comperimus pōstea , ut in
tuæ ditionis littus plæræque merces ,
vinaria oleariaq; vasa, maris æstu ejecta
appulerint. Ad quam calamitatem le-
niendam , ab tuæ æquitate & bonitate ,
velut salutare quodam fidere , maxima
nobis spes affulget , in ea nos consola-
mur , & fausta pollicemur omnia , qui
nautarum exemplo , in rebus accisis ,
Divorum opem nuncupatis votis im-
plorantium , ad te unum confugimus.
Cæterum quum regale sit oppressis ini-
quitate fortunæ , pietatis remedio (ut
cum Cassiodoro dicam) subvenire , age
Heros amplissime , in hanc subveniendi
afflictis nostris fortunis cogitationem
toto pectore incumbas, ad tuam bonita-
tem , ceu ad præsens numen , aut salu-
tare quoddam astrum confugientibus ,
opem propitius adferas , & discussa
tempestatis nocte, serenitatem ostendas.
Quod ut benignè facias , cum mea ,
tum popularium meorum causa , tum
etiam communium Musarum nomine ,
etiam atque etiam te obsecro , & caixè
obtestor. Quanquam verò nulla mea
illorumve extent in T. A. beneficia aut

merita, attamen civitas hæc nostra, eademque mihi suavissima parens, suum omne vicissim T. A. defert obsequium, & ἀντιεργασίαν, illi similiter gratificari parata, si quâ res ferat: nam mea fortuna nihil magnopere, præter animum memorem, jactare potest. Vale literarum juxta & nobilitatis decus incomparabile Caminga, & Hadriani tibi additissimi obtestationi secundas aureis præbe. Hornæ sexto Calen. Februarias. anno 1554.

Balduino Ronsao Medico.

Beneficiis, quibus me cumulare pergis, vir ornatiss. quo pacto juxta legem Spartanam, ad paria & similia satisfacere queam, non video: hinc enim me agit desperatio quædam ejusmodi facultatis, nisi quam forte opem Musæ evanidæ alicundè sufficiant, animum interim memorem fovebo. Nunc ut ad id veniam, cujus cognoscendi desiderio flagrare te non dubito, intelligas velim me hætenus usum in cœna emulsione, quam nosti: lotii acredinem se remisisse planeque consedisse, unâ cum
pu-

putore, adeò ut lotium gratum jam potius quàm virosum naribus odorem of- fundat : lumborum calor & ille refræ- natus est : appetitus valet , quem intra modum coërceo : solus lien me affligit & discruciat , neutrumque in latus de- cumbere sinit, ita ut somni usuram mihi intercipiat : infestissima est & prurigo psorica , quæ totam cutim lancinat, nec quiescere patitur , viresque haurit ; quæ si vel sola abesset Alecto , næ ego me fortunatum existimarem , usque adeo atrociter sævit , faciliusque certamen cum uno quam duobus hostibus esset , nunc utrinque consumor . Vesperis assumpturus sum Deo volente stigma- tis guttulas duas cum hordeato , cras cassiæ atramentum . Vale præsidium meum , & si qua habes arcana contra furiam illam pruriginem , candidus im- perti . Iterum vale , vestram familiam nostra vicissim salutat . Harlemi , XIII Kal. Octobris .

Baldvino Ronssao Medico .

EN tibi Acrostichidem tuo nomini dicatam quam nuper lusi , nunc ad-

P 7

texe-

texerem aliquid (quia tam magnificè me salutare iussisti) nisi cruciatus lateris sinistri circa lumbos, ex abscessu, qui erupturam minatur, me lecti peculium fecisset, jam penè consumptis viginti diebus in asperrima ista & tenui corpusculo inimicissima tempestate. Vale, & uxorem cum humanissimo pharmacopola meis verbis plurimum saluta. Harl. ipso Petri die.

Balduino Ronsæo Medico. S. P.

INcœperam ludere, Ronsæe doctiss. In virus alliarium quod mihi Alliana clade propè funestius fuit, parabamque acceptis pridie literis tuis ex Hygiæ narthecio depromptis responsum, quando agmen morborum veluti cordacem saltans catenatumque simul incubuit: dysuria cum retentione mixta, inflammatio tumorque glandis, secuta mox phlegmone scroti ingens, atque hernia quæ fidem omnem excederet, ea in escharam se collegit, quæ post diros cruciatus mortisque in corpusculo præter cutim & ossa vix quidquam habente à septiduo se solvit, quod ulcus feliciter
coa-

coalescit, cicatricem colophonem propediem expectans. Sed audi rem miram: quamdiu eschara hærebat ingens profluxit aquæ claræ vis, quæ omnibus admirationi fuit, permadefactis interdum una nocte quaternis quinisque pulvinis, unde tumor aqueus partim resedit atque inanitus est, qui decursus jam ab ostiduo stat; videntur tamen tali nonnihil retumescere, tractabiliorem quoque & leniorem ab eo splenfe præbuit, ita ut de eo melius sperare incipiam, quippe qui infinitos flatus crepitusque duabus superioribus noctibus remiserit: psora infestissima est, cui post sanatam herniam medium laqueum minitor: interim falsos humores cum ebibere, tum digerere per cuticulares meatus psoram istam autumo. Eventum universæ rei Deo relinquo. His vale, Harlema xv Novembr. Paratas misissem literas citius, nisi propter altitudinem aquarum pontes negarentur transmittere naves. Mitto tibi chronicum distichon, non tamen ea lege, quod tecum in harenam iniquus gladiator descendere velim.

Caurus a.a. ruit p.v.i.p. B.r.v.h.p.p.

Zc.

Zeghero Ludimagistro Harl.

PLæraque, ab aliis etiam quibufvis, aut gymnasii publici frequentatoribus, ætata, sinistrè meis (quos tamen ab omni crimine puros & immunes non afferro) impinguntur, confutis mendaciis, ut suæ iræ parentent, ac meos onerent. Tu cûra ut ne posthac tam sis facilis, ne dicam secors, aut præter decorum tuis commiveas; ego idem facturus, ita me Deus amet, asperrimeque in meos sæviturus gravissimis editis exemplis, sicubi deliquerint. Quin tu, ut huic malo commode medearis, obstruito fenestras; neque enim decet discipulos semper de fenestris in plateam quaquaversum perspectare; vix enim unquam tam mane aut tam sero illac commeo, quin prospectantes videam. Adde potissimum remedium, ut præceptor non patiaris tuos in plateis assiduos esse, hac atque illac discursare, vagari, id quod ego à bonis moribus discipulorum, bonaque ludimagistri (qualem te scilicet profiteris) disciplina alienū puto. Cohiberi eos domi præstiterit.

Hadr.

Hadr. Iun. Ignoto.

Existimarim scriptam fuisse hanc in Anglia in gratiam aulici aut negotiatoris cujusdam .

QUibus ego modis studia erga me vestra, viri Eximii, declarare debeam aut exprimere, quibus verbis gratiam habere, haud equidem scio; non defuit mihi voluntas olim id præstare, sed ea fuerat interpellata in Pajeti ædibus non citra manifestam mei injuriam, memoria tamen beneficiorum constabit mihi perpetuo, quam nulla sit unquam abolitura ex animo meo ætas. Quid verò post multos magnosque toto septimestrino impensos labores nunc tandem fuerim consecutus, V. E. aperire, modò lubentes mihi aures præbituri sitis, decrevi, id omne ordine exponens, nihilque dissimulans, xviii Junij. Senatus Regni in hanc formulam mihi rescripsit, tantisper dum non liqueret de diversis impensis itinerariis, reliquisque à me in supplice libello enumeratis, cassum me abire mandans, quandoquidem constaret ex habita temporibus Edwardi Regis quæstione, parum

rum fidelem operam Regi navasse me. Quo rescripto accepto, spe mea dejectus, qua potui tamen dexteritate respondi, quorum à me tunc dictorum summaria enumeratio talis est. Primum omnium, ut faciles mihi aures præberent, obtestatus sum: deinde ne Anglicani sermonis imperitiam, propter Gallice nescientes, in ejus linguæ ridicularent: tertio par fuisse & æquum jam olim certio rem me fieri ne diuturna mora rem meam familiarem attererem: quarto iniquissimum esse sudores meos omnes interverti, & perfidiæ infamiæque nota aspergi, quando ejus culpæ conscientiam nemo mortalium mihi hîc impingere queat, præter Mat^{is} Regiam & Senatus auctoritatem; obsecrando ne famam meam malitiosè deturparent. addidi huc, Itan' reponi meum servitium, in quo per me quadraginta milia philippeorum vindicata fuerint: Sed subolere mihi de maledicis linguis; at enimvero contra jus & fas esse, alterutri parti credere inaudita altera, ut uni satisfacias, fraudem alteri fieri non debere. Adjeci vim mihi fieri, objecta perfidia, cujus si mihi forem conscius, vul-

vultus tantorum virorum sustinere me-
neutiquam posse , aut ausum fore : me
latebras non quærere , quo minus liceat
in fontem & convictum criminis anim-
advertere . A me tam fidelem operam
esse præstitam , quanta præstari à tali
homine potuerit tam intra , quàm extra
regni fines . Nam quod ad expensarum
rationem attineat , infinitæ operæ esse ,
ut quis in caput colligat & ab hospitibus
singulis repetat , itinerarios sumptus
omnes , imo impossibile mihi esse . De-
nique dixi ut de me exemplum æderent,
si convincerem , adesse namque Demo-
cum , Bertinum , & alios , autores car-
cerationis meæ , qui si crimen meum
proben , nihil suppliciorum recusare
me . Hæc capita sunt tunc temporis à
me in Senatu dictorum . Reliquum est
ut V. E. consulam , ecquid illis consul-
tum videatur rem istam urgere ulterius,
an potius cœpto desistere ; decretum
est enim vestro arbitrio rem omnem
permittere . Deinde illud etiam atque
etiam oro atque obtestor , ut V. E. pla-
ceat , si qua ratione fieri queat , ut me in
Principis Hispaniæ ministeriū aliquod
asserere dignentur , in quo fidelissimam
meam

meam operam ita declaraturum me spero, ut aliquando jactura mea reponi possit. Postremo nihil mihi magis in votis est, quàm, ut si molestum non sit, consilium suum mihi hoc tempore, si unquam aliàs, tribus verbis V. E. aperiant, qua re nihil mihi poterit esse aut gratius, aut hac tempestate utilius, quo facto V. E. me planè bearint, & immortali beneficio affecerint.

*Hadr. Jun. Friderico Simonio
Enchusano.*

S. P. **A**Ccepi tuas ad me literas à fratris filio, nimis operosas, & in excusando plus justo anxias: itaque indolui quod sollicitudinem tuam acuerim, mihiq̃ue adeò ipsi subiratiores fui quod sedulitate nimia odiosus tibi fuerim & molestus: Sed ejus rei ansam dedit Hasselarii aut ejus uxoris potiùs in mariti reditum solutionem extrahentis vecordia: Sed malum sopitum nolo revocare. Pecuniæ summam sive caput hodie adnumeravi Pupilliorum tutoribus, exegere quidem illi 32 stuferos fœnerato, at ego velut re non intellecta eje-

ejeci me foras ; expectaturus si me revocent. Orat te uxor atque interpellat, ut halecum conditaneorum dimidiam seriam ad nos primo quoque tempore mittas , & alteram salsamentorum sive piscium muria conditorum. id quod te facturum ultro promiseras. De frumentario donativo ingentes tibi habeo gratias , relaturus si nostra tenuitas aliquid in tuam vicissim conferre gratiam possit , & si quid sit in quo studium meum declarare queam. Vale feliciter cum amabili tua conjuge. Salutabis meis verbis plurimum Glycostomum ex Atticis leporibus delitiisq̃ue conflatum, penè dixeram , totum , & cum cognato meo (ad quem inclusæ sunt literæ) Archithalassum Consulē Guilhelmum. Raptim Harlemo, sexto Cal. Decemb.

*Cornelio Ioanni Hornano D. Medico
exper.*

ACcepi tuas ad me literas, vir doctiss. quinto Kal. Majas; Deus bone quā literatas, quam comptas, quam tornatili verborum politie fabrefactas, quam denique mel Atticum spirantes? quod-
que

que magis etiam mirum est, adeo leni
 & æquabili tractu fluentibus versuum
αἰθροῖς deductas, ut vel acerrimam ocu-
 lorum aciem instar vulcaniorum vincu-
 lorum fallere possent, nedam me cui
 ignorantiae caligine oblimati sum; &
 quidem, ut ingenue fatear, me jam
 fefellerant, nisi tua admonitio meam
 mihi segnitiam ac tarditatem velut ob
 oculos ostendisset. Cæterum quanto
 repente perfructus fuerim gaudio, post-
 quam literas quas ne sperabam quidem,
 tantum abest ut arbitrarer me obtinere
 posse, accepi, haud facile dicam, &
 si maxime, non credas tamen; imo per-
 suaseram jam mihi nihil deesse, quo minus
 ad decantatissimi illius Metelli felicità-
 tatem aliquo pacto aspirare possem.
 Quoties in manus sumpsi? quoties rele-
 gi? quoties exosculatus sum? quoties
 ex uno tuæ epistolæ prato, nec eo
πολυπλήρη succum plus quam melleum
 hausi, haustum in memoriæ alveos com-
 pegi? Quoties illud ex Comœdia
 exclamavi, *ὦ χρυσὸν ἀγρίλας ἔπαι?* O fe-
 licem mihi diem illum, dignumque
 qui candido Scytharum in morem cal-
 culo notetur, quo eam exarasti, felicior-
 rem

rem quo misisti, longè felicissimum quo mihi fuit reddita. Rursus quam mihi *ῥεμπέωντι*, ut Æschyli verbo utar, pudor animum vultumque suffuderit, quam mea me intestinis aculeis punxerit, stimularitque tenuitas, postquam me inspexi penitius, postquam ad Critolai libram, inscitiam meam appendi, vix credideris: primum quod tuæ de me existimationi, an dicam errori, quem tamen ex raro pectoris tui candore sat scio enatum, neutiquam respondere me posse sperarem, dein quod viderem eo me loci esse, iis angustiis & difficultatibus circumclusum, unde pedem proferre pudor vetaret; nimirum quod, nescio qua fronte, pro literis tam disertis, tam Atticis, aut si quid esse *Ἀττικόν* potest ipsa Attica, auderem meas usque adeo horridas, fœculentasque obtrudere: adde quod desperarem quo pacto me ab ingratitudinis nota liberare possem, quod pro metrica epistola *τῇ ἀμετρῇ*, hoc est, pro aureis ærea reponerem. Verùm ne ultra debitos limites epistolæ brevitatis (hanc enim Demetrius propriam ejus esse voluit) decurrat, satius fuerit odiosam alio.

alioqui verborum, ceu luxuriam
 furculorum qui seminum profuderunt,
 semel praecidere; Dicam igitur itaque
 tribus verbis rem omnem: Vidisses tum
 plane intestinam in me duorum affectuum
 contrariorum pugnam: primum enim
 animum laetitia erigebat, quod tanti viri
 calculo probari ingenii mei ludicra vi-
 derem; successit deinde validior hostis,
 qui majori ariete animum rursus dejecit,
 timor scilicet cum pudore commixtus;
 timor mihi stomachum eò proritavit,
 ut formidarem Mercurio infans respon-
 dere; pudor, ut etiam si Suffenus essem,
 non possem tamen non erubescere, quod
 illi tuæ quam de me concepisti expecta-
 tioni satisfacere plane diffiderem. Sed
 hæc hætenus. Porro scribis ut in bonam
 partem tuam admonitionem interpre-
 ter, imò ita me amet Deus, nihil mihi
 ea gratius potuit unquam accidere;
 nosti enim illud βελῆ καὶ μέγιστον, το γδ
 γέρας ἐστὶ γερόντων; Diomedes ab Aga-
 memnone iustinet objurgari χαλῶϊσιν
 ἐπέεσσιν, & ego amicam admonitionem,
 ab amico capite profectam, non boni
 consulam? non potius ambabus ulnis
 amplectar? Quod addis ut faciam te
 cer-

certiorem πῶς τὸ τ' ἰατρικῆς ἀπ' ὀδυσμα-
 εὐθυμιοῦ ἐμὲ ἐπιδείκνυται καὶ ἵπποι τῷ ἐξ ὑλίας
 ὧλοι ἐπὶ χωρῇ τὸ πρᾶγμα : ταυτὸν ἐπὶ τῷ
 τ' ἀμφισβητῆσθαι ἐπὶ τ' εἰ ὁ καρκίνος ὁποιο-
 βαμῶν ἐπὶ ἤτοι ἐπὶ πατρί, πῶς γὰρ ἂν πῆς ἐν
 ταῖς τ' ἀμαρτυρίαις βοιωτῶν χωραῖς καὶ ἀλατρί-
 βαις ὁ θυδραμεῖν δύναται : Ἀλλὰ ταῦτα μὲν δὴ
 ταῦτα. Habebis brevi fortassis ἀνιπαλον,
 qui Herculi Cercops palmam auferre
 conabitur; est autem is, si quis illum suis
 deliniet coloribus, hirsutus caper (habet
 enim barbam profundam, hircosam ut
 sic dixerim) & loquax talpa, quæ apud
 Ammianum Julianus audit militari
 scommate : ἀνιγματοδῶς tecum ago; di-
 cam clarius, Cornelius Hor. qui hîc
 agit, ad praxint (sic enim vocant) hac
 æstate accedit, hoc est, carnificinam
 aut lanienam potius molitur; sed ubi
 gentium an in patria apud matrem, an
 alibi, compertum non habeo. Statui
 & ego post sesquimensē repetere pa-
 triam cum omni supellec̃tile, spe mu-
 tandi regionem. animus enim fastidio
 Lovanii laborat adeo ut nihil supra; &
 certe præstat aliquando Ulyssē imitari
 ποσειδῶνι ἀνδρῶπων ἰδέειν ἄστρα καὶ νόον γενέσκειν :
 quam cum Aglaö Arcade, qui nun-
 quam

Q

quam

quam agelli sui fines excessisse legitur, domi consenescere : quod si tuus hac in te calculus mihi accesserit, planè bearis me . Vale vir doctissime , desq̃ue operam ut nobis & Musis quamdiutissime super sis , quod faxit Deus . Carmen utrunque tuum majorem in modum arrisit ; & ut de me taceam , plærisque etiam purgationis auris hominibus . Mitto vicissim tibi carmen non quod committi cum tuis ambiat , sed quod tuæ censuræ aleam subeat , in quo totum Erasmus conatus sum delineare . Iterum vale . Lovanii ex meo Musæo quinto Idus Maij .

Iusto Velsio Hagano .

QUod te hisce diebus proximis , Juste doctiss. idemq̃ue mihi semper (absit invidia dicto) fratris habende loco , non inviserim ex pacto , dabis id meæ vel ignaviæ , vel (dicam enim græcè , quo si non melius , certe significantius aliquanto dicam) *λίχνης* ; nam tribus perpetuis diebus plus aliquanto Cuiusquam Musis à nobis litatum est , idq̃ue tamen *ἀκροπύλων* , vel , si voles , utrique simul . Volui igitur me tibi per
epi-

epistolam tumultuariam *καὶ αὐτογραφίαν* scriptam tribus verbis excusatum habere, ut hoc tandem pacto viam mihi adeundi te confidentius præmunire possem. Solent, ut scis, Magnates viri suos habere præambulones, suos *προπορεύς*, per quos aditum sibi patefaciunt, mihi hanc præter tenuem fortunam, ingenio etiam tenui, quodque mihi longe infra mediocritatem contingit, satis fuit hisce pauculis prælibatis aditum ad te referare. Vale. 4 Cal. Octobr. 1536.

Philippe à Wanga viro ornatiss.

Vulgatus est excusationis modus, vir ornatiss. scribere ob certa quæpiam negotiâ non licere addesse; solent ii qui id faciunt, id unum spectare, quo suæ desidiæ patrocinium in speciem honestum hoc pacto prætexere queant. Quo minus ego illorum sententiæ accedo qui semper ab eo abhorruî ut qui maxime. Proinde hanc meæ absentiae expurgationem, & quidem justam, quod hodie ad te commeare non possim, accepi paucis. A Nannio in prandium

Q 2

evo-

evocatus sum hodie, ubi liberalius fortassis (si modò nostratum morem bene teneo) Cōmolitandum erit, vel indulgendum potius. Quare non maligne interpretaberis si minus adesse possum, nec meæ segnitiae id tribues, qui tuus est candor, quod per me non stabit, sed æqui bonique consules. Vale.

Guilelmo Kinnio Amsterodamæo.

PLures sunt causæ quæ me ad tibi scribendū instigant, vir reverende, à te perspecta probitas, decantata omnium ore humanitas, & haud obscura apud patrem autoritas, à me valetudo gravis ac propemodum profligata, & literarum conjunctio, ab uxore etiam cognationis jus. Quæ quidem causæ omnes etsi prolixiore sermone uti ad te jubeant, sola tamen manum injicit, & ad brevitatis cancellos repellit valetudo ipsa, quæ me decimum quartum jam diem lecto affixum detinet, neque ingenii viribus uti patitur, multoque minus etiam pedes manusque suum officium facere sinet. Sed à diverticulo ad rem. Conduxerat à parente tuo mea uxor domum,

num, spe jam tum certa commigrandi
Amsterdamum: has cogitationes no-
stras interruptit valetudo mea ferme
complorata, qua indies invalescente,
misi & focrum & uxorem meam depre-
caturas pactum, non pietatis sanguinis-
que legibus, verum etiam dispendio
aliquo at ille (dicam enim nihil dissi-
mulanter) confestim & nostrarum for-
tunarum tenuitati convitiose illudere,
& valetudini tanquam simulatæ cœpit
cum risu insultare, Scythaque inexora-
biliorem se ostendere fratris quoque pro
cognato sanguine intercedentis depre-
cationem rejicere, denique etiam uxori
vetare atque comminari, ne aliis quam
quos ipse velit ædes locet. Quæ est ista
pervicacia, quæ truculentia? quod istud
Manlianum imperium? sanioribus con-
siliis aurem denegare, nihil æquitati,
nihil cognationi velle tribuere, quasi
solus in urbe rerum potiare, tyrannice
in alios & arbitrium exercere, & super-
cilium distringere, & quasi de tergo
nostro vellus optare deglubere? Cæte-
rum quia nihil melius turbidam procel-
losi maris sævitiam sedat, quam lenis
ventus, & grassantis pharmaci vim op-
time

timè retundit mollis potiuncula, commodissime mihi sum visus facturus, si ad tuæ R. lenitatem perfugiū caperem. Itaque te etiam atque etiam oro, ut hanc Iunio operam præstes, majorem tibi gratiam, si res ferat, reposituro, ut cum patre transigas, aliquo nostro dispendio, ad aureos aliquot octo aut decem, nam cura ista & iniqua patris duritas non sivit me somnum videre oculis per totum trinoctium. Quod si præstiteris, uti spero, facies ut & tibi plurimum debeam, cui plurimum velim, & quantum ponderis habeat tua solius autoritas, libens prædicem. Vale, raptim Harlemo postridie Cal. Majas.

Iacobo Blondelio.

Literæ tuæ, ornatiss. Blondeli, fuerunt gratissimæ, quòd læta de Pauli contubernalis vestri valetudine nunciarent. Quod tam sollicitè Meerhoutani nostri excusationem susceperis, piget, te in re supervacanea operam posuisse, imò gaudeo abiisse, cùm quòd pueri profectui ad studia benè velim, -tum quòd
no-

nobis in amplis istis ædibus & ægroto-
rum curationibus molestiam congemi-
naret:itaque nihil est quòd de remitten-
do illo cogitet, quasi istiusmodi emolu-
mentis inhiem; certè eo non sũ ingenio
natus. Dolet quòd malam apud tutores
gratiam iniisse nuncies, atqui prævideri
istud oportuerat, ne apud alienum à
Catholicis (quod illi fortasse causantur)
puer deponeretur: utcunque sit, illi facile
medebitur & malo illi occurret. Joan-
nes bydoot parat in crastinum profectio-
nem Delphos, quid rei sit ignoro, parum
mihi fudit, quòd arbitretur ac dictitet
me cum Coss. colludere in se suumque
dispendium: heri tamen in cœna cona-
tus sum suadere ut vetus suum contu-
bernium repeteret: respondit animum
abhorre ab exercitio missæ & cantio-
num, dicenti mihi sodalitium universum
alienum esse ab eo instituto, nihil res-
pondit, aliam dicendi materiam captans.
Vale feliciter cum universo contuber-
nio; & saluta per otium Quæstorem
vestrum cum Meerhoutano. Raptim
Harlemo xi Septembr.

*Cornelio Poelenburgio , discipulo
suo .*

EN tibi , charissime Poelenburgi ,
quos per literas poposcisti libros ,
cum auctario , epistola videlicet Lova-
nio allata heri ; manus videtur esse
Andreae . Tu vide ut in isto otio , dum
rusticaris , tibi ipse non desis , teque
ipsum anima , & ad devorandum in stu-
diis laborem , dulcissimorum fructuum
parentem , excita seges & fax mentis
honestæ gloria te subeat , id quod Virtus
ad Scipionem loquitur apud Silium
Italicum ; utque cum laude sodales tuos
à tergo relinquas ; quam ad rem nihil
potes accommodatius reperire , quam
si Grammaticen cum Syntaxi penitus
memoriæ infigas , & prælecta studiose
repetas . Doleo te è medio studii cursu
abreptum . De pari gallinaginum ad me
missarum habeo gratiam . Patri dices
Turcas Melitam reliquisse cum occi-
dione aliquot millium , & tormentorum
bellicorum amissione , turpique fuga :
quam ob causam supplicationi dies
crastinus institutus est . Parentem utrum-
que

que cum sororibus meo nomine plurimum salvere jubemus omnes. Raptim Harlemo.

Eidem .

Literæ tuæ Poelenburgi amantiss. pergratæ mihi fuere non uno nomine, cum quoddam pulchrè valere te docerent, quoniam juxta Deliacum responsum, nihil homini ex usu magis sit, quàm commoda frui valetudine; tum quod non obscuras veteris amoris notas præ se ferrent; tum etiam quod consuetudinis pristinæ redivivas scintillas ostenderent, unde intelligerem te nostri non hausisse altam oblivionem, neque refrixisse ardorem semel conceptum, quem si pergas posthac alere, ut mutuo scribendi officio foveatur, efficies ut vitalis permaneat perpetuo, uti in ovis fit, quæ gallina fotu perinde animat, ut Struthius visu. Nam aspectus, quo fruitarum te speraras, mentem minus ligat, quàm scriptio ex animi penetralibus profecta: hanc ergo urge, ut & studia tua, quæ ex animi sententia & feliciter succedere gaudeo, tibi quæ

Q ;

gra-

gratulor. Vale, & quòd copiosior non
 sim, occupationibus meis imputa, qui-
 bus pæne fathisco & enecor, in absol-
 venda hoc mense Batavia mea. Vale
 iterim, & D. Valerium Langiumque
 plurimum saluta, & amiculos si qui sunt
 reliquos.

Jubet te salvere plurimum Petrus
 Junius, nunc in describendis patris
 lucubrationibus occupatior, quam ut
 vacare possim scribendis literis. Itaque
 salve plurimum & Vale amantiss.
 Poelenburgi Raptim Harlema.

Friderico Simonio Enchusano.

Vix potui mihi ipse persuadere à
 multo tempore, meas tibi fuisse
 redditas literas, quibus liberalitati tuæ
 gratuita, quantum ex tempore potui,
 gratias egi, quum sæpenumero decre-
 verim iterare scriptum, nisi obstitisset
 hyemis inclementia; sed nuper exemit
 dubitationem mihi omnem Vesterman-
 nus meus, quum injecta nescio qua sale-
 bra de vestris salinis, quarum in mea
 Batavia fit mentio in vestri oppidi de-
 scriptione, aliud à mea opinione fini-
 stror-

Itorsum per vestros acceptū objecisset :
 quæ ex re odoratus sum meas tibi fuisse
 traditas , quandoquidem cum nullo
 hominum mea scripta communicaveram
 tunc temporis, præter quam cum Ordini-
 bus Hollandiæ , id quod paulo post
 factum est : adjeci nonnulla postea , quæ
 nunc mitto ex posteriore recognitione ,
 ut per te studium, industriam, & deligen-
 tiam meam , (quam ubique approbare
 vobis posteritatiq̃ue cupio) Enchusana
 Respub. cognoscat, ut si quid illa habeat
 in archivis suisque inseri velit , & quo
 meam cognitionem instruere & adjuva-
 re dignetur , id gratæ memoriæ vice
 libenter scriptis victuris cum genio ,
 uti spero , committam. Tu meam ope-
 ram & diligentiam Reipub. commenda.
 Vale cum tota familia. Harlemi xxi
 Aprilis. Poteris ista communicare cum
 suaviss. Zuyrmondio, & doctiss. Medico
 vestro.

*Hadr. Jun. Friderico Simonio
 Enchusano.*

PErgrata fuit mihi tua diligentia
 atque sedulitas in præstanda ea quam
 Q 6 sub-

subjisti opera , quanquam illud paulo
 diversius ab opinione mea accidit , cum
 colonus ille paratus sit alium agrum op-
 pignorare , in quo maxima videbatur
 hæere difficultas ; cur id non fiat , nisi
 fortè sit tenuioris peculii quàm ut fi-
 dem mereatur , siquidem in ea fui per-
 suasione hætenus tibi quæri syngra-
 pham , teque ejus fore redemptorem ;
 quod si non est , opinione mea falsus
 sum , tametsi in calce epistolæ spem facis
 posse confieri aliquid propediem ad
 tuum adventum . Cæterum temporis
 angustia vetat me prolixiorum esse , nisi
 quod de profectu filii & consanguinei
 bene sperare te jubeo : Jam absolverunt
 Despanterianæ grammaticæ partem de
 generibus nominum , ad reliquas ordine
 transgressuri . Præclara certè me opinio-
 ne imbuerunt , quam de illorum ingeniis
 conceptam non fallent , ut auguror ,
 neque nostra defutura est diligentia .
 Vale , raptim Harlemo .

Petro Forestio Med.

Salve plurimum mi Domine , diæ
 Mercurii , post à vobis discessi ,
 Mid-

Middelburgam veni, triduo jactatus in navi propter venti malatiam, quanta cum corporis molestia nullus exprimere queam, & quamvis cum stomacho in gratiam utcunque redierim, appetitu paullo meliore, vires tamen nihil augescunt interim, ob hulceris ex apostemate relictæ redundans tabum. Pecunia, si eam acceperis, maneat apud te tanquam depositum, quod si argenteam interdum aurea commutaveris, recte facies. Uxorem causo, seu ardente febre laborantem, ac summo vitæ in discrimine versantem repperi, sed Dei beneficio meliuscule nunc convalescit. De Ex. Princ. valetudine spem nostram confirmationem, fieri indies, summa cum animi voluptate accepi. Vale feliciter cum uxore lectissima scemina Salutabis cognatum meum Neoburgum & D. Heidium, quem unâ tecum per literas Hafniæ scriptas accurate salutari jussit Martinus Aedituus: ac præsertim D. Theodorum nostrum Pr. Ill. Med. Raptim Middelburgo. x. Septembr.

Luca Fruterio Pontano .

UT malè sit istis curarum alluvioni-
bus, quæ me miseris modis totum
jam fermè bimestre etiam occupatissi-
mum tantùm non obruerunt, quæ me
talaribus (at non aureis) Mercurii ultro
citroque subvectum maria terrasque
pergrantem, ita à Musis alienarunt, ut
ad studia literarum redire postliminio,
& quasi ex Ulyssæo naufragio incolumen
respirare me posse difficulter spe-
rē, usque adeo *τεκνόμενος*, istæ hæreditatis
cernendæ atque familiæ herciscundæ
(quam multo impeditissimam reliquerat
foculus repentina mors) animum, prope
dixerim, efferarunt, tanta est *τῆς*
πλίστης vis atque tyrannis, quæ non
tam meum obsedit pectus his mancipa-
tum fordibus, ut ingenuè dicam, quam
ex affinibus unum prorsus occupaverat
totum atque infederat, cujus ut insidiis
(quibus sorores suas germanas & pupil-
lum fratrem circumvenire parabat, &
cum illis me quoque velut Musis opera-
tum astusque oportunum) laqueis paulo
oculatiori detectis occurrerem, ac velut
ob-

objectu corporis memet opponerem , plurimis de causis incitatus fui Quæ quidem de re ut justus dolor , qui hanc querimonie necessitatem mihi extudit , plura loqui admonet , ita pudor ab incepto revocat modumque mihi imponit. Nonnihil tamen dicendum fuit quod & eandem peregrinationis absentiaque causam , eandem quoque silentii altioris tibi appendere coactus sum atque approbare: quod si ab humanitate tua impetror , faciliore me uteris ubi primum hisce sollicitudinibus atque molestiis me meosque explicuero: quarum jam finem animo metior , imò videre mihi videor , quum ardelioni illi , affini licet , & furo effrenata cupiditas ad certos cancellos contracta ac circumscripta sit non ante hesternam lucem res omnis quatuor judicum (id quod in votis maxime fuerat) arbitrio commissa , qui depulsa caligine serenitatem nobis pollicentur pauculos intra dies , qui ubi vere Alcyonii nobis illuxerint , tum verò copiosius crebriusque tecum per literas colloqui decrevi. Proinde deprecor , ne me ita duri oris ac ferreum suspiceris , qui acquisitas amicitia *ἀφ' ἑσπέρης* , fovere pascere

pascere, retinere nolim, at fastidiente stomacho rejicere potius velim. Istud verò tantò impensius urgeo, quod in partem hujusce rationis veniat & tabellarius, qui propter me in criminis vicem arcessitur, tanquam qui fabulas meras triasque pro veris causis tibi attulisse & *φυσῆς ψευδῶς ποσειδῆος ἀπὸ φυσῆς* creditus fuerit, cujus certè patrociniū obiter attexere libuit, quod conjunctam mei excusationi ejus causam viderim, velina-
 que mea gratia illum liberali manu & qualicunque vel dissimulationis vel fraudis suspitione assertum quando mihi non obtinendi mendacii, sed probandi veri causa huc verborum ventum est, quæ tu non aliter accipies, quam ut liberè in defensionem innocentiae utriusque funditur. Transeo ad flosculos seu gemmas, quibus omnia tua abundant, ac primo ad Columellæ locum, quem in meo codice Tiguri excuso, ita lego ut à te interpolatur, salutatoris non saltatoris. De Vegetii loco tecum sentio, ac pro eo habeo gratiam quod admonueris. Nunc vicem ut rependam, mutuasque operas tradam, ne a symbolus ad te veniam locus est apud columellam
 li. 6.

li. 6. ca. 16. Est etiam mortifer iis serpentis ictus, est & magnorum. Lego ex Vegetio in arte veterinaria manuscripto, minorum; nam de magnorum quid miri fuerit, ubi eadem verba leguntur, & paulo post, Mus araneus quem Græci *αυτὴλην*, repono *μυζαίλην*, nam malè apud Vegetium migaltem scriptū invenias. Rursus vel Symonianum trifolium, lego, filer montanium, nam hoc serpentibus adversari testatur Plinius Corruptus, etiam est is locus apud Vegetium, cujus verba sunt li. 3. ca. 4. Creditur radix si contusa conatur, vel filer montanum reperiatur & trifolium semoniamum quod fragosis locis &c. in manuscripto ita, Cujus efficacior creditur radix si contusa ponatur, vel filer montanum reperiatur, trifolium confragosis locis &c. irreptitium virum illud Symonianum, pro filere montano. Neque vero trifolium aliquod est Symonianum, quum dicat acu trifolium, à figura dici Romanis, quod ab odore gravi *ασφάλτων* Græci. Colum. li. 7. ca. 3. pro *ἰμβρύς ἄκ* lego, *ἰμβρυαλχόν*. lib. 8. ca. 2. figurali creta liniuntur, repono, figulari. li. 11. ca. 1. initio. sermo-

monibus instigatus excudit mihi. malim
extudit. Addam corollarii vice ex
Palladio qui Columellæ adhæret li. i.
tit. i. eorumq; inventionibus, ex manu-
scripto codicis fide lego, & aquæ inven-
tionibus. ibidem. sane imprimis hoc
servare constitui. lego, in pomis. Sed
heus mi Pontane, cogor hîc manum de
tabula, nam avocor ad Philippum
Cobelium modò reducem à legatione
in Daniam. Tu qualiacunque ista nostra
boni consules. Vale. Harlemi.

*Iacobo Sterco Vicario Cœnobii
Egmond. S. P.*

NON immeritò apud Nævium anti-
quissimū poëtam gloriatur Hector,
se laudatum virum à patre laudato viro
prædicari ac laudibus vehi, viri optimi:
quanto majore cum ratione gloriari
mihi licebit, quòd uno omnium vestrûm
consensu absens in demortui locum sur-
rogandus, & honorarii muneris autho-
ramento annuo ornandus visus sim.
Quid enim mihi potuerit authonorifi-
centius, aut ad hominum opinionem ac-
commodatius obtingere, quàm quòd
citra

citra petitionis religionem ultro oblatus sit honos , qui non nisi ambientibus tribui solet , non video. Quare summo jure teneor, nisi ingrati personam velim induere, liberali vestro de me judicio infinitas habere gratias , satagamque pro virili vestræ de me expectationi respondere. Itaque Deum Opt. Max. oro atque obtestor ut munus istud vobis salutare , mihi felix faustumque accidat, in quo laborabo enixè ut dignam me operam vobis collocem. Valeto feliciter. Quòd verò jocosè animorum pariter & corporum medicum me vobis auguramini , næ vos Orpheum quempiam redivinum videmini non inauspicato optare, qui herbis medicaminibusque morbos fugabat , & carminibus animorum consensum procurabat, mentes uniendo conciliandoque, denique ad hilaritatem componebat : quæ munia utinam obire ritè pro vestris votis queam. Iterum Vale. Harlemao.

Matthia Petro Medico Harlemao.

SI quid inter nos rei est , M. Mathia , non est interclusus tibi ad me aditus ,
non

non tibi semper dormio, liberè agere decet & aperte, haud per animi tectorium aut fucate, ut mos tuus est: ejusmodi animo scripta est à me, de transigendo inter nos caussa liberali, schedula, exigua quidem illa, sed quæ plus habuit in recessu fortè, quàm fronte promittebat, quam tu non in hoc dictatam, medio in foro omnibus ostentui habuisti, & per ora hominum quasi cum ludibrio traduxisti, addens te illam responso non dignari, id quod & res ostendit. Tu enimvero tametsi morbo meo, quem conclamatum arbitrabaris, insultare voluisti, attamen, si liberaliter institutus fuisses, senio, longo rerum usui, existimationi, doctrinæ qualicunque illudere non oportuit, ut cujus scripta exteræ nationes (absit à dicto invidia) suspiciunt, tu solus omnibus ignotus despiceres. Ego certè tuæ doctrinæ & experientiæ, quantumvis novæ ac rudi, utpote qui vix à limine salutaris medicam artem, quando calidis pedibus Italiam omnem percucurristi, non invideo, libensque concedo, dummodo meam mihi illibatam relinquas. Solet esse morosa nonnihil senectus,

nec

nec se facile de possessione reverentiæ (quæ ab antiquo semper illi fuit habita) tanquam de ponte dejici patitur, minimeque præ omnibus irrisum tolerat: sed & senectute ipsa morosior plerunque solet esse valetudo mala, quæ me jam lecto affixum detinet. Itaque ut paucis absolvam, si quid est, planè & aperte id agatur, candorem amo, simultatem non alo. Raptim postridie Pasch.

Coss. & Senatui Harlemae civitatis.

HAud equidem in animum induxeram Coss. Vigilantissimi me vobis tam esse vilim, cujus senio sic illudetur, cujus fidei anteferretur homo nefariæ vitæ, sacrilegus, plagiarus, effractor, publicus grassator, denique divini humanique juris violator: ut pro placido responso, hostilia tantum non sim passus: fœdè violenterque domo meæ fidei concredita exturbatus, quando ad libidinem vestrorum apparitorum hostiliter, adeo ut vix putem ipsos hostes, qui nostrum omnium jugulis imminet, totique civitati excidium quotidie minantur, ad eum modum si urbe potirentur

non tibi semper dormio, liberè agere decet & apertè, haud per animi tectorium aut fucate, ut mos tuus est: ejusmodi animo scripta est à me, de transigendo inter nos caussa liberali, schedula exigua quidem illa, sed quæ plus habuit in recessu fortè, quàm fronte promittebat, quam tu non in hoc dictatam, medio in foro omnibus ostentui habuisti, & per ora hominum quasi cum ludibrio traduxisti, addens te illam responso non dignari, id quod & res ostendit. Tu enimvero tametsi morbo meo, quem conclamatum arbitrabaris, insultare voluisti, attamen, si liberaliter institutus fuisses, senio, longo rerum usui, existimationi, doctrinæ qualicunque illudere non oportuit, ut cujus scripta exteræ nationes (absit à dicto invidia) suspiciunt, tu solus omnibus es. Ego certè tuæ, quantumvis, à limine

Epistola.

nec se facile de possessione revocare
 (quæ ab antiquo semper illi fuit habita)
 tanquam de ponte de juri patitur. *quæ*
 meque præ omnibus infortuniis *quæ*
 sed & senectute ipsa morosior *quæ*
 solet esse valetudo mala. *quæ*
 lecto affixum detinet. *quæ*
 absolvam, si quid est, plane *quæ*
 id agatur, candorem anni *quæ*
 non alo. Raptim posside

Coss. & Senatui

HAud equidem in animis *quæ*
 ram Coss. Vigilantissimam
 tam esse vilim, cupio *quæ*
 tur, cujus fidei antefere
 riæ vitæ, sacrilegus, *quæ*
 publicus grassator, *quæ*
 manique juris violator, *quæ*
 responso, hostilia *quæ*
 fœdè violenterque *quæ*
 cor *quæ*
 di *quæ*
 a *quæ*

tur (quod tamen Deus prohibeat) de-
sæviturus, claustra & cardines ostiorum,
interpellante nequicquam uxore mea &
filio etiam obsistente sunt revulsa atque
effracta, fido scilicet illo præeunte fa-
crilego neque ejus cubiculi modò in
quo supellex mea libraria nonnullaque
alia cum tabulus marginatis asservaba-
tur, verùm & aliorum cubiculorum,
ex quibus, patefacto (proh dolor) om-
nibus ingressu libero, quædam desidero
asportata direptaque esse. Quæ quidem
res ut me miserum habet, ita haud
possum animo videre quo jure quauē
injuria id à vobis non dico, sed certe
vestro consilio vestraque opera factum
sit hoc præsertim tempore quo vos de-
cebat totam urbem, nedum me clien-
tem vestrum ac Medicum ab omni in-
commodo ac detrimento tutum conser-
vare. Quo fit ut vix possim concoquere
tantam mihi factam injuriam, æquius
multo eam laturus si ab hoste, urbem
circumquaque jam obsidente, illata
fuisset. Valete.

Hadr.

*Had. Iun. D. Iacobo à Duvenorde,
Warmondia Domino. S. P.*

I Stud, quod mihi precare, vir nobiliss.
quodque tibi ex usu & commodo in
posterum fore judicas, verè est *ὀφθαλμίων*,
verè sapere: Neque animi diversus
ego sum; quippe cui fixum immotum-
que sedeat, posthac haud amplius Cir-
cæo illi potationis volutabro immergi,
Græcorum morem in poscendo majo-
ribus poculis antiquare ac obruere, imò
memoriam ejusce ritus sempiterna ob-
livione, Deo duce, delere atque sepe-
lire decretum est. Tantum potuere
duo gravia vulnera, unum superioris,
alterum hujus præsentis anni, quæ me
discrimen inguinis & capitis, hoc est,
valetudinis vel secundæ vel adversæ
docuere, & actis jam altè radicibus im-
pressere imis sensibus, ut ab eo propo-
sito avelli difficiliùs, quàm Encheneis
à navium tabulis, posse confidam; quod
ipsum tuæ quia pollicentur constanter
literæ, & mihi gaudeo & tibi impen-
sius gratulor. Litato itaque propitiæ
Hygiæ numine, uterque haud seram,
sed

sed seriam demus operam ut valeamus .
 Existimabas, ni fallor, me jam athleticā
 esse valetudine, sed eam oculatus testis,
 tuus ille, heri satis observavit, & quod
 vidit, testabitur. Ego certè domiportæ
 testudini æmulator, qui domo non abscē-
 do, incurvus quam arcus magis, partim
 ob lumborum spinæque imbecillitatem
 ex apostemate & ulceris vomica con-
 tractam, partim quod recruderit unum
 atque alterum ulcusculum, in incessu
 molestius, quàm ullus sit muræx, par-
 tim etiam propter extenuatas morbi
 diuturnitate vires. Hæc propterea di-
 co, quod præstare fidem illam, licet
 invitus, non potuerim: accedit quod
 propter delectum istorum æruscatorum
 (quos Collectores nominant) præcipuus
 quisque absit peregrè, ut ignorati causæ
 dicundæ reatum effugiant. Quare mihi
 non imputabis, quod per me non stetit.
 De Briela ecquid certi? ἀνιμώλια non
 puto omnia. Vale cum uxore & libe-
 ris. Harlæmo postridie Kal. Aprileis.

1572.

Hadr.

*Hadr. Iun. Ioanni Sambuco, Pannonio
ni fallor.*

Liberet mihi Polydori exemplo
 Lerumpere in hæc verba , Adsum
 profectus Danica è caligine, nisi longin-
 qui ac molesti itineris , ceu partus,
 recordationem , oblitterasset iucundus
 amicorum reduci quotidie gratulantium
 suisque salutationibus fastidium illud
 lenientium occursum. Stipendium hone-
 stum facile me illectum traheret , sed
 cœli morumque gentis inclementia ab-
 sterret : ingens rerum caritas accedit &
 æris (quid dico æris, quum hoc moneta
 omnis abundet) penuria, huc adde victus
 infelicitatem . Sed quid hæc apud te ,
 quasi feriatis auribus depono importunè
 garrulus ? * En tibi foetum nostrum tuo
 nuncupatum genio, quem, si merebitur ,
 hospitem haud gravatè accipies. Mitto
 duo tantum exemplaria, missurus proximi-
 mè plura ubi typographus Previlgium,
 quod hîc nullum extat , obtinuerit ,
 adeò religiosè formidolosus ægrè bina

* Phalli descriptionem, Delphis excusam, denotat.
 fo. 141.

longinquæ peregrinationi parata, concessit. Tu boni consules. Egi hodie cum Plantino præsens de Nonnio excudendo, de Nomenclatore, qui rerum omnium vocabula variis linguis, nempe Lat. Græ. Gall. Germ. Belg. Ital. Hisp. Angl. reddet. Nonnium Cæsareæ Majestati destino: Emblemata Quæstori nostro: Epigrammata diversis: Nomenclatorem Principis alicujus filio, quod nondum satis constitutum habeo. Scribam prolixius proximè, eò quòd Bruxellam expedito mihi proficiscendum sit: Daboque post hac operam, ut per Plant. nostrum frequentius ad te comineent literæ, quod ipsum ut tu quoque præstes, dum Junii non te pudebit, obnicè rogo. * Eunapium ut describendum cures, & si fieri potest etiam † Nonnij Dionysiaca, quòd ad ‡ Epithetorum meorum editionem maxime necessaria videantur, obsecratum te velim. Vale, & Junii patrocinium, ubi poteris, ne desere. Raptim Antverpia nono Kal. Junias. 1564.

* Eunapius. † Nonnij Dionysiaca. ‡ Stromata.

Cor-

Cornelio Susio , Hollandiæ Præsidi .

NON possum, vir ornatiss. quin justum meum dolorem, qui hac nocte somni usuram mihi intervertit, tuis auribus deponam, crudumque animi vulnus, à pestifero alumni olim mei morso impressum, tibi deundem atque ostendam, eò quidem libentiùs, quò te nominis mei studiosum esse novi, ut malo, ne serpat, obviam eatur, communicato cum N. consilio. Nam præterquam quòd nolim patris aures onerare aut exacerbare, animus etiam reformidat puero scribere, ne refractis modestiæ repagulis acerbius in illum invehar. Rem dicam compendio. Hæc sub vesperam adiit me (quod priùs non viderat) quidam nominis mei non indiligens, locuplesque testis, & quidem auritus; is fidei suæ periculo affirmavit, se nuper admodum Roterodami in iusta hominum corona mensæ accumbentium inaudisse, Andream N. filium, Lovanio tum reducem, citato nominatim præceptore suo, narrantē, quòd jussu meo templa non adirent, meque succensere, si quando

id fierit. Itaque monuit, ut à tali peste caverem, quæ nomini meo periculum creare posset. Quid ais os ferreum atque impudens? Ego-ne vetui te tuosue con-
tubernales templum accedere? an non potius festis diebus vos impositis gra-
vioribus mulctis adegere eò ire, rei quæ divinæ operam dare? nisi si fortè dies unus aut alter fœda tempestate turbidus necessitatem interruperit. Ubi nunc reverentia, & sanctum omnibus seculis præceptoris nomen? Siccine reponenda gratia est? Olim Cicero de Cæs. omi-
natus fuit, cavendum esse à puero præ-
cincto: & alter quidam non inscite fugi-
endum puerum prædixit, qui in acie
linguæ gladium portaret.

*Guilelmo Lindano, Episcopo Rure-
mundensi.*

MERITO culpandus & incuriæ arces-
sendus videri possim, qui tam tardus
tuis literis respondeam, nisi diuturnio-
rem absentiam meam pro me deprecari,
καὶ τῆς συγγνώμης ὡς ὅτι τὴν χάριν suo jure
posse considerem; absui enim diutiusculè
Hornæ, natali mihi solo, unde reversus
non

non ita pridem posteriores tuas magna cum animi voluptate deosculatus sum, & legi perlibenter, quæ de Apologia instituenda sapienter admones: nam quod tuam mihi opem operamque apud amicos polliceris, næ tu me hac re totum non modò lætitiæ sensu delibutum reddidisti, verum etiam beasti, ὡς αὖτε θεὸς τις δὲ μηχανῆς ἀνελπίστως ἀναφαίτων. Itaque consilium tuum sequutus, Apologiam brevem ad P. C. meditor, quam inter quatrimum proximum tuæ εὐμυσία καὶ παιδείας permittam, ut sic adjuta tuæ commendationis subsidio, velut lauri amuleto καὶ ἀποτροπῇ, fulminis manubias effugiat. Exemplaris epistolæ Morilloni usurâ te locupletabo, & quæ de piscium, aliarumque rerum nomenclaturis ex condito poposcisti, perscribam brevi, ubi Apologiæ colophonem imposuero. D. Florentii causam lætam accepisse coronidem nobis gaudeo; illi gratulor, cujus frater in se recepit harum cum exemplari Morilloni conjunctarum tibi accuratè reddendarum negotium. Vale feliciter τῆς θεολογίας ὀφθαλμοί, καὶ καρδιὰ ἀπάσης τῆς ἐκτετακτοῦς ὀφειλῆς. (quod de Jamblichō Julianus præconium extulit)

lit) καὶ τὸ πῦρ τῆς παλαιᾶς κόμματος οἰονοῦν
 ἀποτῆται πᾶσι ἰεροῖς ἀληθεῖς καὶ γνώμης παρδύσαντες
 ζωπορεῖν ἐπιτίστω.

*Cardinalium confessui, aut Commissariis,
 vel Coenobio.*

ET si nihil ambigam P.C. non defu-
 turos in sanctissimo isto conventu,
 qui absentis rationem aut omnino non
 habendam, aut certè pensì nullius du-
 cendam existimaturi sint, in spem ti-
 men certam erigit me vestra cùm æqui-
 tas, tum prudentia, ut arbitrer vos non
 passuros tantæ labis vel solam suspicio-
 nem in vobis residere, ut causâ incog-
 nita cadat, qui se pro criminis exorte
 gerit: qua certe ignorata, ut nemo ritè
 condemnari potest, ita cognita non du-
 bium quin ab æquissimis omnibus inno-
 centia nostra in tuto statuatur. Cui enim
 tanta vecordia innata fuerit, qui non sa-
 lutarem iudiciorum literam, quàm lu-
 gubrem illam malit? Quòd si tantum
 mihi esset ingenii flumen, tanta dicendi
 vis, tantaque copia, ut pro loci confes-
 susque dignitate verba facere, expecta-
 tionique aurium satissacere me posse
 con-

considerem, facilis explicandi mei foret ratio: nunc tanto me commoveri animo magis par est, quòd nec usu satis, nec ingenio valeam, ut in hac luce delectissimorum virorum, rei que publicæ columinum dignè causam meam tuear: illud tamen unum me recreat, quòd sit quædam ita perspicua veritas, quæ nulla re infirmari queat. Velut ignis aquæ immersus, uestigio restinguitur, ita & falsum crimen, in opinionis integrum, flagitii que purum collatum, mox aboletur atque corrui. Quod quale sit, succincta oratione explicabo, sed ita, ut non tam breuitate oratiunculæ meæ, quàm rei veritate crimen intentatum ponderetis, siquidem (quod à veteribus sapienter dictum est) veritas simplex est, & ambagium fugitans sermo. Vos interim obtestatos velim, P. C. ut tribus verbis, quicquid est rei, explicaturo mihi auri- bus favere tantisper dignemini, dum scriem rei pariter & vitæ rationem obiter delibem. Districtum est à Sacrorum Rege, sive Pontifice Max. Paulo Tercio fulmen in meum nomen, quo librorum meorum, qui varii in lucem exierunt, lectione interdicitur, non alia de

causa, uti reor, (neque enim sinistrae alicujus opinionis, ac diversae à communi Orthodoxorum persuasioni mihi sum conscius) quàm quòd Angliæ Regi Edovardo, quos præferebat titulos, in epistola quadam nuncupatoria Lexici Græci, à me evulgati, attribuerim, quæ res ad hunc modum habet. Quum Cæsar ad Landrisium, Artesiæ oppidum, exercitu circumfessum, stativa teneret, consilio & hortatu Reverendiss. Londinensium Episcopi Edmundi Boneri, aureos tantum non montes mihi pollicentis, in Angliam fueram pellectus; mox in familiam Illustriss. Norfolkiæ Ducis adscitus, non ingloriè illi medicinam factitabam, deinde extincto dolisque circumvento patrono liberalissimo, in comitatum Heroïnæ cujusdam perductus, parturire cœpi Lexici Græci supra sex vocabulorum millia quingentis amplius à me locupletati, editionem in studiorum adminiculum, instigantibus atque adeò invitum propè perpellentibus & amicis, & bibliopolis. Ibi quum libro genius, & propitius fortunæ tenuioribus patronus de more quæreretur, cunctorum facile suasu delectus fuit

fuit loci Rex, quem dixi, singulari tum indole puer, nondum corruptis primo puerilis regni rudimento moribus, & cui inter primâ doctrinæ incunabula aptissimè id libri nuncupandum videretur. Disceptatum est aliquantisper apud animum, ancipitem de titulo, quem à patre acceptum sibi arrogabat, sed eam animi luctam diremit Franciscus Dilfus Caroli Cæs. tum Legatus, magno iudicio vir (quam ejus Manibus laudem haud faciliè derogaturum quenquam autumo) qui serio & vultu, & animo contendit, non semel admonens, tribuendum illi Principi esse titulum, quem sibi usurparet, ei præsertim, qui sedes ibi tum firmâram, nihilo deteriore jure, quàm qui, apud Scythas degens, Tartarorum Imperatorem Solis Lunæque fratrem (quo titulo gaudet) nuncupare cõgatur: aut qui Indorum Regi Davidi non minùs superstitiosum titulum tribuere teneatur: eoque magis, quò Belgica Curia in suis ad ipsum Regem literis à simili titulo non abstineret: Adde, quod gravius fuit, capitalem in eo Regno noxam fuisse, edicto quoque sanctam in illos, qui illo ipso Regem

R 5

titu-

titulo fraudarent. Hactenus rem, ut simpliciter & citra dolum gesta est, certo explicui, causamque exinde, quæ me impulerat, ipsi facile intelligere potestis: Neque enim imitabimini quæstores, qui lævâ caput perfricantes, secum commurmurant Plautinum illud: Ratio quidem hercle apparet, argentum *οὐχεται*. Vobiscum ipsi expendite, P. C. an istorum, qui criminis flagitiique loco titulum, Regi Angliæ inscriptum, impingunt, authoritas ad obtinendum mendacium, an ad probandum verum valere plus debeat: siquidem vitiligatorum istorum, ne dicam cum Atticis, Sycophantarum calumnia Pontificis Maximi patientia ac lenitate abusa fuisse videtur. Instillant illi feriatis ab ista hominum fece Pontificis auribus, ac propterea credulis, graviter læsum, quem nec animo nec verbo quidem ullo perstrictum scio. Et quæ tandem potest esse illata injuria, ubi nec nomini maledicentia, nec titulo derogat malitia? Non sum usque adeo frontis carens, ut juris pudorisque repagula omnia transiliisse, ne dicam perfregisse velim, ut illum, cui universi Orbis consensus

in

in Ecclesias principatum defert , velut de gradu dejicere , aut (quod absit omen) Gigantum more oppugnatum deturbare aggrediar. Quod ipsum si vel attentassem, quas non cruces, proscriptiones, exilia, supplicia, mortes denique reduci mihi in patriam, Romano Pontifici addictam , impendere , animo præsumere oportuisset ? Enimvero si manifesto teneri me posse putassem , certi piaculi mihi conscius, haud eò projectæ audaciæ erupissem , ut certi exitii expectatione infidis sedibus, tanquam importuosis locis, me ac salutem meam commissem: nimirum Tragicos omnes Orestes & Athamantes dementia superasse existimari poteram, qui in apertissimum capitis, fortunarumque discrimen me coniectum , voluissem stolido inanis gloriolæ aucupio. Quin potius è diverso deterrere me debuerat non modò ingloria , & inutilis libri nuncupatio , verùm multò magis præsens noxa capitis reum illico ex edicti jure alligatura ob deductum, & velut in fraudem accisum (quod in nummis fieri plerunque solet) Principis titulum . Quis tam iniquus fuerit, tam rationis egens, ut neget sub-

dito (cujusmodi tunc eram regni inqui-
linus, mansurus quoque, ni disturbata
pristinis sedibus religio motus intesti-
nos concivisset, alienigenisquæ, ab ipso-
rum persuasione dissentientibus, perni-
ciem minari plebis discessio visa fuisset)
Principis voluntatem sequendam esse.
Viderit ipse Rex, viderint, qui sunt
illi, ceterisque Regibus à consiliis,
illi quo jure titulum sibi vendicent, hy
quo assensu stabiliant & ratam interdum
libidinem habeant: qua de re differere
ut hujus neque loci est neque temporis,
ita nostrâ referre non censeo, dummodo
æqui bonique semitam ingressi Principi-
bus pareamus. Notius vobis est, P. C.
quàm ut hoc loco narrari apertiùs, quàm
ut cum tædio aurium refricari debeat,
quam ob causam ejus Principis genitor
à Rom. alienata mente diversus abierit.
At (uti vulgus mortalium solet ex opi-
nionè plæraque omnia, ex veritate per-
pauca æstimare) dixerit aliquis, qua tu
ratione, qui libris, evulgatis, publicique
juris jam antea factis, quasi in aliquo
orbis terræ theatro versabaris, perso-
namque tuam agebas, qua inquam ratio-
ne latere posse existimabas? Equidem di-

dicam de me ipse pauca , sed modeste ,
me quicquid in literis profectus fecerim
(quod quantum sit ab aliis, judicari at-
que expendi malim , quàm invidiose à
me dici) eò semper retulisse, ut publicæ
utilitati, & communi studiosorum com-
modo meæ vigiliæ , & subcissivis operis
exstructa monumentorum meorum fa-
brica deservirent , nullius laboris par-
simonia, qua ex re ut sequi solet innatum
quoddam omnibus appetendæ immor-
talitatis , hoc est, cum omnibus sæculis
finiendi nominis sui studium, & quidem
honestissimum illud , eodem me etiam
ardore & cupidine ductum fuisse , ne à
reliquorum mortalium conditione alie-
nus videar , dissimulare nolo , quod ne-
minem quemquam tam à Musis aversum
existimem , qui non æternum suorum
laborum præconium malit , quàm tem-
porarium & caducum, proscriptionique
obnoxium : & qui quàm longissimè
latissimeque sui nominis terminos dif-
fundi non præoptarit , quàm exiguis
certarum regionum finibus arctari at-
que includi.

Nicolao Vorstio.

QUOD tu eò disertiore, quò longiore
epistola efflagitas, Vorsti eruditiss.
id ego nudis verbis breviter detexam,
quando veritatis simplex sit oratio.
Leo, de quo scribis, mihi hætenus
ignoratus, nec visus, quod equidem
sciam, unquam est, quò incertius illibe-
raliusque meum de ignoto iudicium
fuerit. Infirma est Leonis ex unguibus
existimatio, multò infirmior è nomine:
Critolaicæ bilancis vicem sustinere ne-
queo, ut iudicii momentum à me pen-
deat. Junius sum, Palæmonis personam
non induo. Honorificam tamen nomi-
nis mei profectam ex ejus ore non semel
mentionem, nullo meo merito, intel-
lexisse etiam aliàs mihi videor, quo certè
nomine, si quid eruditionis in me altioris
perspexisse putat, plurimùm debere me
illi profiteor, atq; utinam pensare bene-
ficii vicem liceat. Scrupulū illum alterū
de cognomine mihi Junio facile eximā,
ne Oedipum requiras, litemque ex veri-
tate iudex æquus æstimabo, neque verò
incorruptæ æquitatis opinionem apud
ad-

adversariū tuum amissurum me autumo, si adversus eum pronunciem, quando in rem meam nequeam litem vertere. Certaminis itaque victoriam penes eum esse prætoris auctoritate pronuncio, qui nulla nos cognationis propinquæ lege conjunctos dixit: diversissimis enim locorum (uti non malè hæriolare) spatiis nati, sed multo diversioribus genituris sati sumus. Pacto tamen non ita pridem convenit inter nos, ut cognationis origo quædam è cognomine surgeret. Omen belli, quod nuncias, adversis armis retusum iri auguror: Pudendum certè Principes à nutu atque arbitrio Hierarchæ unius, cui jus dicere possent, tanquam pedarios, pendere atque oborto veluti collo transversos agi. Dabit Deus his quoque finem. Leonem, si apud vos sit, aut si quando eò commeet, salutabis ex me officiose. Harlemono quarto Idus Febr. an. 1567.

Ioanni Sambuco Pannonio.

Literis meis ad te post reditum è patria meum (ubi ad decem dies peregrinatus fueram) scriptis, sed supino quo-

quodam otio jam requietis , dum in omnem eventum scripta, primi tabellarii occasionem operiuntur , supervenêre postremæ tuæ, ante diem vi Kal. Septemb. scriptæ , quæ me novo beneficiorum auctario oherârunt , ita ut jam amicitia benignitatisque non leviter pressa vestigia posuisse , sed monumenta quædam, ad perpetuitatem trabali quodam clavo fixa, apud me depangere voluisse, nedum studuisse videaris. Alii primoribus solum labris pollicentur, nec fidem promissis adjiciunt : tu , quæ spondes, præstas, & verba re ipsa sancis, & cumulo insuper auges , ita ut in par pro pari referendo omnem adimas atque intercidas spem: absit enim ut tantorum beneficiorum, cujuscumque jam tertio in me luculenta contulisti , vel nomen sperare fuerim ausus . Qua ergo ratione σὲ τὸ μέλημα τῶν, ut cum Sappho dicam ; *ῥεῖπτύξομαι* ; qua amici *ἑταῖροι* exosculer? quo modo immoderatam istam in ornando me benignitatem, humanitatemque celebrem? ut de modestia singulari ac propè unica taceam , qui , cùm individua sit felicitatis comes & affecula superbia , cùm vix ulli

ulli contigerit simul & fortunis abundare, & fastu carere, ingenium, ab omni fastus suspicione alienissimum, præ te feras, id quod & vultus (tacitus quidam mentis sermo) præsentis loquebatur, & scripta (nec ipsa ignava testimonia) fidem faciunt. Etsi verò plurimi interesse, cui quid debeas, non sim nescius, nemini tamen debere plus fateor, quàm tibi, viro literatissimo, quem literarum communium amor arctissimo vinculo quondam mihi conciliavit atque conjunxit: eam necessitatem, quæ per se sola satis esset, insuper accessario beneficiorum cumulo adauges atque instauras. Inter quæ historiolas tuas cupidè devoravi rerum superioribus annis in Turcam feliciter καὶ δὲ καλῶς gestarum, ubi pulchrè navata est abs te opera, qui memorabilem cognitionem scriptorum monumentis consignâris, ἐπὶ τῇ τῶ ἱερμῶν μετὰ αὐτὸν μὴ τύχη λόγων κηρύκων, τῇ μετὰ αὐτὸν ἀπορροῇ καὶ λήτῃ ἀμπέχεται. Postularem abs te veterum librorum, indefesso studio, & inexhaustis laboribus tibi conquisitorum, indicem, quem olim pollicitus fueras, nisi vereretur mihi totidem oculorum vulnera καὶ δακτύλους ἄλλας de-
posce-

poscere. Quòd si liberiori mihi apud te esse concessum foret, oratum te velim, candidiss. Sambuce, ut quando reperire mihi vix liceat rationem extricandi me è phrontisterio isto, cui me propter reddituum angustiam ad instituendos aliquot nobilium pueros mancipavi, & quidem ita, ut à cæteris laboribus honestissimis distinear prorsus & excludar; libenterque à sordido & inglorio labore respirare & ad literarium otium transire cuperem, quò inchoatæ operæ *ἡγεμὶδα* *ἡγεμὶδα* imponam, vindemiasque meas omnes, quas cum Platone senii oblivioni subsidium paravi, plenis manibus effundam; ut, inquam, momenta omnia, quoad ejus fieri potest, per occasionem observes, nullumque prætermittas juvandi Junii atque è specu isto in lucem evehendi locum, tu, qui velut ædito in orbis terræ theatro Regum Principumque in oculis versaris: Fac obsecro, ut tu mihi seges ac materia gloriæ, vel lumen potiùs & ornamentum in obscuritate ista facem præluceas; tu loco proræ puppisque sis, rationesque impeditas commendatione tua explices, si cubi patebit non indigna meo loco conditio;

ditio ; hanc tibi palmam verè lemniscatam depangito ; hæc somnii fides tibi arrogetur. Emblemata aliquot, isthïc Harlemi typis expressa , ac à me versibus illustrata , levidense munus accipito serena fronte , quâ turbidam aquam Artaxerxes, quâ Dii molam falsam ab egenis. Vale Amsterodamo quarto Non. Septembr.

Ioanni Sambuco .

Literas tuas postremas, singularis erga me amoris & benevolentiae testes locupletes, & muneris chartacei, ejusq; liberaliss. comites accepi *ἡ μετὶν εὐχέλων ἀνθήνιον* Sambuce , in quibus cum altissimum sit silentium de literis meis, Amsterodamo missis , seu potius *αὐτοχρῆδι* carmine, ad te misso , non potui, quin ejus exemplum tibi describendum curarem in ista temporis angustia . In libraria verò sarcina miratus sum , quæ abessent Commentarii Julii Cæsaris , & de numismatis opus , tua præfatione exornatum , & improbis votis à me sæpe expetiturum , cujus tu specimen ad me pridem dederas . Itaque suspicio
ani-

animum subijt, ejus loco ut subditivus
 liber de stirpibus Dodonæi, vernacula
 nostra lingua scriptus, eo in fasce stipa-
 tus fuerit, nisi fortè nondum reliquerit
 prælum; quicquid sit, tu scrupulum
 animo facile exemeris, quanquam etiam
 primorem paginam, & præfationem in
 historias Ciceronis desiderabam. Libel-
 los tuos de imitatione exosculatus sum,
 sed amisi fermè priusquam accepi (quod
 Terentiana Thais ominatur Chremeti)
 quod Lindanus Ruremundensis Episco-
 pus qui mihi tum fortè in Musæo adsta-
 bat, admiratione eruditionis tuæ ex
 meis verbis tactus, desiderium legendis
 illis ut expleret, secum eos abstulerit
 ad dies aliquot, quamvis excusarem,
 mihi nunquam etiam lectos aut visos:
 Sed quid agerem? sic homo est. Catalo-
 gus autorum Græcorum, quem nuper
 ad me dederas *ἡμεῖς μὲν ἡ ὥς σαρφύρα*
λέγου ἐκπλήξεν πῶς mihi peperit, vertat
 Deus *βασιλεύσας* omen, quam tu amuleto
 præsentis facillimè averteris, certè si
 tantū operæ mihi (id quod non dubito,
 obtestari dum fas sit, quin impetrem)
 præstare lubeat, meo ut ære descriptis
 frui detur Eunapii vicienis illis Sophista-
 rum

rum vitis (quas ego prorsus depereo)
 ne te amoris nostri ardorem clam esse
 patiar. Nihil unquam gratius feceris.
 Quid ajo? An vero quicquam mihi esse
 possit gratius, καὶ ἀεὶ φιλοτιμότερον ἢ δὴ καὶ
 ἀντιμετιμότερον quàm quod tute mihi modò
 offers de conditionis ratione, ut alen-
 dis studiis, sublevandis (ut tuo utar
 verbo) lucubrationibus honorificum
 ac luculentum industriæ subsidium de-
 poscatur à maximis, laudatissimisque
 Principibus. Nosti vetus illud, non
 defuturos Marones, si sint Mecœnates.
 Velim equidem quiduis subire oneris in
 tantorum Heròum gratiam, sive Au-
 striacæ historiæ (quam te exorsum esse
 telam autumo) texturam mandent, sive
 alterius provinciæ curam delegant, sive
 interpretandi, aut è Græca in Romanam
 coloniam traducendi munus credant,
 quò immortalitæ nominis argumentis
 exilioribus partam, illustriore viatuerer:
 quod tunc animo incrementum, quam
 studiis industriæque accessionem futu-
 ram anguraris si honoraria stipe eaque
 annua cohonestari me talium Principum
 beneficentia dignaretur? Quod si fiat,
 (potes autem in ea re plurimum) næ tu
 mihi

mihi Deus fueris in universum, *ἢ πᾶσι θεὸς ἔσῃ* : ad id, si Comit^{is} Palatini justus, haud trivialis iste, titulus accederet, ut nunc sunt mores & vita (quod tu prudenter edisseris) quid me beatius. Te mihi præsidium, ornamentum? Ajacis clypeum esse deputo: perfice, quantum potes, & ubi potes, non omnino specto illud: Bis dat, qui citò. Epistola tua in Stromatum (quod librorum de epithetis, in locos communes digestis, indigitamentum erit) ædicionem servabitur. An tu quidquam insulsus, ineptiusve Ravisii, verè rabidi & Athamante Tragico vesanioris hominis. Collectaneis vidisti obsecro? credo equidem idem te mecum sentire de eo opere quod nullo judicio indigestum quoddam Epithetorum chaos congeffit. Velut, ubi Sambucam (recreor enim tui nominis fausta recordatione) epithetis insignit medullatæ, olentis & triangulæ: hîc postremum tam Sambuco competit, quam illi ipsi; nec enim in arborem illam notissimâ cadit, sed in Sambucam, instrumentum musicum triquetrum, fidibus tendi solitum. Rursus Iberiæ, (quam ab Ibero amne Hispaniam rectè

vocari annotat) quid congruunt illa
 epitheta; venenorum ferax, venenifera?
 quum hæc Iberiæ, Ponti regionis, ad
 Colchidem sitæ, propria sint. Itaque fit,
 ut & à latæ culpæ crimine exsolvere se
 nequeat, & tamen eadem opera juvenes
 & semidoctos altissima erroris caligine
 involvat, liberè citra judicii amissim, ac
 promiscuè epithetis rei incongruis abu-
 tentes: Exempli gratia. Avenam pro
 sati genere levem, gracilem, sterilem
 dici patiar, non itidem argutam, septi-
 forem, Phœbeïam docilem; quæ in
 avenam pro fistula quadrant aptius:
 quanquam è classicis, & majorum gen-
 tium scriptoribus retexuisse illum suas
 corollas, nunc parum ritè lemniscatas,
 mallet. Neque enim statim Epitheto-
 rum ordini adscribendum, si Oceanum
 fertilem vocet Faustus quispiam. Expen-
 so hîc judicio opus est, & Critolai bi-
 lance. Velim potius explicari mihi, cur
 Pythagoras vocetur Panthoïdes, cur ab
 Ausonio renatus. & id genus alia. Ego
 in meis Stromatibus aliam rationem
 sequar. Verbi gratia. Cur navim *μειλιτο-
 πώκον* & *ηγερωνίδα* vocet Homerus *ἰαλόπτερον*,
πυλαργόχρησται Lycophron, *πυργολόγαιον*
 So-

Sophocles, ἑσκαρίων Q. Calaber,
 κυανώπιδας Æschylus, ὑλόθου Sibylla,
 Ὠσεύου Apollonius, ἀκύναιον Theocrit.
 ἐλιδόρου Nonnus, δευροπαγῇ, λινοπτέρυγα,
 & βαθυτέρμονα Oppianus, Ἰόν Callima-
 chus, εὐεργίας Dionysius, ποντοπόρον Or-
 pheus. &c. Addam alterum exemplum.
 Apes βυζβυῆς Propyrius, βεπυαθῆς,
 εὐάγας, συμβλήιδας Epigramm. ὕμητιίδας,
 Διφρύπιδας Nicander, Ἡεροφείδης, ἀεισεπόνους
 Phocylides, σιμάς Theocrit. ξυθαῖς
 Sophocl. ἀνθυμέργας Æschylus, ξυθοπτέρυγας
 Euripid. ἐρρατίδας Pisides, φιλέργας
 Nazianzenos, τελεβόμβας Orpheus. Ha-
 bes, quam insistantiam viam, ab indocto
 Grammatista alienam, quam te non
 improbatum spero, mutaturus vela,
 si aliud suadeas. Mittam ad te prope-
 diem Emblemata quinquaginta quæ,
 describo, præter ista historiarum, alio-
 rumque argumentorum Emblemata.
 Vale. Harlemi.

Ioanni Sambuco.

L Iteras tuas Laconicas, sed per huma-
 nas, Octobri mense scriptas, accepi,
 quibus liberaliter de Imp. Maximiliano
 &

& Regulorum erga me studio polliceris. At heus tu : memini te olim non semel iniecisse spem pensionis annuæ , qua absentis studia ali possent , id quod commodiùs in hac ætate mihi eveniret, cui tam longinqua peregrinatio fastidiosa & impendiò sumptuosa accideret: alioqui Danus rem quædringentis Dale-
ris stipis loco appendendis mecū pactus erat. Sed ejus regionis genium & ego, & uxor abhorremus. Nonius, Cæs. Matis. auspicio proditurus, infra octiduum meam custodiam deseret , alieni juris futurus , in quo quantum exantlaverim laborum , nullus facile dixerit ; nunquam enim speraram tandiu , atque ad eum modum me castigationes illas exercituras fuisse, sed tentatum laborem, atque improbis cū tuis , tam aliorum votis toties expetiturum, pertinaciùs urssi, & (gratia superis) jam perfeci. Ubi ille evolârit hinc , mox subsequetur Nomenclator , liberis Maximil. Imp. consecrandus fortassis , ut tuo judicio & voluntati acquiescam , quæ opera non tam longum extrahetur ut ista , quòd isthîc de antiquitate , altissimè obruta, divinandum fuerit , hîc meo judicio

S

scri-

scribendum aut potius jam perscriptum sit. Intelligo ex literis ad Plantinum tuis Eunapio interpretem te quærere; at, nescis quàm me ea res commoverit, quando jam olim non semel Eunapii copiam describendi in spem versionis, per literas depoposcerim, nisi imparem me illi provinciae judicâris, in quo libens tuæ censuræ ἀκριβεία stabo. Interim Historici munus, aut Medici, aut quaecunque tandem non abnuero, modò Imper. tanto, qui jam olim orbem terrarum latissimè sui expectatione implevit, approbari atque placere queam. Tu sive istud, sive pensionem impetrabis, fac quod videbitur expeditius, ἐκείνα χάρις γλυκερωτέρα, ut nosti, quem ego non fronte, sed mente mihi studere persuasum habeo. Vale.

Ioanni Sambuco.

CUM unicè mihi placuerit semper Lucilii illud, *Eum laborem sumas, laudem qui tibi, ac fructum ferat*, Sambuce doctissime, sumpseram mihi in manus repastinandum Nonii Marcelli vinetum; cui labori propterea lubentiss

in-

instituti, quòd hoc tempore in repurgan-
 dis, restituendisq̃ue ejus aliquot locis
 doctissimos quosque viros multũ operæ
 posuisse animadvertere : quæ res tametsi
 non infeliciter plerisque cessit, attamen
 veluti per nebulam tentata videri potest.
 Itaque honestissima studiorum altrix
 æmulatio faces animo subdidit, ut
 auctorem corruptissimũ à mendis, hoc
 est, Augiæ stabulum repurgare sim
 aggressus. Eòdem accesserunt multorum
 doctorum hominum, atque inter eos
 frequentes tuæ efflagitationes, ut Nonio
 lucem suam, ac recidivæ gloriæ usuram
 permetterem, & laudem gratiamq̃ue à
 litteratorum cœtu, *ἅπαις πανανίᾳ* quo-
 piam expectandam occuparem. Eam ob
 rem ingentes ac tantũ non Herculeos
 (ut ille inquit) labores in urgendo per-
 tinaciũs incepto exantlavi, tuaq̃ue fre-
 tus auctoritate aliquò prodii tenus.
 Nosti Philemonis Comici illud, *ἐκ τῆς*
φιλοπονίης γίνεθ' ὃν θέλεις κρατέειν. quanquam
 accepi esse, qui eandem telam texant,
 quorum editionem non tardaturos cona-
 tus nostros spes est. Neque verò inficias
 ivero multa nos fugere potuisse, quòd
 in profundissima & captum nostrum
 S 2 fu-

fugiente vetustatis cognitione nemo
 usque adeò Lynceus reperiatur, quàm
 alicubi caliget atque hallucinetur: nec
 sum adeò humanitatis exfors, nec scio-
 lus, aut philautus: Ausim tamen
 gloriari citra jactantiæ suspicionem,
 plus Nonio accessisse lucis hac operâ
 nostrâ, quàm omnium, quotquot à
 centū retro annis huic auctori medicam
 manum admoverunt, studiosis & im-
 mortalibus laboribus effectum sit. Non
 te latet, quàm Nonius iste uber sit
 Amaltheæ cornu καὶ πηγὴ πηυσία, vel, si
 mavis, apotheca quædam, omnis generis
 fructibus cūm veteranis, tum novellis,
 nonnullis etiam vietic instructa, & tan-
 quam per cellas & loculamenta ab dili-
 gente patrefamiliâs digesta. Hunc quia
 toties extrudi & publici juris fieri
 cupivisti, vel esflagitasti veriùs; eo
 consilio nitidioribus typis excudendum
 dedi, ut in bibliotheca Cæsareæ Maje-
 statis, quam didici incomparabili sumptu
 & diligentia adornari, locum tua com-
 mendatione mereatur, atque obtineat:
 qui ipse βιβλιοθήκη ἐστὶν ἡμῶν καὶ μακάριον
 ἔσται (neque enim abnues, opinor,
 elogium, quod de Longino extulit
 Euna-

Eunapius , de te præfagiisse videri potest) quippe qui , peragrata bona Europæ parte , peregrinationes longinquas decurso jam multorum annorum curriculo suscepis (egregio periculorum sumtuumque contemptus testimonio) ut numismata , antiquitates , veterum scripta conquireres . Quod tuum institutum honestissimum ut secundabit Deus , ita cum æternitate conjunctum provocabit amorem tui , & perennem laudem apud studiosos omnes . Vale , vir doctissime , munusculumque verbis apud Cæs. M. orna. Harlemi , vi Idus Martias.

ERUDITISSIMO

Joanni Sambuco, *Pannonio suo*, Hadrianus Junius *Medicus, S.D.*

NON invitus accedo Anaximandri Milefii auctoritati , infinitatem rerum atque naturæ, è qua cuncta gignantur , invehentis , Sambuce doctissime , postquam video omniparentis illius inexhaustas opes indies magis ac magis è tenebris, quibus mersæ latent, existere.

novas erumpere, solertiâ hominum investigari, & ingeniis illustrari: in quam rem studium omne & operam certatim conferre debere censeo, quotquot aciem ingenii clariorem, industriam solertior, & (uti poëtæ fabulantur) Promethæum illud lutum defæcatius nacti sunt. Quos inter palmam, & quidem lemniscatam (absit dictis invidia) meretur Petrus Matthiolus, in rei herbariæ cognitione pentathlus quispiam, Principibus tuis addictissimus, qui restibilem illam fegetis herbariæ fœcunditatem accuratissimè asseruit, ac à tenebris vindicavit. Cujus Medicinales epistolas, nuper abs te mihi dono missas, quum percurrerem, incidi fortè in Fungi Cervini descriptionem, Italiæ (ut ipse attestatur) ignoti: ibi tum in mentem mihi venit, quam de Phallo Fungini quidem generis, sed regionibus aliis, præterquàm Hollandiæ sabuletis, ignotò, lusisse me olim memineram, dumque altius rem mecum animo voluto, & apud me majorem nostrorum sedulam in habenda posteritatis ratione curam pressius considero, ne quid venturis seculis lateret incognitum, visus sum mihi

mihi pretium operæ facturum, si rem, cognitione non indignam, publici juris facerem. Itaque nihil habui prius aut antiquius, quàm planioribus verbis historiam cognitionemque non modò scripto prodere, verùm etiam aptis iconibus repræsentare. Pythagoras Samius dictitabat anteferendas esse Sirenibus Musas, significare volens simplicem veritatis orationem præstare comitis ac phaleratis sermonibus: nimirum Sirenibus assimilavit ille orationis structuram, lenociniis verborum fucatam, ut Musis nudam orationem, nullo artis mangonio medicatam. Licuisset mihi isthîc myrothecia Græcorum Latinorumque, & pigmentarias arculas omnibus consumere, onerando & chartas pariter, & aures variæ lectionis divitiis, & commentationibus, undecunque aggestis de fungis, boletis, & , quæ huc faciunt, aliis: verùm nolui alienis in laboribus stultè ingeniosus vindemiam cogere, aut è plagio gloriam aucupari. Deinde studui etiam præstantissimi pictoris manu expressas icones dare, liberaliore animo, quàm Hipponicus olim, qui cùm haberet in animo votivam

statuam patriæ erigere, consultumque illi esset, ut nobilissimo plastæ Polycleto fingendam locando auctoritatem operi communiret, repudiavit consilium, dictitans, se nolle simulacrum, cuius gloria ad fictorem redundatura esset, eò quòd artificis nobilitas plerumq; obscuraret auctoris nomen. At nihil ego tale veritus, non gloriolæ fumis inhians, sed propagandæ disseminandæque huiusce rei cognitioni incumbens, contento vulgo, inepto iudice, quòd fui similibus impensius afficitur, & quòd fortè laborem, in re tenui consumtum, criminabitur, prodire in publicum fœtum istum volui. Quem nostrum laborem cui rectius nuncuparem, quàm tibi, Sambuce, decus meum? cuius animi magnitudo atque liberalitas erga immerentem ea extitit, ut ingratitude notam incurfurus ac tibi etiam decocturus videar, ni beneficiolum aliquod tenue reponere adnitar, quod ipsum pulchrè fœneratum abibit, dum tui nominis celebritas commendationis plurimum opellæ nostræ apud eruditos lectores conciliabit. Vale, & levidense munus benigna fronte metire, & ab æmulorum viru-

virulentis moribus tutare. Nonium
Marcellum, quod te velle video, infi-
nitis locis interpolatum, & à squalore
suo detersum, brevi, annuente conati-
bus Deo, dabo tuis votis. Harlema,
Kalendis Martijs.

P H A L L I,

*Ex fungorum genere in HOLLANDIÆ
sabuletis passim crescentis,
descriptio.*

HADRIANO JUNIO

Medico auctore.

ET si nemini ambiguum videri debet, quin
miraculum sui fecunda illa Naturæ vis
atque majestas, & sacra rerum parens Tellus
abundè impleverint, animo reputanti infinita
fruticum, herbarum, fructuumque genera
humanis esse usibus destinata, pariter ac vo-
luptati nata, quippe ubi omnium potentia fe-
dem planè faciat, absque occultiore causâ
rerum naturâ produci nihil: utraque tamen
mortalium usibus semper ac necessitatibus au-
cillata hætenus, effœtæ; ne dicam decoctrice,
crimen apud plerosque mortales & ingratos
incurrit, quasi consumpta atque exhausta

S 5

pri-

pristinæ largitatis materia, quando benignitas utriusque nusquam clausa, tam sua sponte, quàm etiam coacta, sua dona liberalissimè impertiat omnibus, parca nemini, officiosa ubique & obsequiosa etiam, nisi fortè hanc illi laudem venenorum minùs restibilis seges deneget. Quarum munificentia ne & nos deesse videremur, donum, quod matres illæ paucis mortalium cognitum, à nemine veterum, recentiorumque scriptorum (quod equidem sciam) literis proditum, in fabuletis nostratibus enasci dederunt, in literarum monumenta referre memoriæque consecrare volumus: siue ludentis naturæ rudimentum illud sit in exprimendo veretro, siue singulare sit ejus beneficium ad usum mortalitatis comparatum, hoc præsertim tempore, quo propter effrænatas libidines, luxumque, cui modum omnem ademit licentia, podagræ & articulares morbi agminatim incumbunt, ne diutius lateret incognita remedii præsens utilitas, quæ permagna esse traditur in feruenti, atque intolerabili artuum cruciatu. Nimirum naturæ mirificus in variando ludus in tanto, tamque operoso herbarum apparatu, clarissimè elucet, admirationemque sui per amplam nulli non injicit, dum cymbali, cassides cucullos, pocula, petasos, scorpionum caudas, digitos, unguum nubes, stellarum
ra-

radios, pilos denique imitatur. Eadem in pisciū genere expressit urticas, pulices, stellas, arundines, uvas, cucumeres, pulmones, penicillos, qui & mentulam æquoream, ad morem hujus nostri, dum vivit turgescentem, à morte flaccentem, foraminosam, circa Stœchadas Gallici maris insulas frequentem dedit. Cæterum ut hunc Naturæ fatum aliæ nationes admirentur, spectent, fruantur quatenus licet, docti verò quibus liberalius suppetit otium ad omnifariam lectionem, & quibus faciliior ingenii vena obtigit, diligentius considerent atque expendant secum virium rationem, placuit edito in lucem scripto publici juris facere, idque justis monochromatiis expressum, delineatumque manu nobilissimi pictoris Martini Hemskerckij (ejus viri iconum celebritas eodem quo orbis terrarum termino clauditur) & à me cum soluta, tum numeris illigata oratione descriptum, ita ut à me non semel oculata fide spectatus, observatus, & mediis caretis erutus fuit. Neque verò Nigri recordiam in exemplum trahendam liberali, & veritatis studioso homini, & calumniæ exforti futuro existimo, quem Dioscorides pleraque ex hominum rumoribus, aliorumque solum traditionibus parum integra fide, præcipitique consilio

chartis illevisse in simulat. Sed ad rem ipsam.

Constat Hollandiam, olim Bataricæ non alienam, locis ad Oceanum occidentalioribus, Rheni amnis beneficio, æstuariisque maris in moles arenarias flantibus ventis intumuisse, obstructis etiam permutatisque nobilissimi fluxii aluens: quas moles Oceani cuncta alioqui latè arua inundaturi, furoribus Deus opposuisse se velut obices quosdam & inundationum repagula videtur: sed quàm nihilo secius terè sterilitatis periculum fluida illa sabuleta procellis acta minarentur, quàm salum ipsum, Naturæ providentia, veluti fræno injecto, arenæ fluxum, ventorum ludibrio obnoxium, coercuit liberali proventu caricæ, ita voco durissimum acutissimumque scirporum genus, quod patria lingua Helmum nuncupat. Iam verò è medio caricum, sed præcipue vetularum, umbilico, rarò alibi foelicius, erumpit scapus iste, de quo sermo instituitur, spisso adversus calcantium viatorum injurias vallo defensus; haud aliter, quàm spinarum agmine rosa munitur. Huic istius germinis natalem primus apud nostrates, quod equidem sciam, superioribus annis observavit carrarius quidam, claudò incessu distortisque tibiis homo, Vulcani illius fabulosi non absimilis, dum frequenter studioseque, favente ejus conatibus.

De-

Delia, leporum, inter carecta stabulanium, venatui insistit, delatoque rei indicio jucundissimum mihi & Ioanni Gallo, haud postremi nominis Medico, spectaculum exhibuit, quod ego Naturæ miraculum sæpissimè postea cum sodalibus non illiteratis repetivi; quod ipsum cujusmodi sit, quàm possum clarissimè juxtà ac brevissimè explicabo. In medio acutarum caricum quod dixi, velut umbilico sub extrema arenæ superficiè massula invenitur alba, rotunda, pilam manuariam aut bulbum specie pariter & candore referens, cui nervus bisulcus, aut fibra gemina radicis loco subest, quo succum (uti arbitror) rapit: mucco ea lento, viscido, coacti jusculi cremorisve in modum spisso abundat, graviusque adeò, ut aquæ pondus superet, fusilis plumbi fermè adæquet: eodem adeò gelido, ut massa, volæ manus apposita (quam Pliniano vocabulo dixisse voluam non abs re licebit) penetrabilis frigoris sensum adferat. Ea ubi primum scrobe revellitur, pallidior est, mox paulatim purpurascit, intercurrentibus sparsim ceu venulis quibusdam sanguineis: à quo colore nonnihil evariat fibrarum magni lividi color, in concreti sanguinis nigrorem paulatim emoriens. At mucus, quem dixi, revulsa à terra volua citissimè liquitur ac diffluit:

quum & coles ipse non multò post flacces-
 cit : idem virosum usqueadco halitum efflat,
 ut vel totius cubiculi aërem sit saturaturus.
 Hæc volva mensibus autumnalibus citius
 tardiùsve pro diversa anni facie ac tempe-
 rie disrumpi vomicae instar diffindique solet :
 quo tempore rectius inde scapus colesve exilit,
 illæsa volva exemtilis, ac tum quidem scroti
 faciem propè mentitur turgida volvæ moles.
 Neque verò silentio involvendum est id, quod
 miraculi vicem implere posse, ne dicam su-
 perare, crediderim, quod nimirum scrobe
 revulsa massa, sive volva etiamnum inte-
 gra, καὶ ὁλόκληρη, priusquàm colem effude-
 rit, si fortè recondatur in penum, aut quem-
 vis etiam domus angulum seponatur, post
 exactum diei unius, atque alterius curriculum,
 in justam, suamque magnitudinem erectum
 scapum emittet : cujus rei documentum ab
 uno, atque altero indubitatae fidei homine
 quum accepißem, volui & ego periculum
 facere; Itaque abstrusis in penetrabile Musæi
 mei adytum binis ejusmodi volvis, oculatus
 ipse testis eorum fidem approbavi. Scapus
 materiâ fungosâ constat, rarâ, pluma leviorè,
 maculosus, cinerei propè coloris, foramine
 pervio rimosus, eoque lævi, ac velut dedolato,
 interiùs latiore, sub exitum arctiore, teres, ad
 duo-

duorum palmorum mensuram accedens. Sunt qui etiam dodrantes inveniisse se prædicant. Huic insistit non, uti fungo, petasus, sed galea aut capitellum, in figuram metæ propemodum fastigiatum, exemptile, cætera glandis virilis specie, nisi quod cancellata sit cute, quale elephanti traditur esse corium, vel qualis echinus, bovis ventriculus, cancellis rhombiformibus præditus, spectatur: ejusdem extimus vertex, rugis adstrictior, foramen habet, quo gravis expirat halitus, propterea à musci frequenter obsessus: id capitellum caulis est concolor; Vidi etiam sæpenumero, anteaquam hæc cuderem, atrum in caule prorsus niveo, sed senio id acceptum referri debebat, exoleto namque pro candido anthracinus mutatur color: interdum etiam è leucophæo virorem induit capitellum illud, qui non multò post in furcun abire. Hactenus germinis istius, ita ut volva, cole, & glandiformi capitulo constat, figuram utcunque delineavimus. Quamobrem verò nomen Phallo dederim, facilis explicatu ratio est, imò cuius obvia, qui vel à limine Græciam salutârît, Fecit hoc similitudo, quam habet cum coriaceo & ficulno veretro, quod in decantatis sacrorum mysteriis vanagentilitas circumferre solebat, hæc Phallagogia, illud Phallum
¶

& *Ithyphallum* indigitarat superstitione.
 Quid vetat autem novo in re nova uti vocabulo? quando & fungorum diversitas varia invenerit nomina, inter quos alii à spongiæ similitudine spongioli, alii ab ovi ac digiti specie ovati digitatiq̃ue appellentur: nonnulli etiam à coacta rotunditate prunali, spinutiq̃ue dicantur. Porro debeatne in fungorum classem adoptari noster iste *Phallus*, non aüssim temere velut pro comperto & explorato definire, nolens aliorum sententiæ doctiorum præjudicatum: certè materiæ raritas levitasq̃ue, & (quæ prima fungi origo est) terræ madentis acescens succus, unde gignitur, fungini eum esse generis testantur: tametsi *Striarum* ductus, qui nulli hic sunt, reclamant, qui tamen in fungis visuntur: nullum est hîc etiam petasi, pediculo coherentis, vestigiûm, quippe ubi capitulum, quod petasi vicem obtinet, innoxie demi possit: natalis insuper locus repugnat, siquidem nostrum istum germen sabuleta tantum, neque ea omnia nisi caricibus veteribus confisâ producunt: at fungos ferme uliginosa, rancida, situ squallida, & glandiferis radicibus vicinaloca gignere scriptores ex confesso prodiderunt. Hactenus prodideram, quum fortè Petri Matthioli, viri in re herbaria principis, epistolæ ad me missæ venerunt,

tunt, ab incomparabili doctrinæ, cum pari
humanitate conjunctæ, viro Ioanne Sambuco
Pannonio, quas dum percurro avidius, casu
incidi in mentionem Fungi Cervini, hæsi ilico-
ri novitate captus, ac præcepta ejusdem cum
meo argumenti spe legi cupidius, quam atten-
tius, quod primore facie ad nostrum nonnullis
in partibus accedere videretur, sed repetita
lectione, devoranti omnia pressius diversus à
nostro visus est: illum è genitali cervi semine,
dum maris impetum fugiendo frustratur foe-
mina, elapso (uti ait) nasci venatores sub
terra in roborariis perhibent: noster in colli-
bus arenariis sub extima arenæ superficie, in
carectis spissioribus, quæ propria leporum cu-
bilia sunt, erumpit: illum extimulando vene-
ris prolubio expeti ait: noster vehementiore
frigore libidinis incentivum prorsus extingue-
re posse judicabitur: ille globosa describitur
specie, tuberibus reliquis assimili: noster tereti
est: ille extima cute subnigra: noster maculo-
sa, cinerea. Non tamen abhorret, quod virilis
penis arrecti faciem in suis nonnullis represen-
tari autor ille scribit: sed quod hinc detectam
glandem, inde globulos, testium specie visos
edisserit, prorsus à nostro alienum est. Illud
coronidii loco libet addere, massulam illam,
sive voluam, ita ut caricibus enascitur aut
occu-

occulitur, vernaculo idiomate nuncupari à rotunda, quam præfert forma, ungers ei jeré, quod sonat Manium Dæmonūnce ova.

Splintero ab Hargen, ut suspicor.

EMerſi tandem è ſordibus Danicis, tanquam Cimmeriis quibuſdam tenebris, præteritæ noctis concubio, vir ornatiffime, qua de re certioſorem te quamprimum faciendum duxi, quod ex epistoſio famuli tui, ad uxorem ſcripto eam eſſe tuam voluntatem clarè intellexi: eramque rectà ad te iturus, niſi continuato noctes dieſque perpetuo itinere plùs juſto eſſem defatigatus, quippe qui novendio totum iter Haſnià huc uſque fuerim emenſus. Proinde volui extrahere tempus, & profectionem diſferre in diem Lunæ proximam, ut tecum agam coram, & cum D. Cobelio. Hoc tribus verbis ſignificatum volui, ne neſcius eſſes. Vale. Harlemo.

Splin-

Splintero ab Hergen .

UTinam fortunæ meæ ita ferrent, ut te, in Brabantiam abeuntem, prosequi liceret, ut rebus meis, iniquo loco positis, consulere apud ampliss. viros Cardin. Viglium, aliosque tuo adminiculo possem. Interim sicubi tua opera vicaria juvare me possis, in eo ne cesses, supplex te & obnixè obtestor. Si placet, repetes à Præside nostro ea Epigrammata. Superiore autumno describeram tuo jussu, ut in Brabantiam irent, nam ex ejus verbis accepi ea apud ipsum mansisse. Proterviam fecisse proterendo sua vitra nostrum Præsulem famâ te accepisse ne dubito quidem.

Iacobo à Warmonde .

Indicavit mihi Proprætor tuus parare te iter in Brabantiam, meique te habiturum rationem, quo tuo pro studio ingentes tibi habeo gratias. Sed quia obtinui à Pr. Auraico literas commendatorias, earum exemplum ad te mitto. Tu pro tuo in me studio, si dabitur ejus
con-

conveniundi facultas & occasio, mihi patrocinare, & voluntatem bene merendi declarâ: statui namque primo tempore utilissimum illud, maximæque frugis opus, Nomenclatorem Principis filio nuncupare. Vale raptim. Salutem ex me plurimam uxori tuæ. pridie Kal. Septembr. 1565.

Eidem.

Octiduum abfueram, Dne. observand. quum pridie Paschatis vespere exhibita fuit tua mihi schedula, ex cujus præscripto agam cum Plantino primis literis, quas hodie, aut summum cras missurus sum. Exierunt ab eo Emblemata mea, quæ nondum accepi, & Anastaurosis, sive Passio Christi, & simul Nonius Marcellus, quem per famulum tibi mitto. Vale, & Junium, ubi Princeps Auraicus venerit, tua opè adjuva. Harlema postridie Kal. Junias. 1565.

Petro Meerhoutano.

Valetudo mea afflictissima adhuc nutat, mortem sæpissime optavi inter

ter cruciatus lumborum & lateris lævi,
in quo apostematis manifesta se prodi-
derunt nudiustertius signa. Hodie sacra
Synaxi me munivi. Hieronymi syphar,
si præsens esses, videres. Confido tamen,
clementiam, ac bonitatem Dei, prolis
parvæ meique misertam, cum Ezechia
adjecturam esse aliquantum spatii vitæ.
Vale, nec de meo quidquam adventu
tibi pollicere. Phura nequeo, Libitinæ
peculio tantum non addictior. Pridie
Petri. 1570.

Petro Meerhoutano.

VEreor ad te quidquam triste scri-
bere, ne iterum Simonidea cantilena
tuis auribus affonet. Mussandus tamen
cruciatus non est, quem patior gravissi-
mum. Hesternæ nocte apostema intra
corpus exituram fecit, dolor nihilo inde
mitior. Præterita hac nocte rursus in
tumorem abijt apostema, sive abscessus
cum magna tentione ac cruciatu, ex quo
abstrusam puris copiam, si aperiatur,
post diem unum aut alterum sperat
Chirurgus: interim ego ringor, & onus
Ætna gravius sustineo. Juvenis, quem
mihi

mihi commendasti, oculus hac tempe-
state curationem non admittit, ob inu-
sitatam & inauditam hyemis sævitiam,
quæ ut nervis omnibus, ita præsertim
Opticis est inimicissima: Poterit tamen
securè ter quaterve in die dum se hyems
remiserit, oculo instillare duas aut tres
guttulas aquæ fœniculi tepidæ; nam
post alio Ophthalmico latice utendum
illi erit. Neque commode psorico un-
guento ante idem tempus uti potest, ob
astrictam altissimè humum, unde radices
peti debent. Dabo operam, volente ac
propitiante Deo, ut neutrobique spem
ejus fallam. De perdice magnam habeo
gratiam. Vale, pridie Matthiæ. Saluta
uxorem & amiculos.

Petro Meerhoutano. S. P.

HERI in prandio venit ad nos tuus
ille, qui te ait parum commodâ
frui valetudine, Chirurgo idem mihi
affirmante, lotiumque justo tinctius,
calorem quendâ innaturalem, ac febrili
non absolum loqui testante; quod
periculum ut meo exemplo, qui ma-
rasinum superiore anno effugi, Deo
duce,

duce , à te depellas , suadeo ut abstineas
à conditaneis illis cibis caporum , alia-
rumque carnum in diplomate decoctis
cum aromatum corollariis , quæ ut mihi
nunquam probari potuerunt, ita Medico
vestro nimis quàm familiaria, & penè
quotidiana (cùm pro refocillandis viri-
bus iis utatur) non possum non odisse
ac detestari : quin potius tu boni succi
cibis utere , haud conditis , non melan-
cholicis, cujusmodi sunt cervinæ carnes
& leporinæ ; quibus tamen stomacho
tuo adlubescantibus cibis vesci te li-
benter & cum voluptate intelligo. Ita-
que periculi cavendi causa, quod monui,
velim te ter in die scutellam sequentis
decocti bibere summo mane , à prandio
sub quartam , & rursus quum lectum
petis. Is potus talis est. Heminam aquæ
limpidæ accipito, & igni admotæ fufu-
ris manipulum injicito , aliquantulum
decoquito dum bulliat, deinde percolato
à fursurum reliquiis per lineū pannum.
Eam aquam misceto cum lactis ovilli ,
si haberi potest , aut vaccini sesquifexta-
rio , addantur semina quatuor frigida
majora, de singulis accipiendo drachmas
duas ; ea per familiares tuos à pelliculis
tuni-

tunicisve eximantur nudenturque ; addatur ad summam quarta pars dimidiatae libræ amygdalarum dulcium , similiter excorticatarum , & in pila minutim contusarum. Hunc probe concoquito , & utitor, ut dixi: mirum quàm faciet ad febrim illam occultam , & ad virium reparationem . Tuus ille , periculosa scabie totus , ut perlustravi , infectus , parum abest ab elephantico ; Certè si iudicio & examini subiceretur , ab ejusmodi tinctura vereor ut eximatur. Detractus est illi hodie sanguis ad uncias aliquot ; mirum quàm ater , turbidus , virulentus , •• omnibus pravis indiciis imbutus : denique ad quem morbum persanandum summa diligentia & industria , diætæque exacta opus erit præter exquisita pharmaca , quibus falsum illud phlegma perdometur atque expugnetur. Curabis, ut quamprimum per primum aurigam , huc venturum , illi mittatur toga ambulatoria , quam nocturnam vocant , perferaturque nusquam aliò , quàm ad ædes meas ; ita enim cavit ; possunt addi una , aut altera , aut plures subuculæ lineæ, quòd pluribus illi opus erit ad mutationes novationesque. Vale
&

& valetudinem accura. Salutem uxori,
Hadriano, & aliis. Harl. IIII Kal. Apr.

Petro Meerhotano.

SCripseram ad te nuper de juvene:
sed ob inopiam curruum, aut quia
priores abjerant, hæsisse epistolam opi-
nionem diutius intelligo. En mitto, uti
pollicitus fueram, Chirurgum meum
fideliss. & artis callentissimum, ut ille
oculi conditionem, quo in statu sit,
panúsne, an unguis, an quid sit aliud,
diligentius inspiciat & rimetur. Quòd
si res ita ferat, ut spes sit reliqua, nos
communicatis hodie & antea operis,
tutam & egregiam medendi rationem
excogitavimus, qua speramus, Deo
auctore ac duce, felicem successum.
Poterit interim quasi in secessum huc
venire, & in posteriore meo cubiculo,
peramplo quidem illo, apud me diver-
tere, communiq̃ue uti mensa, menstruo
spatio aut circiter, ut in præsentia quo-
tidie oculati testes, quid medicatio det
aut neget, esse possimus. Doloris autem
auctioris causam fuisse non dubito
constitutionem illam aëris autumnalem,

T

ven-

ventis Cauro & Borea sævioribus. Vitet
fumum & cibos fumosos, acres, salso-
& aromatibus conditos. Tu curabis
hunc meum ad illum vesperi adduci,
ut collustret omnia, accipiesque fruga-
liter & liberè, tanquam me, neque enim
fuci quidquam in illo pectore residet.
Vale, & cum uxore Juvenem, quem ad
bene sperandum hortaberis, saluta plu-
rimum. Harlemo. VII Kal. April. Salu-
tem omnibus ab uxore mea.

Petro Meerhoutano. S. P.

QUàm me malè habuerit jactatio illa
vehiculi ultro citroque, lumbis &
lieni perniciès, haud facilè commemo-
rârim, quòd domum reversus per biduum
triduùmve fomentis lumbifragium illud
mitigare fuerim coactus, sed me hujus
pigere non potest, si te commodiore
frui valetudine acceperim: qua curâ
antiquius mihi nihil, priùsve in amico
capite esse potest, aut debet. Curavi
confieri ophthalmicum remedium ad-
versus cataractam oculum hypodidascali
tui, hominis ut fidelissimi, ita nostri
amantissimi, obsidentem, quo utetur
ubi

utere odorem aliquo ; cujusmodi istud. Recipe nigellæ tostæ , cumini tostæ ana drach. unam & semis. cubebarum , caryophyllorum ana scrup. 1. Contusa includantur in sindone , aut samfucho , sive majoranâ , naribus admota. En tibi ophthalmicum illum laticem , quem modò à pharmacopœo accepi ; cum per aurigam misissem , nisi propter succussionem currûs metuissem naufragium. Itaque in reditum ejus , qui tuas mihi attulit , reponetur vitreum illud vasculum , quo latex continetur ; quod à pedite minore cum periculo portabitur : mittam & Comitissæ unguentum , quo lumbos illinas. De lotio nihil Hippoclidî curæ. Vale. Ipso Agnetis die. Mitto etiam librum , mihi creditum.

Eidem.

Lotium , quod mihi misisti , chariss. Petre , si quid ego judicare aut videre possum , nihil minus , quàm marasmodi loquitur ; sed potius redundantiam crudorum , contumacium , & Melancholicorum humorum ; usque adeò crassum est ,

est, & albidum, vel potius terreum
 sedimen, & quidem copiosum: adde &
 flatuum multitudinem, uti præfagit
 enæorema crassius, nubis in morem in-
 natans, quod fit, ubi humores, quos
 evacuatos oportebat, intus relinquuntur.
 Nihil verò te deterreat, aut ad despera-
 tionis scopulos adigat juvenis Medici
 hariolatio, qui contractum morbum è
 pauxillo vini usu conjectura augurari
 visus est. Unum est, ut existimo, quod
 illi hariolandi, simulque etiam halluci-
 nandi occasionem ac fiduciam suppedita-
 tisse, & nodi aliquantum Medico posse
 facessere videtur minùs provido: nimirum
 urinæ superficies oleosa & pinguis;
 quod ego existimo illum in fraudem
 potuisse illicere. Aliud autem est urinam
 esse oleosam universam, hoc est, quæ
 olei speciem repræsentet; talis namque
 & colliquationem pinguitudinis ingen-
 tem, & calorem adulterinum, id est,
 hecticum, & jam naturæ factum familia-
 rem, portendit. Atque istud imposuisse
 juveni autumo, Auctuarii, aliorumve
 lectioni temere nimis inhærenti. Aliud
 rursus est, si adipi aut oleo assimilis
 pinguedo supernatet, id quod tua urina

T 3

mihi

mihi exhibuit, & ad solos renes pertinet; ne nunc dicam, quòd *ἰλασῶδες* illud, si adsint alia signa salubria, *ἀνάληψιν*, qua propediem sanitas sit recuperanda, denunciat; aut certè, si contraria adsint & deteriora signa, quod haud existimo, morbi in longum extractionem. Quare animum confirmare te jubeo, neque solo securis unius invalidæ ictu sterni robur illud invictum tibi persuadeas volo. Id unum factò opus esse videtur, ut paulatim humorum pravorum & crudorum superstities reliquiae concoquantur, ex illo Hippocratis decreto. *Concocta medicari* &c. & ratio victus incidens instituat, quæ flatuosos, crassos, & melancholicos humores profligit, qui videntur tibi hypochondriacam (ut *ἀνχρόσιον* uno verbo dicam) melancholiam peperisse, quam cruditates cum flatibus consequuntur; adhæc turbulentiora & gravia somnia cum exili somno, aliisque id genus symptomata. Porro ut eximas tibi ipse scrupulum, an Marasimum incurreris, quem superiore anno, gratia superis, felici medicatione à me profligavi, jam tum in Orci peculium adoptatus, adscribam tibi ve-

luti

luti notis quibusdam congeriem omnem signorum, quæ requiruntur. * Marasmus est, ubi immodicè corpus exaruit, & consumptum est : Est autem iste cognitus perfacilis ex ingenti oculorū cavitare, velut in altiore foveam absconditorum ; Adest universi corporis squalor, vitali calore defecti, cutis circa frontem ariditas & tensio, temporum collapsus, palpebræ gravatæ sunt somno ex impotentia quadam vigilandi, ventris muscoli absumpti nulla repræsentant intestina aut viscera, pulsus adest tenuis, durus, debilis, & frequens, calor tangenti primum mitis, successu acer & mordax, neque tamen æger febricitare se sentit ob diutinam alterationem ; Deinde illud habet peculiare, quod à sumpto cibo calor semper augescit, pulsusque redditur & major, & concitator. Quod si plus dubitationis animo inhæserit, fac me primo quoque tempore certiore. Equidem ad te confestim advolavero Pegaseis alis, id quod perendino fortassis futurum est, si commoda fuerit aura ; neque certè comperendinarem, nisi rheumatismus solito gravior, vehementiorque me deterruisset ob periculi

* Marasmus.

T 4

me-

metum. Epistolæ pars, de qua tuis si-
 mentio, tota in . . . consumpta est, ut
 hîc nil sit opus recocta. Vale feliciter,
 & valetudinem accurâ, resumpto animo.
 Saluta uxorem humaniss. Ipso natali
 Servatoris nostri die, post insumptum
 fere pervigilio & solenni otio diem.

Petro Meerhoutano.

HERi amicus tuus, nec mihi ignotus
 tuas ad me attulit, multaquæ simul
 cum Secretario nostro, illius affine,
 collocutus sum variis, ut res fert, de
 rebus. Molestiam mihi auxerunt tuæ
 literæ, de probo illo juvene haud læta
 nunciantes: itaque meo nomine dic, ut
 cras, volente Deo, assumat sequentia
 catapotia. Recipe massæ pilularum
 aurearum, pilularum sine quibus ana-
 drach. semis. trochis. alhandal. gr. ij.
 cum aquâ salviæ. Fiant pilulæ no. vij.
 eas hora secunda post mediam noctem
 assumat. Mitto præterea aquam
 ophthalmicam, qua per initia utetur
 ter quaterve in die instillando guttulam
 unam, aut alteram. Ego vexationem
 currus ferre non pössum, ac ne aërem
 qui-

quidem hætenus admisi, neque ulceri adhuc obducta cicatrix est, corpus invalidum. Mittam die Martis, si com-
moda sit aura, aut summum die Mercurii Chirurgum meum, qui mihi loco dextræ est, & quo plurimum, imò semper utor in aliis, nedum ocularibus affectibus, qui accuratius oculum inspiciat, fideliterque renunci-
et, an cataractæ periculum, an panus, an suffusio, an quid aliud sit: tu illud vesperi eò adduci curabis. Potest catapotia illa reiterare post sex aut septem dies; si parum ducant alvum, potest adjici momentum ponderis, quod vim illorum acuat; sin' fortiora sint, detrahi aliquid potest. Vale. Harlemo. xi Kal. Aprileis.

Petro Forestio, Medico Delphenfi.

Salve plurimum D. Doctor. Ab eo tempore quo dudum ad te scripseram, invasit me recidiva morbi adeo extreme, ut deplorata jam valetudine desponderim prorsus animum, quum mihi cum tribus malis confligendum esset, Tenesmo, dysenteriae parente, ardore lotii cum dysuria, & inflammatione

T. 5.

scro-

scroti, quibus in summa macie validè repugnavi, subministrante Deo vires. Jamque duodecimus agitur dies, ex quo cedere morbus cœpit, laus Deo omnipotenti. Is morbus non carnibus modò nudavit, sed me omni pecunia ita exhaustit, ut penè ad incitas redactus sim. Itaque obtestor te, ut Receptorem nostrum cum hoc epistolio & syngrapha accedas, meæque necessitatis adinoneas, cui non dubito, quin opem sit laturus. Nihil hîc novarum rerum est, nisi quod Flissingæ motus nonnihil fuerit, sed ea res conquievit. Aveo scire, quid inaudieris de Jano Douza, Nordovici Domino, ecquid valeat: bis ad eum scripsi, sed responsi nihil tuli. * Perscribe nobis, num aggeres sint reparati, & an hostis Hagam Comititis reliquerit. Pecuniam poteris per socrum tuam mittere, vel per nautam priorem, si videbitur: arbitror tamen illam citiùs huc recursuram. Vale feliciter cum uxori modestissima, & D. Th. Neoburgo cognato. Salutabis & confratrem nostrum Med. & Weiniam Gerardi. Middelburgo. Nonis Decembr. 1574.

* Lugduni Batavorum hoc tempore in obsidione clausus tenebatur.

Hadr.

*Hadr. Iunius Harmanno Rusio,
Canonico Trajectensi, S. P.*

OCcursus tuus Amsterodami natali tuo solo inopinatus quidem ille, sed tamen auspicatus in ista exemplaris, quod nosti, tantopere desiderati raritate atque inopia commonefacit me atque extimulat, ut interpellam te de libello, cujus te copiam mihi facturum ultrò receparas, quod ut præstes fidei non irritus etiam atque etiam te rogo, beneficiumque bis te præstitisse putato, si præcisa mora longiore per tabellarium, qui has tibi tradit, miseris. Si qua in re vicissim gratificari tibi me posse putes, tuo jure impera, & optatum feres. Vale. Harlemo.

*Hadr. Iun. Ioachimo Hoppero,
Senatori Regio, S. D.*

IS, qui has à me tibi tradit, juris asylum Hoppere, necessarius meus & consanguinitatis jure junctissimus, qui que te, causæ suæ assertore, atque indubitato præsidio utitur, etsi nihil ambigat, quin

T 6

per

per le fatis tuæ fidei commendata fit fua
 cauffa : quia tamen putavit ponderis
 aliquid apud te habituras meas quoque
 literulas , me in cauffæ fuæ comperen-
 dinatione deprecatorem , ac Thefeum
 veluti quendam apud tuas aures adhi-
 bendum fibi exiftimavit . Ego certè
 confanguineo operam in re mihi nec
 inhonèfta , nec ingrata , vel eo nomine ,
 quòd faltem hac occasione mei apud te
 memoriam refricatum iri fperaverim ,
 non denegandam putavi . Itaque per
 Mufas communes , & prima amicitiae
~~πρῶτα φίλων~~ te etiam atque etiam
 oro , ut illi deeffe nolis , ne fpe fua
 falſus abeat , utq̃ue ſentiat momenti
 nonnihil habuiſſe rude iſtud , atque ob-
 ſtreperum ſcripti genus , tametſi autori-
 tatis ejuscemodi locum apud te ſumere
 deneget meæ tenuitatis conſcientia .
 Verboſiùs ad te ſcribere cùm pudor
 prohibet meus , tum negotiorũ tuorum
 magnitudo non patitur . Hoc tantũ
 addam , ut aliqua tibi conſtet meorum
 ſtudiorum ratio , me in Latinis auri-
 bus appendendo , neque hoc modo , ſed &
 integritati fuæ reſtituendo * Suida
 totum eſſe , commonſtrato locorum , unde

* Suidas.

de-

deprompta sint pleraque omnia, indicio,
ac mendis prorsum ~~reueis~~, ad millia ali-
quot inductis atque extritis. Vale præ-
sidium & decus nostrum. Raptim Har-
lemo. duodecimo Kalen. Martias.
anno 1561.

*Hadr. Iun. Ioanni Cauchio
Traiectensi.*

REDIT ad te jam postliminio tuus
Plinius, seriùs tamen paulò, quàm
condictum fuerat. In causâ fuit exclusa
gelu: commeatio nostrorum civium, aut
eorum, qui naviculariam faciunt, quibus
fidere possem. Quòd si apud te malæ
fidei insimuler, propterea quòd con-
ditionis terminum excefferim, excusa-
bit me Sparnwoudi famulus, qui, quia
dubiam metuebat profectiois aleam,
incertus peditine sibi iter carpendum
foret, an rhedâ posset isthuc pervehi,
veritus est in se recipere perferendi libri
munus. Neque certè onus illi addere
visum est, ut ingenuè dicam, quum
animum subiret difficultatis hujusce
cogitatio, ne viderer & improbus pari-
ter, & impudens; sperans interim de die

in diem inventurum me, qui soluto jam gelu istuc ad vos iret. Itaque comprehendinatio fraudi sit mihi, modò fides hominis, qui se per uxorem mihi approbavit, neutrius nostrum spem fallat. De Re Nummaria promissum à te breve rudimentum exspecto. Vale. Harlemon. undecimo Cal. Martias. anno 1561.

Hadr. Jun. Guilelmo Lindano.

Libros Panopliæ tuos in magnis meis occupationibus percurri, vir ornatiss. non sine admiratione, unde inexhaustum illud argumentorum pelagus, & autoritatum tantarum immensus gurgis inundârit tibi: certè lectis iis & eruditorem me redditum & ad pietatem alexipharmacis quibusdam instructiorem fateor. Librariorum errata in Latino quidem contextu non pauca deprehendi, sed infinito plura in Græcis autorum testimoniis: in quorum versione conatus sum semel atque iterum Aristarchum agere, & miniatas ceras parare (quod officii præstari tibi flagitâras) idque exemplo Dædali Virgiliani, sed toties cecidère manus, tandem-

demque & ab incepto destiti, conatus
 meos irritos ac supervacaneos expertus.
 Unum tamen atque alterum locum in-
 dicasse lubebit, si modò æquis feres au-
 ribus. fol. 65. *γνωστικὴν παράδοσιν*, quod
 est, traditionem, quæ Gnosticum ac
 Christianum efficit philosophum: ego
 clariùs sic posse reddi autumo; præ-
 ceptionem aut doctrinam qua animi im-
 buantur: nam paulò antè idem Clemens,
 Barnabæ verba recitaturus, dixerat,
*συνέστιρον γνωστικῆς παραδόσεως ἔχοντες ἀπα-
 ρτήμενον λόγον*. hoc est, clariùs traditio-
 nis, animis instillandæ, vestigium propo-
 nens inquit: quod eò spectare arbitror,
 ut, quæ animorum institutione proditur
 doctrina, ab ea, quæ fit scripto, dis-
 pescatur, ut quæ *τοῖς βιβήλοις* obscura
 sit illa præceptionis ratio. Idque eò
 libentiùs ita verti malim, ut consimili
 modo infaustum, ne dicam ominosum,
 Gnosticorum hæreticorum nomen (de
 quibus apud Irenæum & Tertullianum
 est) evitetur. fol. 83. *ἀπιδείξειν ὅτι αὐτὸ ὁ λόγος
 τὸ ἐκένων ἀξιόπιστος*. quod tu. Sed oratio-
 nis atque doctrinæ ipsorum demonstra-
 tionem esse, quòd ipsi fuere dignissimi
 quibus haberetur fides. Ego locum to-
 tum

tum ita reddiderim. Neque enim nostra patitur ratio, ut de virorum, à Deo afflatorum, doctrina quidquam ambigamus, quin illorum fides dictorum demonstrationis vicem obtineat, quavis sive ratiocinatrice, sive disceptatrice vi efficacior atque validior. Ibidem paulò post. *μέλλον δε εις ὄνομα φιλον παρῖςτωντες τὸ κήρυγμα.* Ego brevius ita. Aut certè nudi nominis angustiiis circumscribemus Evangelii prædicationem. Nolim tamen in his stomachum tuum acuere videri velle, aut stultè sapere, qui alieno in opere sim ingeniosus: absit. Audio Marii Victoris libros tres *ἀληθείας* nuper Lutetiæ excusos, in lucem exisse, cum Christianis aliquot poëtis, & ætate, & dicendi elegantia longè prioribus, quàm Juvencus, Arator, ejusque farinae alii, quos, tuo istorum librorum argumento abundè fortasse satisfacturos, Antverpiâ evocabis, si lubet, nisi etiam penes te nunc sint. Libet hoc loco subjicere verba Nicetæ Historici, haud scio an tibi lecti, saltem in Panopliâ tuâ præteriti. Is in Angelo Alexio Imper. Constantinopol. in hanc sententiam scribit. Propositâ quæstione, Christine
cor-

corpus post perceptionem incorruptibile sit , cujusmodi post resurrectionem fuit , an verò corruptibile , uti ante passionem ; alii dicebant incorruptibile esse : assumptionem namque divinorum mysteriorum esse confessionem quandam , sive testimoniū ac recordationem ejus , quòd nostram ob causam Dominus & mortem obierit , & revixerit : quod iisce verbis testatus est eximius Theologus Cyrillus. Item, quòd quancunque aliquis portinunculam acceperit, totum assumit ita, ut à Thoma contractatus fuit : quodque à resurrectione comeditur , veluti Joannes Chrysostomus hisce verbis confirmat . „ O rem „ stupendam , qui ad dextram patris assidet , inter manus nostras , qui peccatis „ obnoxii sumus atque involvimur , invenitur ! Rursus . Effloruit in lege , „ adolevit in prophetis , maturuit in „ cruce , estur à resurrectione . Præterea quòd aliud non sit , quàm corpus illud, quod mortem profligavit, vitæque nostræ auspiciū edidit : Sicut enim exiguum quid fermenti (quod ait Apostolus) universam massam sibi assimilât , atque in suam naturam transformât , ita

&

& Dei corpus illud, quod immortalitatem induit, in nostro existens corpore, totum in se commutat atque transsumit. Erant, qui adducebant & illa Eutychij (qui Ecclesiæ jubar quoddam præluxit) verba. Totum igitur atque universum sacrum illud corpus & pretiosum Domini sanguinem accipit, qui vel particulam horum assumpserit; distribuitur enim citra particulare discrimen in omnibus ratione commistionis, haud aliter quàm sigillum unum atque idem cunctas per se expressas effigies accipientibus impertit atque communicat, unum nihilominus manet etiam post elargitionem, neque deterius redditum, neque alteratum quidquam ab iis, quæ effigiem participant, numero licet superent: aut uti una atque eadem vox, à quopiam prolata, atque in aërem diffusa, & tota manet in eo, qui illam edidit, & in aëre existens tota omnium auribus allabitur atque insidet, nemine plùs minùsve ex iis, qui audiunt, accipiente, quàm alter quivis, imò tota existit individua, suisque partibus integra apud omnes, sint licet mille aut decuplo plures qui exaudierint, quum tamen

VOX

vox corpus sit,quippe non aliud existens
quàm aër ictus . Quapropter nemini
ambiguum esse debet , quin incorrupti-
bilis ille post mysticam sacrificii litatio-
nem sanctamque resurrectionem, & im-
mortalis ac sanctus vivificusq; Domini
sanguis, in exemplaria solida insertus
per sacrificiorum operationes , non mi-
nùs quàm prædicta exempla suas vires
& facultates imprimat , ac universus in
cunctis inveniatur . Græca subjiciam ,
ut versionis fidem tibi appendam atque
approbem, ac primo loco Cyrilli verba.
Ὁμολογίαν γὰρ ἵνα καὶ ἀνάμνησιν εἶναι ἔπρεβαν
τε καὶ ἀναβιώναι δι' ἡμᾶς τὸν κύριον τὸν ᾧ
ἴκον μυστηρίων μετέληψιν, &c. Reliqua
vide apud Nicetam . Tu pro tuo can-
dore operam nostram boni consule .
Vale . Harlemo pridie Idus Aprileis ,
anno 1561.

Arnoldo Cobelio Quaestori .

GRatissimas tuas mihi literas , gratio-
res honorariis muneribus , totidem
nimirum oneribus,reddidisti,ornatissime
Cobeli , quam tuam benignitatem
liberalitatemque Tulliana eloquentia
pro-

prosequendam quum norim, ingenii istius humilitate deterere metuo, Delphici oraculi memor, quod se quemque nosse admonet: certè ingentes eo nomine tibi gratias debere frateor, relaturus non reciprocis donis, sed gratitudine, tuis famulaturâ imperiis. Quod exactissimi tui judicii norma comprobari, nec doctis aliis displicuisse meorum Emblematum lectionem scribis, mirum quantopere gavisus fuerim, atque utinam etiam Card. Granvellani auribus tam non sit absona, quanquam eruditiora limatioraque illi debeantur. De Veriensis Principis rescripto ita res se habet: quod, quum olim deploratissimè ægrum invisissem, jussit me bene sperare, ubi primùm paulò foret confirmatior (nam viribus naturalibus indies accessionis aliquid fieri jactabant apud boni Principis nimium credulas aures Medici) mei rationem habiturum, rescriptoque meis necessitatibus consulturum. Qua spe tametsi lactari me vanâ scirem, nolui tamen periculi admonendo intempestivè stomachum illius irritare, ratus tantundem profuturum rescriptum, si mori contigisset, quàm si eo, (uti res erat)

erat) caruissem . Quòd verò liberali
 elogio , honestissimo virtutum tuarum
 præmio , etiam Vindicis causarum Pro-
 vincialium nomine mactatum te esse
 jusserint Reipub. nostræ * Ephori , tibi
 gaudeo , nobisque omnibus gratulor .
 Mitto tibi tres insignes Cancros , meo
 jussu modò decoctos , ne ex æstu in iti-
 nere intermorerentur . Tu munus le-
 vidense boni consule . Vale . Harlemo ,
 Junio mense . an. 1561 .

* Status Provinciæ nominantur .

Hadr. Iun. Petro Nannio .

Quotiescunque recurrit huc Beierus ,
 prima solet à te cura insurgere ,
 ecquid à Nannio meo sit literarum : si
 negat , hui , quàm repentè confidit ani-
 mus ; quàm totus jaceo : contrà si pro-
 mit , ridere videntur omnia , longèque
 alius nitor frontem serenat , ut simile
 quiddam cum Amore pati videar , qui ,
 spes ubi adest , περιτται ἀπιλπίσεις ἔτι καὶ
 περιρρυῖς , ut Alciphronis Lamia ludit .
 Ubi igitur animum mihi gliscere in hac
 coelibe vita mœsto velis , nunquā illum
 à literis tuis vacuum huc venire patiāris :
 fin

sin *μεροεισέτις* cum Bellerophonte
 mavis, velut indignum, cui literariæ tuæ
 copiae pateant, jam tum tacito tibi esse
 licebit, quod non existimo. Interim ne
 quid dissimulem, quod animum ferit,
 videris mihi levissimè ac desultoriè
 meam percurrisse epistolam, quando
 præcipuam ejus partem, quæ consi-
 lium tuum de patrociniis delectu
 ambit, silentio transmittis. Mallem
 te hîc verbosiores fuisse, quàm mul-
 tum operæ in gratulatione vana con-
 sumpsisse, quæ peregrinationem lon-
 ginquam, & ab animo alienam spectat.
 Minore equidem discrimine, aut va-
 letudinis dispendio hîc in otio literato
 vitæ cursû peragere quæssiverim potiùs,
 quàm in aulis incertas invidiosasque
 auras captare, & cum prostitutione
 aureæ libertatis, laboriosam molestia-
 rum messem facere, ejusce rei non in-
 expertus. Jocatus fui in Beierum de
 summa diligentia, in expediendo itinere
 adhibita, quum nullus Pegasus citiùs
 absolverit, quum tu decimo Kalendas
 scripsisse testeris, ille nono præsens hîc
 fuerit: verùm ille calami errorem excu-
 savit, qui totum octiduû hiatu suo vorâ-
 rit.

rit. Vale. Porro de incitamentis (nisi aurum illecebræ dicendæ sunt potius) quæ vos Rhetores ad fuscitandos resides ac sopitos ingeniorum igniculos comparata aspergere interdum soletis, nihil jam dico, aliàs oportunius disceptaturus. Vale iterum.

Hadr. Iun.

SCio te de libro, meæ fidei credito, valde fuisse sollicitum, sed neque minus ego de vita ἐν ἐνέχῃ ἀκμῆς posita: nam tempestas, quæ inmanis fuit, hanc moram attulit in reddendo. Proinde iram deprecor, eamque vi majori imputa,

Hadr. Iun. Illustrissimo Guilelmo Nassavio, Principi Aransino.

QUòd in id incubuerim, Illustrissime Princeps, eoque meas cogitationes converterim, ut filii tui, summæ spei pueri, ac per eum cæteræ juventutis, literis addictæ, studia adjuvarem, non dubito, quin genio id placuerit tuo. Nunc quia sacras, & Reipub. dicatas curas trahere, aut interpellare verear,

G

456 HADR. JUNII

si quid discessum paranti mihi, dum
Bredam iter converto, negotii impo-
nere placebit, non detrectabo subire.
Vale. Andoverpia. iiii Kal. Martias.
anno 1567.

Hadr. Iun. Georgio Fabricio.

QUM hodierna luce scriptas à te hu-
maniss. literas mihi ostendisset Pul-
mannus noster, avidè eas legi, eoq̃ue
magis, quòd luculentæ voluntatis erga
me tuæ testes, perhonorificam mei
mentionem facerent nullo meo priore
merito: quis autem nostram usque adeò
est corneus, quem non afficiat gloriolæ
cujusdam titillatio, præsertim ubi à
laudato viro laudari contigerit. Itaque
eam mihi legem impositam existimavi,
quæ Ἰὼν Ἰὼν ἀντιλατρώδῃ præcipit,
paria cum ignoto de facie, sed per
Musarum consortium jam olim notissi-
mo, magnisq̃ue locorū spatiis disiuncto,
facere cogitans, quamvis à laribus
Musisq̃ue meis procul absenti ac veluti
peregrinanti, animum quoque peregri-
nari contingat. Itaque ad preces tuas
sic habeto, me primo quoque tempore
sede-

desiderio tuo facturum satis in edendo
 * Mario Plotio cum Servii libello,
 typis olim invulgato, sed *aliq. novis*
 à meo exemplari dissidente. Emittentur
 & Eunapius, & Milesius Illustris, mea
 opera Latio donati, ubi primam decu-
 mani isti intestinorum motuum fluctus
 nonnihil resederint. Hæc ab homine,
 negotiis hîc involuto, boni consule,
 aliàs prolixius tecum acturo, si tuorum
 in album recipiendum putaris. Vale.
 Antverpia. iii Kal. Martias. 1567.

* Marius Plotius.

Petro Nannio.

CUr minus mutua literarum vicissi-
 tudine veterem inter nos amicitiam
 stabilire hætenus sategerimus, quid in
 causa fuerit, Nanni doctiss. conjectare
 nullus possum, certè per me non stetisse,
 Iovem lapidem sanctè dejerarem. De te
 quid suspicer, quidve statuam, animi
 pendeo: A me facilis explicatu est
 ratio, cui olim ex Anglia quaternæ ad
 te scriptæ fuerint literæ intra vertentis
 anni decursum, nihil interim responsi
 acceptum; propterea incerto semper
 V con-

contemne magis, an illud, an verò etiam brutum iræ tuæ fulmen inscienter meruisse me . . . Quo factum est, ut scribendum amplius mihi non existimarem, cum mutua accipiendi reddendique voluntas, quæ in amicitiae ratione spectanda est inprimis, non refrixisse, sed penitus intercisa à te videretur. Nunc tandem cogitanti mihi, atque animo revolventi peculiarem tibi, atque adeo innatam ad scribendum cunctationem, quam ægerrimè à te literarum aliquid elicitur, aut exsculpitur, accedente eodem & Beijeri tabellarii hortatu, qui tuo huic mori deprecator intercessit, cum certa tuæ in posterum tuæ diligentiae sponsione, visum fuit aleam denuo jacere meliori spe, difficillimo licet tempore, & negotiorum undis plenissimo, tam ab operis, quæ ædificantem distinent, quam à ludo, cui pistrino mancipare me coactus sum. Posthac enim frigebunt familiaria illa desidiæ patrocinia, notæque latebræ excusati, tabellarii inopia & perfidia, naufragium epistolæ non redditæ, maligna fides intercipientium, quæque alia his sunt germana. His pauculis libuit in campum
excire

excire cunctatorem . Tu vide etiam atque etiam, ut improbiorem cessationem flagelles , ne in mores abeat , officiique sui admonitam castiges . Ego vicissim dabo operam, ut in amicitiae significatione non impigrè respondeam . Vale literarum *διδάχ*, & Doct. Clementem Medicum Britannum, si tibi fortè notus est , virum longè integerrimum, & eruditionis omnis non minus quàm rei Medicæ columnen, & D. Langium, unicum modestiæ exemplar , & , ut puto, *ἡμεῖς* helluonem officiosè ex me salutato, unaque communes amicos notæ melioris, si qui sint . Harlemi. septimo Idus Januarias. anno 1551.

Marchioni Anglo, ut puto.

SUMMO fastidio secessus iste me afficit, ubi nimirum nihil in bonos mores, nihil in exemplum trahi potest ; ubi ambitio & fucosa amicitia omnem integritati viam interclusit, adempta cum sincero amico conferendi occasio, dubia & suspecta omnia, nulla de literis mentio illiteratæ fabulæ, insolentium juvenum procaces & præcipites ausus (lo-

quor de istis albæ gallinæ filiis) præsentē
 isthic Duce, cuncta seorsum deorsum-
 que agunt: absente illo rursus injucunda
 & tristis propemodum solitudo nos ob-
 fidet: ita utrinq; anceps est malum, illic
 contagione turpitudinis permoveor,
 hic ab atræ bilis incursum non leve peri-
 culum est. Itaque, ut semel dicam,
 istam aliquando servitutem si hoc nomi-
 ne dicenda venit, abrumpere decretum
 est. Hæc in sinum T. Cels. deponere
 placuit. Tu pro nativa effusissimaque
 tua benignitate, qua me tenuiter literis
 tinctum, ab amicitia tua non exclusisti,
 sed excepisti humanissime pariter, & fo-
 ves (nisi me ipse fallo) constantior,
 nostrum hoc quaecunque liberioris animi
 scriptum candidè, ut omnia, interpre-
 tator. Vale. Scriptæ Kynningalæ, non
 datæ postridie, quam *incæpit bisrons*
anni primordia Ianus, incerto nimirum
 eventu, quando sint tabellarium inven-
 turæ.

Episcopo.

A Liquis meos oculos obsedit fascinus
 arbitror, an objectum esse glaucoma
 meis

meis luminibus dixero , qui aut nihil penitus prospicio , aut alieniorem à me T. C. vultum diebus superioribus obtineri mihi sum visus. Quæ verò potuerit esse causa præter solitum interrupti alloqui familiarioris , quæ furiae , quæ intemperies humanitatis pristinae erga me vinculum soluissent , tacitus diu apud me expendi , multas enimvero ultro citroque causas coquebat, versabarque animus, nec quid rati statuerem, mihi que certò persuaderem , habebam , modo in negotia seria atque arduas occupationes, ut causam, rejicerem, vergebat sententia, modo inclinabat magis in adversam meam sortem , & infelicia sydera in crimen vocabam identidem , & cum adverso, & ineluctabili fato meo exostulare occœpi , quo ita mecum comparatum sit, ut impingere in quævis impedimenta , quàm evitare promptius sit : dumque ita meam sortem deploro atque incuso , splendida nescio quæ ingessit se suspicio , Tui fortasse diuturno jam tædio laboratur, alienis nunc moribus aliena in terra alienigenæ vivendum est tibi: mox ad mentem reversus, atqui inquam in liberaliter educatum , libera-

hūs edoctum, liberalissimè mari terra-
 que per omnia versatum pectus non
 cadit fucus, & simulatæ frontis tectō-
 rium. Sat antea diu ingenii liberi can-
 didi que fecisti periculum, generosum
 mare non patitur occultum cadaver, nec
 vera animi nobilitas aliud in se quicquā
 abstrusum patitur, quàm fronte pro-
 mittit primore. Aliud esse in causā
 necesse est, quod luto inhærentem facit
 moraturque, ac primum, inquam, omnes
 animi latebras diligenter excutito; mox
 examine quodam explora, non fecus
 atque olim Germani nothos foetus
 Rheni gurgite, aut Lydio lapide aurum
 solent Argentarii. Dum sic in varias par-
 tes ad quælibet momenta impellitur
 distractus animus, & nunc huc, nunc
 illuc alternant sententiæ, tandem meus
 mihi Genius, non libenter falsus, hanc
 talem animo cogitationem suggestit:
 heus tu, visus es nuper admodum expor-
 rectori præter morem fronte, & animo
 præter solitum magis aperto. Catonem
 planè exueras, ludebasque dieteriis mol-
 liùs; hinc illæ lachrymæ; hæc ista est
 Helena, quæ exigitur, hæc in tuum caput
 cuditur faba; fuerit nasutior, & de gente
 hir-

hircosa Centurionum aliquis , qui te apud Episcopum virulenta lingua traduxerit , temulentiaëque te insinulârit , nosti id esse quorundam malè feriatorum hominum studium, quamvis improbum & pessimè Rhetoricum , ut quiduis libenter amplificent , hoc est , ex humilium Olympum producant, & (vulgò quod dici solet) pro crepitu tonitruum ingerant ; aut invidentiæ agitated stimulus quispiam in id sedulo incubuerit , ut odiosum te redderet , eaque de causa ex omnibus unum te aquilinis, aut etiam Lamiaë instar emissitiis oculis observet , sicubi impingas . Rursus subibat hæc cogitatio. Quid ? an protinus cujuscunque suggestioni , quæ aut invidiâ, aut malevolentia nasci potuit, patulas aures præbituram Episcopi prudentiam existimas ? absit , toto erras cælo, longus & multiplex rerum usus prudentiam parit : æquis verò rerum peritiâ variâ lectione, variâque apud omnigenas nationes peregrinatione majorem, quàm ille, consecutus est. Quid porro in rerum humanarum rationibus frequentius usuvenit, quàm suggestores isti & vitilitigatores (ut eleganter Cato dicere solebat) aliorum

rum traducant vitam? An ad istorum Syrenia dicta non occalluisse dudum obstruxisseque aures illum censes? Quare temere tale quid opinari desine. Hic tum validiori ariete concussus animus vacillare coepit, atque adeo nutare, postquam ita suggestit Genius. Atqui fieri potest, ut asseveratione constanti, & serio frontis adnata probabilis accusatio videatur. Quid multa? succubuit variis ultrò citroque discursantibus cogitationibus victus animus, fessosque sopor obruit artus. Discussio jam somno, & curarum fasce jam liber; sic apud me. Finge jam coram Episcopo versari te, causæ tuæ patrocinio successurum, quid ages, in quas te formas vertes, quâ elaberis? Itan' verò, hesternam omnem cogitationem liberè tutis auribus deponam, judicis illo munus gerente ac serenâ fronte excipiente deinde, ubi omnia illa ordine enarravero, addam & ista. Demus porro vera retulisse accusatorem meum, quod tamen convincet nunquam, demus ebrium fuisse me; ecquid tam ingens piaculum, quod ne vel maximo quidem expiari queat moliminis apparatu, commissum est? Atqui Seneca,

Phi.

Philosophorum facile sapientissimus, nonnunquam ad ebrietatem usque veniendum suadet non dissimulanter, non ut mergat nos (inquiens) sed ut deprimat curas. Summus Avicenna Medicum & Philosophum in hac parte agens, magnum ad omnia emolumentum adferre censet, si semul atque iterum in mense admittatur ebrietas. Quin & Catonis virtus mero fertur incaluisse, juxta Flaccum, Sed audi, Minerva olim liberius per apertos pratorum recessus, perque frondosa nemora vagabatur, forte dum incautiùs excurrit, in casses incidit, quos tetenderant fallax illi Venus, & lascivus Bacchus, atque ita inextricabilibus sinuosi verriculi nodis implicita, unde nullus patebat exitus, memorabili exemplo docuit, sapientiam quantamcunque pellacium voluptatum retibus, blandientisque vini illecebris involvi posse. Quid de me misello homunculo, cujus in animo vi: tenuis sapientiæ scintilla insedit, statuendum erit, si ipsa se Diva involvi passa est retium plagis? Adde huc, quod sint sui in ebrietate gradus, nec nisi peccati Finitione metantur ebrietatem Veteres. Liber ipse

Pater apud Eubulum Poëtam tres se crateras sanæ mentis hominibus infundere dicit , primum sanitatis , alterum hilaritatis , tertium somni , ulterius si quid accedat , probri id esse & luxuriæ. En verò quàm luculenter , quàm appositè gradus κλιμακῶν sui muneris & dotes enumerat Bacchus! Quis porro aptius & melius rem omnem definiet , quàm ille , qui suū ipse dispensat sedulò munus , seque ipse quàm optimè novit. Primum enim , quæ major virtus , aut saltem quod majus ad virtutem instrumentum esse potest , quàm si bonâ fruamur valetudine , ubi & corpus & anima vigeat? Deinde , quid ad ingenii promovendam alacritatem animique restorationem accommodatius , quàm sopitis curis animo esse erecto , qua parte propè censemur homines , nusquam dejecto? Postremo , quid ad conservandum & animæ & corporis robur utilius Somno? Atque hætenus quidē à virtutis proximâ viâ non deflectitur , nec certos , quos præscribit , fines prætergreditur. Sin & rationis vim nimio obruas mero , & corporis vires frangas , hîc in vitium laberis præceps , relicto virtutis calle ,
ibi-

ibi que , si velut ad Syrenæos obhæreas scopulos , non hominis , sed belluarum aut si quid his etiam immanius est atque à ratione adhorrentius , vitam degis. Propterea, ubi modum aureum transcendis (admonet Bacchus) statim in probra & luxuriæ incentiva incidēs ; id quod omnibus sanam mentem habentibus , admonet fugiendū remis velisque. Veruntamen verborum fatis : Proinde ego si quid deliqui, si T. C. stomachum imprudens proritaverim , saltem fastidium ne accedat obsecro . Agnosco culpam & deprecor , erratum à me fateor, sed ita ut sarciri possit, sed ita ut poenitentiae non præclusus sit locus : ne frontis nubila experiar in posterum supplex oro atque obtestor ; si tandem justæ iræ satis litatum est , ne mihi inexorabilis perpetuò sis , quæso. T. C. me emundatum pro sua bonitate habebit , cor contritum & poenitens non despicias. Acolastum filium, jam facti poenitentia ductum, non dedignatus est obviis ulnis Pater , & ille, qui solvendo non erat, plus quàm animam debens , ab hero Rege veniam promeretur. Proinde & me in gratiam accipiet T. C.

non dubito ; non potes non misereri ,
 non potes non etiam delicti oblivisci ,
 non potes non veniam dare , statues in
 animo tuo præteritorum *æpynsian* , in
 Atheniensium Repub. tantopere decan-
 tatam : eo pacto ad omnia alacriorem , &
 in studia assurgere me facies. Vale Me-
 coenas optime , & clientem tuum in
 gratiam confirma.

Magistratui Harlemensi, ut pato.

Observandiff. Domini, postquam vi-
 deo cuncta pessum ire , gravissima-
 que civitatem nostram obsidione clau-
 sam circumfideri, ita ut parum spei, aut
 adeò nihil superesse augurer, ad vos ceu
 extremam anchoram confugiens , roga-
 tos vos velim devotissimè , ut mihi, qui
 incertis sedibus circumquaque errabun-
 dus vagor, curam aliquantam impen-
 datis , quò commendatione vestrà apud
 Ill. Comitem Boss. ædibus Junii parca-
 tur, si expugnationi subijci civitatem
 contingat, id quod anxius animus for-
 midat, quod tamen omen Deus avertat,
 ne uxor cum liberis hostili furori obji-
 ciatur, & ne bibliotheca mea cum scri-
 nio

nio scriptorum meorum, barbariæ hominum exposita violetur, aut dissipetur. Id vos D. per consuetudinis veteris jura, per Musarum sacra obsecratos velim, & lachrymis obtestatos. Valete, & Junii miseremini. Hæc raptim ex agro suburbanò Hagæ scripsi in omnem eventum, à pecuniis inops, & à Musis exul, postrema mei mensis.

Antonio Perenotto Cardinali.

ET si sacra tuas curas interpellare animus reformidet, Cardinalis Illustrissime, non dubito tamen quin clientis tui causam, & quidem æquam, æquis sis auribus admissurus, quam ad rem erigit, & confirmat me secunda quædam solitæ tuæ benignitatis, ac clementiæ aura. Quare ne per ambages morer gravissimas tuas occupationes, tribus verbis aperiam quicquid id sit. H. I. tunc Angliæ inquilenus, Lexicon, à me locupletatum, in lucem olim emisi cum nuncupatoria ad Eduardum tunc Regem, cum titulo illo operoso, quem sibi arrogabat, quem truncare, aut, quod in nummis fit, accidere ob promulgatum eam ad rem

edictum Regium sine manifesto capitis periculo non potui. Hanc occasionem nactus calumniator quispiam, nominis mei hostis, in damnatorum auctorum catalogum nomen meum adscriptum redegit, sive ut in eos rejiceret scopulos, ubi certum famæ naufragium faciendum mihi esset, sive ut periculum capitis fortunarum, quæ olim crearet, sive ut quâdam proscriptionis lege contractioribus regionum (in quibus nomē meum & libri innotuerant) finibus arctaret, atque obseptum me teneret. Eam ob rē hortatu atque adeo impulsu doctissimi pientissimi quæ viri D. Benedicti Ariæ Montani ad Pont. Max. purgatoriam mei epistolam scripsi, qua declaravi, me à communi Orthodoxorum persuasionē, religione veteri, Pontificis in Ecclesias jure nusquam diversum discessisse, multo minùs oppugnatum ivisse, non alia de causâ quàm ut nomen meum ex albo Pontificio induceretur, eximeretur quæ. Nunc tuam ad opem Ill. Card. ceu ad aram me refero, obtestaturus, ut absentis rationem habere, ac è Pont. animo scrupulum de me istum tollere digneris, quò integritas mea in tuto statuatur, & quo

quo nominis tui claritudo (cui cùm Animadversorum libros olim dedicavi, tum gratulatorium carmen jam Caufiato tradendū manu Domini ab Oosterwijck curavi, quique passim in libris meis legeris) latissimè quaquaversum cognoscatur, legaturque. Hac ratione clientis tui rebus ac nomini existimationique melius consulere non poteris. Vale Card. Illustrissime, & me, in fidem tuam, ac clientelam quondam receptum, tueri perge.

Ex Indice librorum prohibitorum.

HAdriani Junii, nempe Medici, titulus præfationi præfixus in nonnullis exemplaribus Lexici Græcolatini, eo titulo excepto, cætera ejus opera legi possunt, quòd nihil contra sanam doctrinam habeant & auctorem ipsum conflet catholicam fidem profiteri.

Petro Meerhoutano.

Literis tuus ad Blondelium nudius-tertius lectis, mi Meerhoutane, de captivitate Matthiæ, collegæ mei, commotus fui non mediocriter, atque indolui

dolui ejus vicem, qui pro opimo munere, quod illi expectandum erat, jacturam præsentem incurrit. Certè indignus est (meo quidem judicio) qui tam adversam sibi fortunâ experiretur; quem ego obsidionis nostræ tempore gnavum, ac diligentem in tuendâ civitate vidisse mihi videor. Sed quum ille publicè ad virum Principem, quamvis perduellem judicatum, accitus iret, ut Medici fungeretur munere, non mihi videtur exagitandum acerbius factum ejus istud, aut expendendum, qui, ut egrotanti opem adferret, iter suscepit, non uti Reipub. obesset, aut incommodaret. Medico accessus patet per excubias militares, quæ à præsidiariâ militiâ nihil discrepant. Est enim illi cum morbo, Naturæ hoste, institutum certamen, haud cum armatis. Neque verò debet illi fraudi esse quod socerum habeat, diversæ parti addictum. Habes judicium de homine cui bene esse cupio, & quem iniquum videtur ferre infortunium, qui facere officium studuit, nec ab honesto discessit. Quòd si iter ingressus fuisset eo consilio, ut hosti judicato modum, ac viam effugii commensura-

straret, aut cum eo confilia, in Reipub. fraudem confuta, communicaret, aut si simile maleficium in animo habuisset meditaturn, nullum mihi verbum pro eo, licet animo, faciendum existimarem. Itaque majorem in modum te rogo, ut ejus patrociniurn meo nomine instituas, meæque operæ (quando præsens isti rei interesse, & amico opitulari nequeo) vicariam fidem tibi delego. Vale, & uxori, Ioanni Thomæ, aliisque, nostri studiosis, meo nomine plurimam salutem. Pridie Idus Februarij.

Maximiliano, Comiti à Bossa.

NUPER à discessu repentino Pharmacopœi Maeckalij, qui opinione citius, haud scio qua de causa, Middelburgò à nobis se subduxerat, vicem meam graviter indolui, cui non licuerit T. C. literis familiaribus salutare; nam calamitatis publicæ tempestate involutam, jactatamque consolari si instituero ipse, exilio obnoxius, Herodem gregarius, rem, planè absurdam, nec à solœcismo alienâ, commissurus mihi videor, ut calumniæ, invidiæque occasionem erep-

creptum veniam, dum pacificationi locum spes haud denegat. Unum est, quod me vetus erga T. C. observantia, & justa querela, à liberali tuo genio non abhorrens, me cogit etiam invitum flagitare à viro Principe, uti per otium dignetur cogitatione apud se revolvere, quo loco aut quem penes libraria mea supellex (quam pro donativo cessisse intelligo) manserit, quòd illa publicæ utilitati comparata semper fuerit; id si C. T. ubi maximè opportunum fuerit, non dedignabitur clienti suo aperire, indiciumque facere, rem, excelsò tuo Genio dignam, præstabis. Nam ut restitutionem procures, aut commendes (quod ipsum in tua manu est) urgere, atque sollicitè exposcere tam à mea modestia alienum est, quàm T. C. facile. Interim ut æquitatem, animique illam constantiam, quam multorum sermonibus accepi, conservet, augeatque Deus Opt. Max. precor, & clientis sui ne sit immemor. Middelb. vi Kal. Aprilis.

Lu-

Ludovico Boisoto, Maris Præfecto.

CAusam affinis istius mei naucleri, quam mudè, & tribus verbis præsens T. D. hodie detexi, ut amat veritatis aperta, & simplex esse oratio, porro tuæ fidei & æquitati commendo. Juvenis est probus, integræque fidei, cui vel injurato credas: is sacrosanctè dejerabit, bona fide egisse omnia, frumenti quicquid in navi est, in Flielandiam & vicinam Thessaliam insulas deportaturum fuisse. Nam quòd causantur isti, qui vulturinis faucibus prædæ inhiant, in literis publicis, quæ solent commeatus nomine dari, non factam esse Illustriss. Pr. mentionem, id mori, & consuetudini insulæ adscribendum est, quippe cujus primores antiquum obtinent, nihilque de consueto mutant, stylum vertere ignari. De cætero fidem meam pro affine libens opposuero. Dabit hoc mihi T. D. ut affinis sentiat, apud te meam commendationem ponderis aliquid habuisse. Middelburgo. pridie Non. Julias.

Da-

Danieli Rogerio.

Vetus est, ex ungue leonis molem metiri, Rogeri doctiss. at ego ex uno, atque altero carmine, cuius legendi copiam mihi potestatemque fecit clariss. Janus Douza, ingenium tuum in numero posuit, ita perspexi, ut ad tui cognitionem prorsus fuerim inflammatus, eamque ambitu quodam, & quasi precario expetendam duxerim. Solus obstitit pudor, qui me ab eo studio tantisper revocavit, donec Calouardus tuus, imò jam noster, juvenis singulari candore, & senili prudentia præditus, proxenetæ vice functurus, animum mihi & fiduciam addidit ad te tribus verbis interpellandum, atque admonendum de Oda, nescio qua mihi destinata. Ad si verum est (penes illum fidei periculum esto) provocabis non invitum, sed cum Entello viribus languescentem; qui tametsi non æquum Martem ciebit, simulachro saltem pugnae tibi respondebit. Vale Musarum delitium Rogeri, & nos amare incipe. Middelbur. x. Kal. Febr. Exaratis literis pro appendice adscri-

scribi iussit Calouardus , Gallum qui in comitatu erat Vidamii, significasse datis ad te literis, epistolam, mihi inscriptam , se bona fide tradidisse ; quod tam verum est , quam noctu solem nucis putamine inclusum abscondi, quum ne vestigium quidem literarum à te viderim unquam vel per somnium , nisi Junio alicui, mei nominis æmulo , aut cognomini reddiderit: ne obstinato consilio silentium tenuisse, distulisseque me existimes : quod in meam non cadit facilitatem . Iterum Vale .

Gerardo Valkenburgio .

Qui te, toto quinquennio non visum, terrarum angulus tenuerit hætemus, non ecastor magis scio , doctiss. Falkenburgi, quàm si apud Nasamonas ævum degeris , aut in Scytharum solitudines concesseris . Unum illud constabat, te CL. V. Redingero contubernalem, & quò ille cunque choragium suum circumferat, eòdem te sequi & demigrare , sed in Silesiæne genitale solum , an aliò quoquam in Germaniam sedem, ac domicilium transtulisse potuerit,

rit ille, in dubitationem cadebat. Hanc animi incerti fluctuationem repressit tandem suis literis Ioan. Baerdwicus, è quibus videor mihi intelligere, vos Coloniam Agrippinam sedem legisse, quod felix faustumque sit utrique vestrum, gaudeoque mihi propitiam aliquantò viciniam, ut ad literarium certamen in arenam descendamus, non ad palum decertaturi, non armis digladiaturi, sed nmbratili exercitatione calamis concursuri; quod pugnae genus nec abhorreo, impar licet viribus, quæ senio effoetæ sunt, & exoleverunt, & præterea etiam morbo, qui me graviter afflixit totum semestrem, penè enectus sum, quod aëri graviori, Zelandiæ peculiari, plerique adscribunt, idque ita esse, meo periculo sum expertus & etiamnum experior. Nihil tui apud me est præter epistolam illam, eruditionis plenam, quæ Nonno præfixa legitur. Si quid à te aliud emanarit, communicabis candidè, meque tuo Mecœnati Redingero, mihi solo nomine nunc antea cognito, nunc à Baertwico, non fuco, sed vivis coloribus depicto, de nota meliore commendabis. Vale vir doctiss. & Juniū tuū ama.

Tho.

Thoma Redingero Silesis. S. P.

Scribendi ad te occasionem, ceu fenestram quandam, clariss. heros, aperuit mihi Baerdwicus noster, scriptis ad me binis eodem argumento, ut ait, literis, quarum postremæ, Semptembri mense dictatæ, sub natalem Domini fuerunt redditæ, non sine magno animi mei vulnere, quòd priores, locupletius scriptæ, malæ fidei tabellario traditæ, uti ipse testatur, plura suggesturæ fuerant. Eæ pudorem quendam timidum, indolimeæ familiarem, nonnihil deterferunt, ut gloriosum mihi futurum sim ominatus, si te virum, eruditione magnum, Musarum hospitem, bibliothecæ insignis accuratum opiparumque structorem, & alterum quendam Lucullum, cujus ædes *μυσῶν καὶ τῶν γράφων* audiebant, si Plutarcho credemus, prior compellarē, præsertim quum mirificum quoddam tuum erga me studiū ille prædicet, ita ut in Seriphiam ranam commutari me potius optārim, quàm si tacitus silentio transmittam honorificum tuum de me iudicium; adde invitamentum mei altronem ad fami-

familiaritatē animorumque conjunctio-
nem, augendumque mutuum amicorum
album, & alia, quæ non levia, aut ingrata
attexit, ad quæ concilianda ducem se,
ac veluti paranympum ostendit Baerd-
wicus, non adhortationis celeusmate
tantum, sed fiduciæ quoque calcaribus
adurgens, atque impellens. Itaque ac-
quiescens salubri consilio, auspice ad hoc
usus die, qui perpetuitatis argumento
anni unius calcem cum alterius initio
committit, quique à Tatio, Sabinorum
Rege, Strenuæ Deæ, missitandisque
strenis olim dicatus fuit, non invitus
auspicatio amicitiae vinculo conjungi
tibi ambio, à qua ut ne excludar post
injectam mihi ejus spem, rogo, & ne
indignus habear, ~~etiam dānīgātō~~ adnitar
pro virili. Acrostichidem in Casimiri
nuptias, quam te desiderare idem scribit,
etli rudem atque illimatam, mitto cum
altera ad te. Mirum verò & hætenus
inauditum mihi addit de calamitate
honorarii, mihi tum temporis parati;
id si verum est, mea non possum non
incusare fata, quando metus mortis in
peregrino solo conceptæ, illic intra vi-
talia febri maturare in patriam reditum
fugæ

fugæ similem coëgit, ita ut carmen, tunc descriptum à filio melioribus characteribus, tradendi consilium præ animi ex morbo moerore abjecerim; exemplum tamen ejus informe alii, nescio cui, tradidisse memini. Istud fatale meum infortunium in mea ad te Acrostichide delibavi. Sed nimius sum isthic. Novi hîc nihil est, nisi quod Legati huc venerint pacis conciliatores, quæ secunda optanda quàm speranda magis est. Morbo gravissimo & diuturno implicitus fui hætenus, à quo hodie egressionem ad Principem tentare constitui. Vale clariss. heros.

Ioanni e Antonio Baerovico.

Litteras tuas, mense Septembri scriptas accepi sub natalem Domini, cum multis nominibus mihi gratas, tum quod auspices & conciliatrices ineundæ cum CL. V. Redingero cognitionis atque amicitiae fuerint, unâ in re graves tamen & tædiosas, quod nunciarent te disertius, prolixiusque in prioribus, quarum ne umbram quidem videre licuit, de illo egisse, quo significabas illic absolutius

X

justis-

justisq; coloribus virum depinxisse, hæc
 verò monochromatio adumbrasse tan-
 tum. Sed ut hoc nomine plurimum tibi
 & ex animo debere agnosco, ita miris
 modis pupugit, imò sauciavit quoque
 animum commemoratio illa, ne dicam,
 exprobratio adversariæ fortunæ, quam
 insidiatricem mea sustinuit Acrostichis,
 scripta quidem, sed non exhibita Cafi-
 mro, ob intempestivum vehementis
 febris impetum, quam maturato abitu
 Coloniae ita excussi, ut penè evanuerit.
 Nova, quæ adscribis, placuere, sed
 utinam attexuisses & ea, quæ prioribus
 perscripseras? neque verò ingratum
 mihi fuerit, si exemplar quoque ipsum
 prioris epistolæ per otium submiseris,
 præsertim ubi locum illum de Redin-
 gero locupletatiùs pertractatum à te
 scribis. En tibi Acrostichidem stronæ
 loco. Vale. pridie Kal. Januar. Midd.

*Baldvino Ronssæo, Medico Gon-
 dano. S. P.*

EXpostulandi mecum ansam arripere
 videris, Ronssæe suaviss. sed opinio-
 nis in eo falsus, quod tui oblivionem
 in-

Induisse credor, quum non omnem penitus memoriam mihi, ut olim Messalæ, deleverint extinxerintque morbi, sed labefactârint tamen, ut in ancipiti vitæ discrimine positus à quinis amplius mensibus vix libros inspexerim, à lectione ferme abhorrerim, quippe qui vix tandem in publicum prodire attentârim ante novi anni initialem diem. Itaque de reconventionem, quam meditaris, altum tibi silentium non impero, sed cogitandum relinquo. Satyram in Hisp. ut longiorem, quàm quæ uno die intercuras & negotia describi queat, proximis literis expectabis. Leporẽ tuum remitto eum nonnullis meis, non tamen Aristarchicis, notulis, ut cum enarrationibus tuis prelum inoffensior subeat. Doleo vicem uxoris Balleotii, communis amici, cui gravitas illa auditûs molesta non extra causam esse poterit. Balleotum isthîc brevî adfuturû audio, cui plurimam ex me salutem, sed ante cæteros uxori tuæ longẽ humanissimæ annuntiabis. At quod me comitem in Germaniam flagitas, aut ambis potius, cogitationem illam à te deponas velim, nam, ut scias, testudineus è volucris, & à

484 HADR. JUNII

Vulcanio non alienus mihi gradus est
redditus, cum ex morbis & ferro, tum
præcipue ex ulcere lateris cavernoso.
Vale Medicinæ decus incomparabile.
Middelburgo. xiii Kal. Februar. 1575.

*Iacobo Musio ab Holy, Ill. Prin-
cipi à consiliis,*

Salve plurimum mi Musi

STans pede in uno hæc scripsi, quod
minister tuus festinaret. Nomisma è
charta crassiore, quàm libri muniuntur,
Lugduni Batavorum elegantibus typis
excusum modo vidi, cuius in altero la-
tere erant insignia urbis Leydenfis cum
inscriptione hæc, *Godt behoedt Ley-
den*; ab altero, *Hæc libertatis ergo*
cum Leone, hastæ in extremo præ-
ferente pileum libertatis. Scribit Præ-
tor Leydenfis rumorem illuc esse alla-
rum de Northollandis aditum suffosso
aggere in lacum Harlemensem paranti-
bus, ut hostem comitatu excludant.
Tua absentia mihi perquam incommo-
dè accidit ob remoram instituto nostro
injectam. Si posset, capto Middelbur-
go,

go, quâ in spe jam proximâ versamur, domus mihi commoda impetrari cum stipendio honorario, Medico digno Ill. Principis beneficio, ego me lubenter accommodarem ei negotio. Tu, si quid potes (potes autem plurimum) eam in rem enitere. Mitto tibi Encomium de Muscis illis, quas Ill. Princeps elogio designarat, uti nosti. Uxor Casembrotij peperit filium, & uxor tua susceptura, in edibus iis, in quas ipso puerperii die commigravit hinc feliciter satis. Hostis undique molitur aliquid, ut exitu com-
meatus, qui ad præsidia, aliaque externa oppida exportatur, Delphenses exclu-
dat, obsessis undequaque fermè itineri-
bus; sed spei irritus. Uxorem tuam li-
benter excepissemus, invitata non se-
mel: sed actum egimus. Vale, & me
ama. Salutat te tota familia cum Douza.
Raptim x. Kal. Ianuar. absque exem-
plo, properante calamo. 1573.

Tibi deditiss.

H A D R. J U N I U S. Med.

X 3

Iaco.

Iacobo Musio ab Holy, Ill. Principi à consiliis.

S.P. **A**Ccepi modò tuas Dordracò allatas literas, postridie Kal. scriptas, quibus è vestigio respondendum mihi putavi, quòd commodum tabellarium opportunè nactus essem, Præto-rem Waterlandiæ, cui ad Principem faciendum erat iter, tantoque magis, ut hæ comites essent literarum, quæ Hòrna allatæ mihi fuerant eo consilio, ut certius tibi apud me diversanti traderentur. Gratum non soli mihi fuit, quod de Middelburgi augustiis, quæ procul dubio deditiõnem celerabunt, scribis: neque gratum minùs fuit, quod negotium, de quo scripseram, curæ tibi fore significas. Sed quia video, nugis nostris inter serias aurium occupationes locum etiam esse apud te, non piguit hîc appo- nere Epigramma ad Belgas in Albani successorem, quem Vulpi compono, ut illum Lupo veriùs, quam Leoni, quod quidam fecerunt; quum Leoninum ingenium nusquam ostenderit, ut equidem existimo. Vale. Salutant te Douza
no-

noſter , & familia omnis . Raptim. vii
Id. Januar. 1574.

Dente minax rabieque Lupus, direptor ovili,
Cujus ſævitia & vi metuenda fuit,
Ecce abit: huic aſtu atq; dolis exercita Vulpes
Succedit,* ventris pondere & ore potens.
Hic lingua oſtentat pacem, mente occulit arma
Exitio, ille prior quæ manifeſta tulit.
Hunc, quod tectior eſt hoſtis, tibi Belga caveto:
Sunt cæca æquoreæ ſaxa timenda rati.
Occultum virus lethale eſt, plagaque cæca,
Quam ſerpens multo gramine tecta facit.
Qui bellum involvit ſpecioſo nomine pacis,
Id facit, ut lædat cauſa retruſa magni.

* Eſt enim ventricofus, pingui aqualiculo Theoderici Hannemanni non diſſimilis.

Tibi deditiſſimus,

H A D R. J U N I U S.

Iacobo Muſio ab Holy.

PLacere viris primariis non poſtremo
loco ducendum eſſe judicârunt ſem-
per optimi quique, quando & Nævianus
Hector gloriatur ſe laudari, ſed
præſertim à laudato viro. Quo exemplo
commoveri me non iniquum eſt, quum

literas meas cum epigrammate non
 D. Boisotio modò, aliisque nonnullis,
 quibus palatum non obsurduit, sed &
 Illustrissimo Principi perplacuisse scri-
 bis; qua in re non gravatè fero, si quid à
 te mei studio peccatum fuerit, cui velut
 incentiva tibia accinueris, ut torpentem
 excitares, & leniter currenti calcar sub-
 deres. Quicquid sit, non cetevo istud
 meum de Hispanis iudicium, neque
 adeò obesæ naris me esse autumo, ut
 negem, vestigiis quibusdam odorari
 ingenia illorum me potuisse. Certè non
 malè hariolatum te quoque video, qui
 prælagus, vanum fore Mauri istius
 circumscriptoris iudicium de Belgarum
 virtute, ab ipso despecta, cecimisti:
 Quandoquidem certamen istud navale
 temeritatem hominis, cœlum tantum
 non territantis, abundè prodidit: Quem
 proinde cum Diogene non valere, sed
 plorare iubebimus, quando tam pul-
 chrum administratæ rei principium
 edidit. Negotium meum quin tibi cordi
 sit, non dubito. Itaque ea de re admo-
 nere supersedeo, ne de tua fide videar
 ambigere. Vale, & me D. Boisotio,
 amplissimo viro, de meliore nota com-
 menda.

menda. Raptim. Delphis Batavorum
III Nonas Febr. an. 1574.

*Jacobo Musio ab Holy, Ill. Prin-
cipi à consiliis.*

Vetus est, & planè obsoleta occupa-
tionum excusatio. Sed quæ tantæ
possint esse illæ; quæ amicitiaè officiivè
cursum morari, multò minùs interrom-
pere queant? doleo equidem interdum,
neque ipsum tacitâ reprehensione casti-
go, qui raram sepe numero scribendi
occasionem diffluere sino, ita ut Epime-
theo illi irascar frequenter, ac malè
prece, qui segnitiaè & cunctationis vi-
rus ab ipsâ geniturâ mihi afflavit: quan-
quam istius excusationis necessitas hoc
tempore mihi alienior fuit, ut cui pro-
pensam etiam scribendi voluntatem fa-
cilè eripere potuerit clades, ab aëris
(uti reor) hujus injuriâ contagioneque
cœcta. Nam quum insuetus aër ad va-
letudinem satis mihi facere visus per-
initia foret, mirabar equidem delicias
illorum, qui asperitatem ejus accusarent,
sed meo malo: incubuit enim paulò post
gravis in humeros defluxio, quæ usum

X 5

mihi

mihî brachiorum propemodum ademerat, arthritidis quoddam genus inveniens, molestum certè, & scriptionè ineptos artus reddens. Ea calamitas voluntatè non scribendi modò, verum etiam ad studia animum applicandi alienavit, prorsusque eam corrupisset, nisi fuisset profligata. Iam tandem respirare, ab ægro tamen non multùm dissidens, incipio: atque eccum tibi carmen, jam ante mensem elaboratum! Quod si meretur, cum collegis tuis, Dominis meis communica, quos omnes cum uxore tua officiosè ex me salutabis. Vale Middelburgo. xi Kal. Augusti. 1574.

Tuus toto pectore,

HADR. JUNIUS. Med.

Nicolao Vorstio.

REcè collimatum à te est, mi Vorsti, qui epistolam rectà Middelburgum. certo cursu direxisti; eo namque loco medicinam facitäre me Zelandiæ Ordines ex Arausini voluntate, opiparè meam operam munerati, jusserunt: quò si te aliquando mutati venti referant, ad

ad veterem amicum poteris, tanquam in portum, divertere. Nam quod usqueadeo sollicitè, ne dicam ambitiosè, rescribendi vices à me, ejusmodi precum ignaro atque insolente, efflagitas, transmarinas delicias, ac tibi peregrinas spirat, ut planè aulicum quid obolere isthïc mihi videaris. Sed extra jocum: Tu mihi antiquum obtines, hoc est, ubique amicitiae studiique pertinacem animum geris, quando nusquam cessas amicitiae conjunctionisque necessitudinem non modò colere, verùm etiam velut per traduces quosdam propagare in aliorum novalia, quò sobolescant lætiùs. Jam annus vertens est, ex quo Lugdunum reliqui post priorem obsidionem, neque Douzam, communem amicum, invisere morbus diuturnus, ex aëris Zelandici insolentia contractus, fuit, nisi nuper admodum sub quadragessimæ calcem, ubi de tui desiderio aliquantus habitus est sermo. Douza & ego collatis operis libellum de liberato obsidione Lugduno, ac novæ illic institutæ Academiæ apparatus, & si quid, reprehendi meretur Ibericus fastus, prælo ea in urbe subjecimus, cujus edi-

tionem exspecto in dies singulos ; excusi exemplar ad te , si ad manum nunc esset , opportune mitti posset , quod ne negligatur à Douza , admonendus erit mihi primo quoque tempore. Nomenclatorem meum , non exigua accessione auctiorem , brevi edendum curabo , eaque de re internunciis literis cum Plantino utrinque actum est. Quòd si pax coëat , id quod speramus , Bataviam cum Poëmatiorum supra viginti libris in lucem dare decretum est. Scriptorum meorum catalogum in gratiam Joachimi Hanfii Rectoris , ut ardentiori nostri studio , quo inflammatum teneri ex tuis verbis intelligere mihi videor , acquiescam & obsecundem , lubens mitto ; cui , ut & Lectoribus collegis , ac studiorum sociis plurimam meis verbis salutem cum obsequii voluntate impertias velim , quod ipsum in uxore quoque tua , humanissima foemina , fieri percipio. Salutat te uxor , nam Petrum meum nuper apud Douzam deposui. Raptim Middelburgo ex Abbatia , quam vocant , ubi domicilium mihi est. vi Eidus April. anno 1575.

Iac.

Iacobo Musio ab Holy.

TUæ ad Non. Januar. mihi sunt redditæ, vir ornatissime, acerrimi tui iudicii sale tinctæ, quibus te sollicitè excusas de omiſſa ſcriptione, quum ea culpa, tanquam faba, in me potiùs cudenta fuerit, ſed excuſabit me gravis & infeſta valetudo, quæ, triplici morbi genere me adorta, parum abſuit, quin Orci peculium fecerit, ſive ſenio acceptum id omne ſeram, ſive aëris huius intemperiæ, cui proprium ſit externos ferme omnes malo aliquo mactare. Ac enimvero quòd negotia excuſas, nil mirum; quippe tui, ex omnibus potiſſimum delecto, honorificum imprimis munus citra ambitum delegatum fuerit, ut ab acceptis literis intellexi, ut hoc nomine toti Reipub. nedum tibi, gratulari libeat, quæ non æruſcatorem, aut avaritiæ inſatiabili morbo obnoxium quæſtorem ætarium naſta ſit. Rectiſſimè dictum à Cicerone in te experior, veras amicitias ſtabiles eſſe & ſempiternas, dum tu, non interpellatus à me literis, cogitationes meas officiis tuis vincis,

ambitiosa diligentia occupare studia & voluntates primi subsellii hominum in meam gratiam non cessas, inter quos miror inveniri tam impudentis audaciæ os, qui honorarii muneris annui, mihi indulti, auctoritatem defugiat, doceri-que illud neget, quum multi primi ordinis supersint adhuc, qui ejus rei meminerint; neque enim memoriam omnem penitus eradere temporum calamitas, nisi fortè mutata voluntas, potuit. Testis mihi est Illustriss. Princeps, qui nuper admodum hæc de re à me compellatus isthïc, meminisse se admonitum, testimonium dicturum respondit. Testabitur Cobelii accepti & expensi commentarius nono abhinc anno primas solutæ pecuniæ vices; nam reliquas interruptit calamitas Jacobi Endii Advocati, qui nondum subscripserat: Novit & hisce diebus appellatus à me Paulus Busius: Novit Jacobus Douza, quem honoris causa nomino: Novit & Dnus. Warmondus, alique plures, si conscientiae suum pondus præstabunt. Nam quòd æditionem primi Tomi postulas, id qua ratione fieri possit, ubi praelis careamus, non video; rebus com-

compositis primo quoque tempore confiet. Interim tu urge inceptum , ubi vacabit , cum Douza nostro. Filii mei rationes , qui, maternis opibus exutus, hætenus à me (ut patrem decet) alitur, in magno liberorum numero (auctus enim non ita pridē sum scēmineâ prole) tibi obnixius commendarem , ut inter secundi subsellii notarios, aut, quo jufferis loco , tibi det operam , si id tibi non incommodè accidet : accuratè enim me rogavit , ut sui commendationem ad te instituerem , ejusque nomine ego obsecro atque obtestor , curæ ut istuc tibi sit. Fide meâ illum esse jubeo, quam te non infirmaturum arbitror ; nihilque mihi hoc tempore gratius accidere poterit. Mitto ad te Lugduni Batavorum ab obsidione liberationem, carmine à me scriptam ad Illustrissimum Principem, quam honorario munere quinquaginta aureorum jam abiens cohonestavit immeritam ; quippe non in hoc scriptam , ut pecuniam ab eo sperarem. Vale vir ornatissime, tuæque uxori, lectissimæ matronæ, plurimam ex me salutem nnn-cia. Middelburgo ad xv Kalend. Februar. 1575. Qui has curaturum se rece-

receperat, ante octiduum insalutato me discesserat, quo factum est, ut seriùs ad te commeent. Iterum vale.

*Jacobo Musio ab Holy, Thesaurario
generali Ordinum Hollandie.*

SAlve plurimùm, humanissime Musi. Ægidio Hueffio, subscribæ tuo, ante discessum meum tradidi rescriptum Rationalium curiæ, destinatum Ambrosio Quirini, receptori Goricomensi, de octo libris monetæ Flandricæ. In eâ re tua fides & autoritas plurimùm potest apud illum. Itaque, si nondum Hueffius acceperit pecuniâ, tuam opem imploro, ut filium adjuves in illo appellando, commendesque tribus verbis ad solutionem, quo nihil mihi possit accidere gratius hoc tempore. Libellum supplicem, qui Financiariorum curæ commissus est Ill. Principis verbis, ut tuo calculo, communicatoque unâ cum Verlanio, & Taffino consilio, adjuves in egestate, quæ uxori, prolibusque à meâ morte præsens immineret, te obnixè rogo, atque obtestor. Bataviam, ubi primùm pax cõaluerit, prælo Ant-
verpiæ

verpiæ subiticiam cum duplici Batavias
veteris, & Pliniana typo, Transisulane,
veræq; Franciæ descriptione. Vale, &
humaniss. uxori tuæ, matriq; pluri-
mam ex me salutem dicito. Raptim,
Middelburgo. III. Kal. Apriles. 1575.

Tibi dedimus,

H A D R. JUNIUS

*Godefrido à Micrlo, Presbitero
Harlemensi.*

HAud scio quid de absente me male-
voli vel sentiant, vel tuis auribus
insilliant, ego certè nullius mihi reatus
aut labis conficius, ita me gessi in tua
caussa, dum licuit, ut laudem atque
honorem merear, quando non sine vitæ
periculo relictis effrenato furori sacrilegi
hominis, & desertoris Bidotii: cujus
indomita libidini & divendendi licen-
tiæ, nullis repagulis coercitæ, quum
occurri posse mea auctoritate visum
esset nonnullis, parvis libens, atque tuas
in aedes immigravi, sperans rem tibi
non ingratam me facturum, si eas tuen-
do adversum nefarios hominis conatus,
& excludendo barbaram, & crudelem
Gal-

Gallorum omnia profanantium, rabiem fartas tectas illas tibi conservarem; id quod diligentia summa & religione aliquandiu à me præstitum est: verum ubi amentiam hominis & impunitam audaciam non tantum non cohiberi posse à Magistratu, sed ali infuper viderem ob inanes ejus pollicitationes, & tape- tum, liarumque ex ornamentis domus rerum repræsentationem, animadvertendumque causam, ad Coss. rejectam; per ludibrium trahi (de qua injuria non dissimulanter apud illos præsens, & per literas apud illos fui conquestus) ædibus meæ fidei ac tutelæ commissis, excessi, & quidem vi adhibita compulsus, quum sclopo intentato, pectorique appresso necem præsentem mihi nebulo ille minitatus fuit. Ex quo tempore superbâ usurpatione nihil reliquit inausum, vendendo tigna, trabes, cæteramque domus intestinam materiam, ut accepi; nam impetrato commeatu jam civitatis, unde jus & honestum omne exsulabat, ruinam animo prævidens, aliò me transtuleram. Habes, unde innocentiam meam perspicias. Vale. Delphis. 1573.

Da-

Danieli Rogerio.

L Iterarum tuarum desiderium, doctiss. Rogeri, in quarum summam expectationem Calouardus tuus me adduxerat, non ita pridem scripto præveneram, sed facti gratiam abolevit ejus juvenis incuria, quippe qui negarat discessurum hinc se, nisi comites haberet meas ad te literas, id quod fidei vanus non præstitit: testimonio erit mihi, qui tuas huc attulit, cui ante lectas illas deprompsi ex sinu meas, quarum argumentum Calouardus ipse dictaverat, jam lacero vinculo solutas, & ad te profecturientes, ut authoris tui fidem approbarent, eodemque facto Brosseij (cui ~~perperam~~ scriptum credideras) fidem elevarent. Scripti materiam literis inserendam duxisti, quasi auguratus (ut divinum quiddam vatibus inesse solet) illud ad me non pervenisse, id quod res erat, de Hibernia nimirum, cujus in Argonauticis meminisse Orpheum existimo, nisi labat memoria, jam senio exolescens, & propter librariæ inopiam supellectilis (quæ mihi Harlemi ab hostibus

stibus direpta periit) infirma. Tuum erit, qui librorum accuratus es helluo, iisque abundas, Poëtam illum obiter percurrere, si quid fortasse lucis adferre tuæ historiæ possit. Tu da operam, ut Hibernos illos ~~stagnos~~ (talienim habitu recorder eos Londini olim vidisse, in Galliam expeditionem facturos) & armorū genere pariter ac cultu priscam Græcorum militiam (nē fallor) referentes, ad vivum representantes, atque Insular topographiam tabulis publicis ad posteritatis memoriam sempiternam mandas. Ego Bataviam (si pax coalescat) cum veris ac nativis Francorū sedibus cogito prælo quamprimum subicere. Librum quoque de Anno & Mensibus, auctario insigni locupletatum. Tu interim pro cliente me tuo fovendum tuendumque suscipe. Epigrammatum doctissimum perplacuit, cui pro meo modulo par rependam, ubi vena, nunc à labore ac molestiis fatiscens, vires resumpserit, ejus vice Oden ad Deuzam mitto. Vale feliciter vir doctissime, & me Clariss. viro Wilsono Legato com-
menda.

Petro Forestio, Medico Delphensi.

Valeret rectè, est quod gaudeam,
 mi Foresti; de mea valetudine, quæ
 dubia est, nihil pollicere possum, nisi
 quod orexis bona sit. Literas tuas una
 cum pecunia adnumerata longo sane
 intervallo accepi, vicésimo-septimo
 hujus mensis, quod factum arbitror,
 quod semel atque iterum recurreris
 Delphos. Interim habeo gratiam de
 præstito officio, cui si paria facere possim,
 tuo jure impera, haud ingratum senties.
 De Lugduno Batavorum, ab obsidione
 gravi præter spem liberato Dei Opt.
 Max. singulari beneficio, scripsi ad
 Janum Douzam, ad Ammiralium, &
 Illustrissimum Pr. quæ mittam prope-
 diem, nam tempus mihi nunc scriben-
 dis omnibus non sufficit. Nihil ex tuis
 literis intelligere potui, an carmen quod
 in Regem Galliarum à me scriptum, ad
 Ecclesiasten D. Principis destinâram
 tradendum, ad manus ejus pervenerit.
 Rerum hîc novarum nihil est. Vale mi
 Dnè. Salutabis uxorem tuam lectissimam
 femînâ. Vale iterum. Middelburgo.
 Eij

Eidem.

Litteras tuas olim accepi cum excusa-
 tione non missæ pecuniæ, D. Doctor.
 quam cum expectarem per navem mit-
 tendam, integer effluxit mensis, quod
 ille, militem mercenaria opera vehere
 coactus, nusquam hic comparuit, nisi
 nuper sub gelu. Si acceptam nondum
 miseris, servato, donec ipse veniam,
 quod propediem futurum mense Febr.
 spero. Princeps Ziriceam petiit Hollan-
 diam cogitans ad Comitiam. Vale vir
 doctiss. tuam conjugem nostro omnium
 nomine salute plurima imperties cum
 Dno. Neoburgo, & Heydio. Raptim
 Middelburgo. decimo Kal. Februar.

**HA**

HADRIANI JUNII,
Hornani Medici, Epistole Nuncu-
patoria, sive Præfationes, libris,
ab ipso nunquam evulgatis,
præfixa.

Præfatio in Nonium Marcellum.
Serenissimo Potentissimoq; Maxim-
iliano II. Imper. Augusto Germaniæ,
Hungariæ, Boëmæ, Dalmatiæque Regi,
Archiduci Austriæ, Duci Burgundiæ,
Comiti Tirolis, &c. Domino suo clemen-
tissimo Hadrianus Iunius Med.

CUM laureatos Augusti honoris fas-
ces, felicia regnorum auspicia pa-
riter & incrementa, ac secundissimum
rerum tuarum cursum universi orbis
Christiani legationes T.M. & gratu-
lentur & comprecantur, ter Maxime
Imperator Maximiliane; non potui non
& ego, otiosi, maleque feriati specta-
toris desidiâ fugiens, tibi; in excel-
sissimo rerum humanarum fastigio jam
posito; an dicam potius Christianæ
Reipub. in cujus curam & fata succes-
sisti,

listi, & cui princeps tantarum virtutum
 hæres obtigisti, jure maximo congra-
 tulari: ut nunc bene ominari liceat de
 Platonis dicto, cui æquitatis opinio
 auctoritatem addidit, feliciter cum re-
 bus humanis agum iri, cum aut rerum
 potirentur sapientes, aut Reges doctri-
 nâ imbuti essent. Constat enim inter
 Reges hujusce temporis (absit dicto in-
 vidia) eruditione, & prompto in litte-
 ratos favore T. M. facile antecellere,
 ac literas virtutum omnium fundamen-
 ta, industriæ omnis, atque laudis nutri-
 ces, excolere, adeo ut in celebranda
 illa doctarum noctium curas conferre
 vates merito debeant; quod de T. M.
 quidam non vanus eius laudum buccina-
 tor non semel apud me predicavit.
 Hunc munus insuperabilem quidem
 illum fama tuis virtutibus extraxit:
 quam gloriam tibi quadam ratione pe-
 culiarem asseris, instructa bibliotheca
 longè copiosissima (ut lætuples testis,
 & quidem T. M. domesticus, Joannes
 Sambucus mihi indicium fecit) velut
 suscepto cum Philadelpho Rege doctissi-
 mo, cumque Pergamenis Regibus
 præclaro atque immortalis certamine:
 adeo

adeò ut Plinii elogiũ de Asinio Pollione (qui primus Romæ librorum armarium dicasse legitur) quòd ingenia hominum Rempub. fecisset, in T. M. optimè sit quadraturum. Quid enim ad demerendam mortalitatem aptius, ad excitanda doctorum studia liberalius, ad acuenda judicia efficacius à T. M. fieri potuit, quàm conquisitis undecunque optimæ notæ scriptoribus, sumptus non otiosos, sed publicè utilissimos facere? Patella esurienti posita provocat Neapolitanas piscinas, inquit Varro; at quanto impensius iste apparatus litteratis & litterarum amantibus instructus, orexin studiorum excitabit, acuet, inflammabit? Itaque hac operâ immortali Herculem quendam Musagetem, hoc est, Musarum ductorẽ præstitisse videris. Hæc animabit ingenia, ut certatim non suas modò vigilias eò destinent, verùm etiam quicquid ex altissima vetustate superest, ceu peculiũ, apud doctissimum Regem deponere satagant. Hæc eadem ansam mihi dedit & occasionem opportunam dedicandi T. M. & in bibliothecæ tuæ familiam adoptandi Nonii Marcelli, jam redivivi, qui unus bibliothecæ veteris recupera-

Y

tor,

tor, & reconditarum opum conservator,
ac Camillus adeò quidam (faceffat invidia) reliquus è clade plusquam Cannensi
supereft: cui uni fermè acceptam ferre
licet tot illuftrium auctorum vitam,
quafi in favilla fuperfitem, hoc eft,
antiquitatis altiffimæ reliquias ab interitu,
& edacis temporis injuria affertas
atque ereptas. Nam, ut de Cicerone,
aliifque majorum gentium (ut ita dicam)
fcriptoribus taceam, vel ob unius
Varronis, illius Polyhiftoris merito
maximo nuncupari, fervata aliquo pacto
fragmenta è thefauris illis ingentibus,
quos vir ille divinus reliquerat, coronam
non civicam modò, fed triumphalem
quoque & perennem à ftudioforum
choro omni meretur: Varronis inquam,
cujus operũ interitu quantum Reſpub.
litteraria damni ſenſerit hætenus, omi-
nari fortaffe liceat, æſtimare nunquam.
Cujus rei teſtimonium omnes illius viri
monumentorum epigraphæ, paſſim hîc
citatæ, præbent; quæ raram incredibilis
eruditionis exiſtimationem præ ſe fe-
runt, Argivo clypeo & Palladis peplo
digniſſimæ. Itaque cùm vidiffem Noniũ
Marcellum, fœcundem quoddã Copiæ
cor-

cornu , & instructissimam (ut ad rem propius dicam) apothecam, adeo foedis maculis deturpatum ac mutilum quoque, in quo emendando certatim cum summa contentione à doctis, cum Germanis, tum Italis, Gallisque sudatum est, & quem justis votis toties expetiturum ab omnibus novi, non passus sum diutius forditatum atque saucium jacere, Pæonianamque manum addidi publicæ vitificationis studio : siquidem à me bis mille amplius locis & emendatus, & interpolatus, & auctus est : Qua in re & propriâ industriâ difficultates expugnare aggressus sum, & vetustissimis apographis, seu Jôlais quibusdam, uti, ad debellandam excetram, repullulantium de integro capitū restibili sobole luxuriantem. Nostrum ergo studiū in præferenda juvandi utilitate, ad Plinianum exemplum, gratiæ placendi, benigne accipies Imperator clementissime, nec operis magnitudinem spectabis ; quando & exilibus rebus major plerunque insit gratia : Spartani nummi moles, ut erat ingens, ita vile pretium, animumque offerentis metiere . Deus Opt. Max. incolumem litteris, & Reipub. Christianæ diutissime

508 H A D R. J U N I I
conseruet S. T. M. Harlemo . anno à
Christo passo 1565. Nonis Martijs.

T. M. *devotissimus*,

H A D R. J U N I U S. Med.

P R Æ F A T I O,

Lexico Græco-latino præfixa.

*Sereniss. Edwardo, Angliæ regi, fidei
defensori, & supremo Anglicanæ
Ecclesiæ à Christo capiti.*

Felix illa artium ac bonorum omnium
inventrix Græcia, quamvis in tegan-
dis suis mysteriis reducto sensu & fabu-
loso figmento involutior Herculem
Musagetem quasi Musarum ductorem
haud temere nuncupasse legitur. Deinde
seculis post aliquot Fulvius Nobilior
novem Camœnarum simulachra in ædem
Herculis, à se votam, ex Ambrasiæ ma-
nubiis transtulisse commemoratur: qua
alia ratione non intelligo, quàm quòd
prudentes viri perspicerent quàm mutuis
officiis, mutuaque opera constarent &
litterarum, & magnatum res. Si quidem
eruditionem, otiumque litterarum in-
digere patrocinio magnorum virorum,
rur-

rursus patrociniò Musarum virtutes Heròum opus habere, quod ab oblivione eorum facta vindicaret atque affereret, sapienter animadverterunt. Hinc adeò manasse, vel saltem exemplum eliciuisse dedicandorù operum ratio videri potest, Rex potentissime. Nam aut inscribuntur Principibus viris libri, quorum sub tutela, velut Minervæ ægide adversus malevolorum dentes tuti latent, aut horum virtutes & fortia facta Musarum monumentis consignantur, ut earum immortalì ore edacis temporis invidiam effugiant. Plinius mirandum illud naturalium rerum, & ipsis varium totius Naturæ opibus volumen Vespasiano inscripsit. Historicum poëma Neroni fucabit Lucanus. Antonino aureos, nec mirum, quippe auro repensos, de piscibus libros Oppianus nuncupavit. Commodus copiosam de rerum nomenclaturis sylvam, à Julio Polluce inscriptam sibi retulit. Sic aliis alia dicata legimus. Idem exemplum me quoque, licet longissimè viris illis imparem, eorumq; vestigiorum vel solam umbram, adorantiù more, sectantem invitant, ut labores meos (quos litterariæ segetis messem

non abs re fortasse nominârim) T. M:
 numini dedicarem, & (quod & sacris
 lucis, fanisq̃ue fiebat olim) consecrarem.
 Nam cùm assidua lectione, indefesso
 studio, multo pervigilio (absit dictis in-
 vidia) quicquid ferè extat Græcorum
 in genere autorum, nonnulla etiam, in
 Italiæ bibliothecis adhuc abstrusa, evol-
 vissem; & in thesauris illis apiculæ in-
 morem, juxta Isocratis præceptum;
 undique in alveum Dictionarii mei plu-
 rima convexissem, crevisse ad justam
 molem, & numerum esse pertentosum,
 collectitiam hanc sylvam animadvertens
 (nam quingentis plùs minùs supra sexies
 mille dictionibus, cùm additis, tum lo-
 eupleratis, volumen intumuerat) cœpi
 editionem parturire. Sed nondum hîc
 substitit deses opera, siquidem, ut in
 exemplaribus sæpius recussis fit, immen-
 sa mendorum vitiorumq̃ue, partim osci-
 tantia supina & incuria, partim imperi-
 tia, partim & codicum impollurâ com-
 missorû, portenta irrepsisse in editiones,
 toties typis repetitas, perspicuû habens
 (quippe cùm error errorem, ut clavus
 clavum tradere soleat) multa jugulavi,
 rescui, reformavi atque emendavi,
 nus-

Epistolæ Dedicatoriæ. 511

nusquam mecum citra meliorum codi-
 cum consilium, aut Græcorum interpre-
 tum fidem meo ipsius arbitrio stare
 volens. Quod ipsum certè neque esse
 negotii aut pensì levioris neque utilitatis
 minoris, quin potius majoris aliquantò
 laboris instrumentum, judicabunt dico,
 quibus simili more sudatum est. Proinde
 locuplete opera magnum adjumentum
 lectoribus allaturum me ratus, ea non
 invidere publico visum fuit. Ne tamen
 patrocínio, velut vitali spiritu, orbatus
 liber exiret, prima fuit cura, quamvis
 non diuturna. Dispicienti namque mihi
 atque animo agitati, quem potissimum
 laboribus meis patronum deligerem,
 T. M. occurrit imprimis. Cui enim
 Principi dignius aut aptius, cui justius
 nuncupari debeat, sanè non videbam.
 Primum enim quàm ampla huic operi
 accessura esset à M. T. numine autori-
 tas (quam libri genium videtur appellare
 poëta quidam) quantum ponderis, quan-
 tum momenti, haud vano mentis augurio
 præsentiebam, quin & legeretur liben-
 tiùs, tereretur studiosiùs, & placeret
 impensiùs sub tanti patrocinii umbrâ.
 Deinde præter cætera aptissimè con-

gruere T. M. ætati pariter, & disciplinæ videbatur. Quippe cū naturam vel absque doctrinæ adminiculo singularem nactus, felicissimè instituaris, & qui ingenio etiam præcurris ætatem, omniumque expectationem admiratione vincis, ita sedulo adjumenta doctrinæ adjungas, ut (præter linguarū exoticarum cognitionem, & artium illarum exercitamenta, quas activas, seu *πρακτικὰς* nominat Fabius) eos in Græcis ac Latinis literis profectus feceris sub præceptoribus, & vitæ sanctimoniâ, & eximiâ conditione præstantibus, uti illos, velut Æneam parvus Jūlus, sequaris haud æquis, (quod ille ait) passibus. Ita longum valeant, qui Principe indignam litterarū curam, hoc est, animi cultum opinantur. Postremo justius nulli alii inscribi potuisse clarum est animi mei & indubitatum judicium. Si fabulosis suis Diis Gentilitas tam novorum fructuum quàm Cerealium frugum primitias tribui voluit tantâ religione, ut decimas quoque iis decerneret, si Regibus suis mirâ demerendi contentione, & studio flagrantissimo honoraria dona elargiri pro suis quoque facultatibus (ut Æliani, gravis scriptoris, testimonio

Epistolæ Dedicatoriæ . 313

monio constat) mos fuit neutiquam illaudatus, par fore, & æquum mihi videbatur ei Principi, in cujus finibus quadriennium totum non injucundè consumptū est, qualem qualem ingenii, quantumvis exilis, fœturam dedicare; Principi inquam, cui non tam regnorum successori, quod indignis etiam tribuere ors potest, quàm paternarum virtutum hæredi, gratulatur orbis universus. Quis namque mundi angulus vel cogitatione solâ adiri potest, quò non penetrârit genitoris tui sacrosancta memoriâ Regis Henrici VIII. nostri? quæ gens, ita diverso sub solis cursu abdita, cujus animos non perstrinxerit virtutum paternarum fulgor? Sed quid hac ratione colligitur? nimirum ingenium, omnium capax, litterarum flagrans desiderium, cunctarum rerum perspicientia, judicium expensum, liberalitas perfusa, humanitas obvia, clementia exposita, magnitudo animi invicta, omnes verè regię dotes, omnium sermonibus de T. M. genitore decantantur (non etenim hîc ambigua propter vetustatē, aut obliterata in medium adfero) cæterum hæc omnia cumulatiùs etiam indoles

Y 3

tua

514 HADR. JUNII

tua pollicentur. Hæc in serenâ M.T. fronte, ex qua doctissimi quique veterum arctissima animorum judicia perspicere solebant, leguntur. Quippe tacentibus etiam nobis, loquitur velut notis quibusdam Natura, ac ingenium cujusque, & mores revelat, quemadmodum scitè ab Adamanto, Polemonis Metaphraste, dictum est : *σημάντων μ' ἔστιν ἀπικρίσεις, λαλῶν δ' εἶναι τοῖς σημείοις ἢ φύσις τῆς τέλεις ἐκάστου κηρύττουσιν*. Renidet in oculis M. T. totoque oris filo tranquilla serenitas augusta in fronte, sed facilitatis condimento suavis gravitas insidet, vivax rubor, lenitatis index, genas accendit, forma denique tota, tanto Principe digna, respondet. Nempe haud temere Philippi augustissimam quoque speciem & excellentem formam plurimum affinitatis habere cum cœlo, ac velut in colliminio quodam esse, opinati fuere, ut aut dignū se mutuaretur domicilium animā in corpus commigraturus, aut pro suo habitu fingeret, atque efformaret ædificium, in quod jam illapsus descenderit, aut pari demum concremento uniti, simul incrementum sumerent. Maeste itaque Princeps, omnibus nume-
ris

ris felicissime, non modò trib. illis dotib. quas *καλὸν* carmè, è Simonide (ni fallor) haustum, apud Platonem in Gorgia enumerat, nimirum, inoffensæ valetudinis firmitate, formæ præstantiâ, ac divitiis, quib. omnibus ita antecellis, ut, qui velit hac de re differere, totidem injurias, quot verba, facturus mihi videatur, sed multò magis naturæ animique dotibus, quarum ut murus haud facile convelli potest, ita doctrinæ accessione in immensum propagabitur. Verum-enimvero quid felicitate illa majus esse potest, qua M. T. ditat fortunata te Rege Britannia, quæ ut est affatim cunctis cœli terræque bonis dotatissima, ita nusquam beator est, quàm quòd. tuis sceptris felicissimè gubernetur? Ea enim cum quo tandem regno coarctari nequeat, sive oppidorum cultum, sive agrorum fertilitatem, sive metallorum proventû, sive gregum armentorumque copiam spectes? Contulit diversimodè suas opes parens natura variis locis spectatis, sed singulas. Sicilia affluente segetû ubertate, Iberia armentis, Creta gregibus, Asturia equis, Athos leporum proventu, Lydia auri,

fodinis, Thessalica Tempe amœnitate, nonnullæ portuum commoditate à Veteribus nobilitantur, dum uni Angliæ assurgant omnes, & palmam, quâ cæteri gloriantur, cedanti; sic ut in ornanda una laborasse videatur Natura, in quam velut alterum orbem dona sua perfunderet universa: Quocirca nobilissimum istud tuum regnum non aliter, atque ipsum universum, Oceano inclusit, ut non immeritò Senatui rescripserit Cæsar (qui Romanorum primus hujus amplissimæ insulæ inventæ gloriam suis titulis adjecit) alterū se terrarum orbem navigatione aperuisse. Accedit ad felicitatis partem exiguo disjuncta freto Hibernia, vetustissimo Poëtarum Orpheet non incognita, quæ sub T.M. auspicio scutum accipere, & belluinos mores in humanitatem commutare, atque ad ejus nutum se fingere incipit; alioqui ubere rerum omnium, quas soli coelique natura fundere potest, proventu lætissima. Utraque hoc à Superis nunc consecuta est; illa lege devotissima, suique Regis amantissima, ut caput cum gloriâ efferat; hæc, ut quietem amplectatur. Utraque verò T.M. merito maximo gratuletur, &

& triumphale carmen concinat, cuius auspiciis, & ductu avunculi cognominis, (qui simul & M. T. Atlantem quendam se præstat, & regnis Herculem, malorum exterminatorem, dum rerum pondera sustinet, dum hostilibus pariter, & domesticis malis avertendis invigilat) felix de Scotorum natione victoria nuper parta fuit, nec id absque manifesto Superis favore. Nam cum summa ope semper studueritis (T. M. sanctissimum-que tuum senatum bona venia alloquor) pacem ubique gentium confirmare, prudentissime, ut omnia, perspicientes, quantum huic boni reip. accedat, quam restibilis felicitatis seges è pace suppululet, quam altas beati ocii radices spargat, utque publicæ tranquillitatis tutissimus sit portus, divinum illud vestrum consilium Scotorum natio postquam diu elusit vanâ sententiæ referendæ comperendinatione, temerare etiam non dubitavit, injurias ultro inferendo, factis hostiliter in agrum Anglicanum excursionibus, agendo, ferendo, incēdiis & occidione loca latè vasta reddendo. Quapropter postquam connivendo patiēdoque fatigari, nihil lenioribus re-

mediis proficere vos sensissis (adeò nihil verius elogio illo extat, læsam sæpius patientiam frangi) justam collegistis iram, meritaſque pœnas expetistis, adhibito etiam armatæ iræ lenimine, adhortatione ad concordiaë unioniſque studiũ, animorumque, juvato quodam diſſidii divortio, ſeparatorum conjunctionem. Qua in re divina eluxit virtus heroïs, nunquam ſatis laudati, avunculi tui Eduardi, illuſtriſſ. Somerſethi ducis, ampliffimiſque regnorum protectoris, cum non poſſet non armis vincere, ignoſcere quoque præoptavit, ſanguinis minimè ſitiens, aut calamitatum, belli comitum, nihil minùs quàm avidus. Cæterum aliter viſum fuerit Superis, qui Scoticam gentem contundi voluêre. Itaque heros ille inſtructiſſima acie in media uſque Scotiæ viſcera pervadere non dubitavit, ac cum hoſtibus ſuo in ſolo & loco iniquiore ad manus venire, quorum confertam illam, & decuſſatis prælongis haſtilibus infeſtam phalangem, inexpunabile, ut putabatur, agmen memorabili clade fudit; ubi laxatis ordinibus, & vallo illo haſtarum denſiſſimo perfractò, tam ampla fuit ho-

hostium ædita strages, tam incruenta hinc stetit victoria, uti existimari queat, haud ancipiti Martis aleâ commissum prælium, sed obstinationis pœnas solum expetitas fuisse. Hic nimirum est, Rex potentissime, indubitatus cœli favor, hæc auspiciatissima imperii tui primordia. Herculem infantem adhuc & cunis resupinum ferunt binos augues compressis faucibus elisisse, quod inauditi roboris (cujus sempiternam adeptus est gloriæ prærogativam) prodigium verè fuit creditum. At T.M. in ipsis, si dicere fas est, regni incunabulis & Scotiæ rebellionem castigavit & Hiberniæ, ætatem tuam despicientis, motus exorientes nuper compescuit, & ita uno ferè tempore duo monstra, horrenda quidem, ipsiusque fines in discrimen adductura, procul cavit atque pessundedit. Verùm à diverticulo, in quod justa ratio gratulandi T.M. felicitati me abduxit, ad institutum regredior, hoc est, ad Dictionarium nostrum, præter quingentas sex millibus vocum (ut diximus) locupletatum: Pulchrè operam suam locavit, meoque iudicio, quisquis primus fundamenta jecit scribendorum Lexi-

Lexicorum ; at enim minùs pulchrum est, aliorum inventis adjicere, ut mutila & imperfecta suo decori & absolutæ seriei reddantur, scabra lævigentur, hiulca & defecta suppleantur. Superest ut quid in hoc opere præstiterim, paucis edisseram, hoc in præmis dixerim, non ex uno scriptorum genere hanc messem fecisse, sed ut quodque objecit impunita Poëtarum licentia, vel inenarrabilis Grammaticorum proprietas, vel grave Philosophorum supercilium, vel Medicorum definitæ in nominum usu leges, vel Historicorum elegantia, ita id omne in suas classes digessi. Nonnulla etiam è sacris autoribus interserui. Præcipuam vero partem ex Eustathio, cujus in totam Iliada, ut fusiſsimos, ita longè doctissimos commentarios Bononiæ perlegere contigit, Galeno, Athenæo, Polluce, Plutarcho, Aristoph. Lycophrone, Strabone, aliisquæ, quorum nomina percensere tædiosum fuerit, congeſsi, quos tamen non neglexi adjicere ferè, tum ne fucum offundi sibi lector falsò suspicaretur, tum ut oculatâ fide loca investigare & explorare posset. Ex hisce fontibus nostros rivos deduximus,

Epistolæ Dedicatoriæ. 521
mus, quos T. M. penitus dedo, atque
consecro, quam Deus Opt. Max. diu-
tissime conservet incolumem, & Reip.
salutarem. Londini. Idibus Martijs,
anno à Christo passo. 1548.

P R Æ F A T I O

In Comentar. de Anno & Mensibus.
Serenissima, Inviçtissimaque Maria,
Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Re-
gina, &c. Hadrianus Iunius Me-
dicus felicitatem precatur.

IN tanta omnium gentium, tamque
celebri gratulatione, serenissima Regi-
na, mirificoque doctorum hominum ad
T. M. gratulandum studio, aut conten-
tione potius, nolui & ego Reginæ
cicadæ instar filere. Posteaquam enim
Philippeida, menstruum poëmation,
superiore anno in auspiciatissimas vestras
nuptias lusissem, aut effudissem verius,
in manus sumpsi opusculum, quod histo-
riarum cognitionem varietate delectabi-
lem, atque jucundam contineret, ex quo
fatales, & suos pariter, & progenitorum
suorum eventus aut res gestas æterna
memoria dignas, compendio T. M.
cog-

cognosceret ; omnia, certo quopiam die observata, & facta. Quod quia olim xenioli loco fratri tuo Eduardo Regi, manu propria exaratum, exhibueram, visum est idem, nunc tertia historiarum, rerumque memorabilium parte auctius, typis excusum, T. M. offerre, & per eam uniuerso orbi communicare, ex quo omnes intelligant, quàm felix te Regina honestis studiis, & philosophiæ præceptis liberalissimè instituta, Respub. Anglicana censeri debeat, quum notissimum sit illud divini Platonis oraculū, Rempublicam eam fore beatam prædicantis, in qua aut sapientes, eruditi que rerum potirentur, aut Reges ad Philosophiam, rerumque cognitionē animum appellerent. Nullus enim toto terrarum orbe angulus est, quæ non percrebruit admirabilis tua, præter invictam animositatem & pietatem ; eruditio, tam Latinè disertæ, ut exterorum Regum legati, docti in primis homines, velut attoniti obstupescant, & quasi hærente in faucibus voce obmutescant, te audita. Qua de re plura loqui vetat & incredibilis tua modestia, & vulgatiores fama, omnium sermonibus latè per orbem spar-

sparsa, ut rem notissimam ingeminare idem sit, & nauseam commovere. Libri titulus est de Anno & Mensibus, in quo varia, & multiplex ad annū, & mensium nomenclaturas faciens, cognitio pertractatur: cui subnectitur Eastorum liber, Ephemeridas & Hemerologion Græci, in quo quicquid, peculiariter qualibet tandem in gente memorabile factum, quod ad certos dies revocari possit, breviter demonstratur. Cujus quidem argumenti non supinam vitilitatem paucis verbis indicavit in Aristide Philostratus Lemnius Sophista; αἱ ἐφημερίδες, inquit, ἀγαθοὶ διδασκαλοὶ τῶν περὶ πάντας ἐν ἀγέλει γὰρ, aut, ut à Synesio, Cyrenensi Episcopo, repetitur, τῶν περὶ ἀπαστῶν ἀποικῶν, hoc est, Fasti optimè docent rectè de re quacunque differere, aut de qualibet re disertè commentari. Quod ipsum confirmat Dionysius Halicarnassæus in Genethliacoon methodo, plurimum habere ad instituendam rectè declamationem, inquiens, peculiarem cujuslibet diei cognitionem. Neque verò dubitarunt doctissimi quique viri eo in argumento multum operæ collocare, siquidem Orpheus, vatum antiquissimus, primus

mus scribendarum Ephemeridum argumentum delibasse commemoratur, posterisque temporibus illum insecuti, Julius Modestus eadem in re laboravit : item Julius Cæsar ephemeridum commentarios reliquit, quibus constat abusu fuisse M. Antonium pro arbitrio, quæcunque lubitum fuerat, nunc inducendo obliterandoque, nunc adjiciendo. Quin & Ovidium Nasonem Fastorum suorum æditione Augusti iram placere studuisse, notius, est quàm ut admoneri debeat. M. Fulvius Nobilior, qui de Ætolis triumphavit, in æde Herculis Musarum à se votâ, Fastos conscriptos posuit. Masurius quoque non unum de Fastis librum olim conscripsisse proditur. Cincium itidem Fastorum librum ad posteros transmisisse memorat Macrobius. Citatur à Fulgentio & Bebius Macer, qui Fastalia dierum scripserit. Quin & Aufonius Burdigalensis, Gratiano Imperatori acceptissimus, Fastos invulgavit, in quorum publicationem extant ejusdem versus. Denique Plutarchus Cheronæus, omnium locupletissimus, in eodem argumento sedulam operam se navasse, in Camillo testatur,

tur , commentarium rerum , quolibet die actarum , memoriæ prodidisse se disertè ostendens . Quid , quod non dissimili argumento *αἴνᾱ* conscripsisse legitur Callimachus (quæ vox apud Fulgentium corrupta Cæcia perperam scribitur) sacra feriasque , & rituum causas eo libro complexus . Eum laborem , variae lectionis opibus divitem T. M. consecro , uti adversus dentatos malevolorum morsus , qui alienis laboribus semper invident , insidiantur , obtreçant , T. M. numen propitium mihi affulgeat , ita illam Deus Opt. Max. nobis & studiis diutissimeque longævam conservet , ut extinctis dissidiorum causis , sedatisque discordium opinionum æstuariis , florentissimum aliàs Angliæ regnum , vestrum Imperium pacatissimè agnoscat , revereatur , amet . Harlemi . Kalend. Martij , anno domini cId Id Lvi .

EPI-

EPISTOLA

Dedicatoria in Adagiorum centurias.

Illustrissimo Principi, D. Maximiliano à Burgundia, Marchioni Veriensi,

Domino à Bevere, Maris Præfecto

Hollandiæ & Zelandiæ, Hadr.

Iun. Medicus, S. P.

Singularis illa Naturæ, rerum parentis Industria nulla in re dexterius lussit, quàm in tanta ingeniorum varietate, quando non unum omnes, sed diversa plerique studia sequimur. Nusquam ejusdem providentia firmitus certiusq; mortalium generi prospexit, quàm dum mutuum homini ab homine auxilium, necessarium societatis humanæ vinculum, innatâ quâdam lege sancivit: quæ ambo si in unum coëant, & felici glutino conjuncta solidescant, utilissimam prorsusque divinam opem præstant, si verè dictum est à veteribus, ut certè est, Dei esse juvare mortalem. Quid enim beatius esse potest, quid laudabilius, quid denique homine (quem societati natum esse animal volunt Philosophorū filii) dignius, quàm ita nostra compara-

rare

rare studia , eoque actiones nostras omnes dirigere , ut hominibus non privatim tantum , sed multo magis in commune opitulemur , commodemus , eoque beneficiis , quibus in suo quisque genere possumus , demereri satagamus . In eo stadio curriculum graviter emensum Des. Erasmus , incomparabilem quendam athletam , optimè de omnibus meritum , primosque palmæ honores adeptum , sequendum esse mihi duxi , quoad ejus fieri potuit , iisdem insistenti vestigiis , & non populares solum nostros , sed in commune omnes demereri studenti . Itaque quum animadvertissem , nihil quidquam utilius exisse Adagiorum lectione , quàm ad intelligendos difficiles & inexplicatos autorum nodos tum ad exornanda nostra ipsorum & dicta , & scripta : viderem autem plurima (uti fit tanta , tamque multiplici autorum , quotidie in lucem emergentium , sylva) desiderari hac in parte in præclaro illo nec unquam satis laudato Chiliadum opere ; visus sum mihi aliquod operæ precium facturus , si Erasmo nostro , cui primam hujus gloriæ in edendis Adagiis prærogativam invidere , atque

intercipere temerario ausu tentârunt nonnulli , succedere , quamvis longo intervallo , & reipsa succenturiari insisterem , Hollandus Hollando , literis humanitatis operatus , illarum antesignano : confido enim , propitios fore tanti viri Manes ei , qui in utilem & communi usui deputatam operam incumbat. Quapropter concepta animo Herculeâ quadam fiducia per densissimas scriptorum omnis generis sylvas , per hortos gemmantes , per Labyrinthos quoque , ceu Ariadnæi cujusdam fili ductu , gradiens , incepti undecunque perlustrare omnia , cortices recludere , propagines putare , ramulos defringere , viviradices obvias vellere , flores colligere , non præteritis , etiam delibratis ruditer assulis nonnullis , denique nihil omittere , quod instruendo acervo , & cumulando spicilegio accommodum foret. Quo demum recensito , supra octingentos omnis generis stolones , stirpes , floresque acervatos videns , coepi ea universa Erasmi exemplo non in Classes , sed in Centurias octo , non sine corollario , ac (ut in Metaphora persistam) ἐπιπλασθέντι, digerere , nuda & informia

nia multiplicis lectionis pigmentis exornare, rudia levigare, obscura illustrare, putria sanare, mortua vitalibus adhibitis succis, ad vitam revocare. Mos autem molevit, non heri aut nuper inductus, Generosissime Princeps, sed prisca quoque seculis receptus, dedicandi litterarios labores Principum virorum genis, ad exemplum gratæ vetustatis, Diis suis frugum primitias nuncupantis: Siquidem videmus Plinium Naturalis Historiæ commentarios Vespasiano; Oppianum Antonio aureolos illos Halæuticôn libros; aliam aliud suorum temporum Principibus dedicavisse,* quorum patrociniis & tuti adversus malevolorum fascinum starent, & ope vitaliores parvi forent. Circumspicienti itaque mihi cujuscumque potissimum auspiciis in publicum exiret, non alius occurrit in Herolim ordine dignior, cui dedicaretur opus istud, non æstimandis

* Lucubrationes literariæ Principibus dicari solent. Ut Iulius Pollux ad Commodum Cæsarem de Grammatica, Virgilius ad Augustum de Architectura, Oppianus ad Antoninum de piscibus, Diophanes ad Deiotarum Regem de Agricultura scripserunt.

Sic Flavius Vegetius libros suos de re militari Valentiniانو Aug. dedicavit.

Z

labo-

laboribus à me, per omnem autorum genus apiculæ in morem pervolitante, contextum. Quis enim inter Belgicæ totius proceres (absit dicto invidia) te uno vel in litteris versatior, vel magis assiduus inveniatur? quod ego incomparabile veræ nobilitatis ornamentum esse in viro principe judico: qui non prophætorum modo scriptorum ingens illud pelagus, verum etiam sacros inexhausta legendi aviditate evolvis, Bibliothecâ utriusque linguæ autorum insigni instructus, ipse animata quædam bibliotheca, vivumque Musæum (id quod Eunapius Sardianus de Cassio Longino dixit) re ipsa existens, quippe cujus in pectoris scrinio librorum ferme omnium cognitio contineatur. Luculli illius magnifici ædes doctis viris Prytaneum quoddâ & aram fuisse refert Plutarchus. Vespasianus apud Philostratum gloriatur, se doctis hominibus patentes præbere fores, at nos justius hanc tibi peculiarem & germanam laudē tribuere possumus. Neque verò juxta siticulosos (ut in proverbio est) silentio bibere decet, neque raras etiam tuas virtutes obliterari, dissimularive par est, quarum
cer-

certissimus præco mihi exitit Arnoldus Cobelius thesaurarius, vir & litteratus, & litteratorum amans, tuique nominis studiosissimus. Certè prudentiam singularem, modestiam obviam, cunctisque expositam, æquitatis mirificam observantiam in te cuncti uno ore prædicant, admirantur, suspiciunt. Titum orbis amorem ac delicias olim appellatum legimus propter morum clementiam: talem te non Zelandia modò tua, sed Hollandia quoque nostra fert, delicias suas non perfunctoriè prædicans, utpote regionum bono natum. Viderat istud olim D. Erasmus, quum mirificam in te, jam-tum puero, præclaræ eruditionis spem perspexisset, utilitatem haud vulgarem toti patriæ à te accessuram non vanus vates auguratus. Autoritas verò (quæ dignitatis præcipuum est columnen) in te tanta est, ut præ cæteris heroibus te unum Carolus Cæsar, prudentissimus ingeniorum pariter & honorum æstimatòr, Belgicæ totius nomine Archithalassum designaret, commisso classium marisque imperio, qui, non contentus intra hosce quasi cancellos tuos honores inclusos stare, atque arctari quodam-

332 HADR. JUNII
 dammodo , Hollandiæ quoque nostræ
 gubernandæ habenas tibi tradidit. Quid
 nunc memorem imagines minimè fuc-
 fas, amplissimi tui generis ? quid vetustæ
 profapiæ dignitatem, clarissimo illustri-
 simæ domus Burgundicæ splendore, ceu
 sole quopiam, irradiatam ? Macte ergo
 virtute , generosissime Princeps , cui &
 coelum tantas dotes liberaliter contulit,
 & Regum munificentia testimonio non
 muto confirmavit, & populorum unani-
 mis consensus comprobavit: quem no-
 bis & literis diutissimè incolumen con-
 servet Deus Opt. Max. Harlemo. Nonis
 Martijs, anno cId Id LVIII.

P R Æ F A T I O

In Animadversorum libros.

*Reverendiss. amplissimoque Atrebaten-
 sium Præfule, D. Antonio Perenotto, Cas.
 Matii, primo Consiliario, literarum
 incomparabili Patrono, Hadr.
 Junius Medicus, S. P.*

NÆ illi, juxta Hyperiden ἀφ' ἑνὸς τοῦ
 ὅτι οὐκ ἔστιν ἄλλος, mihi videntur,
 Antistes amplissime, qui, posthabita me-
 liorum

hiorum autorum lectione, ad barbara, modò lucrosa nomina, animum totì adjiciunt, majore (uti sibi persuadent) compendio, quæ ad farinam faciunt, quod dicitur, quærentes, ac facultatem quomocunque partarum cumulum eruditionis pabulo animique saginæ præferentes. Nimirum isti, quibus in tenebris erroris atque incitiæ versentur, non vident, maluntque cum multis errare, quàm cum paucioribus mentis consiliique sanioris rectè sapere, & gloriam utilitatemque publicam privato censui posthabere. Quibus frustra sacer ille Pythagoræorum cœtus occinuerit, Regia via ne incedant, eo dicto non pedibus laborem præscribens, non præcipitia sectari nos præcipiens, sed symbolicè animum ad res neque vulgares, neque tritas appellere nos volens, uti scitè aureus ille Philon in oratione, *ὅτι πᾶς ὁ ἀνθρώπος, ἐλευθερὸς*, interpretatur. Quod ipsum ut mirificè stomacho meo semper fecit satis, ita illos secutus, qui dulci utile commiscent, nihil habui jam olim antiquius, quàm ita mea comparare studia, ut vetustorum, ac præsertim classicorum scriptorum lectione animi

penum instruerem , & inde communia studia pro viribus adjuvare satagerem. Nam quid turpius , & litterato homine indignius , quàm perceptos literarum fructus pomorum instar putrilagine consumi , atque interire potiùs , sinere , ne dicam invidere , quàm publicæ rei illos ipsos communicare? quid contrà liberalius , & omni seculorū memoria dignius , quàm editis libris Mercuriali aliquo sale tinctis , rem literariam , quā parte manca est , juvare , labantem confirmare atque erigere , hoc est , immortalī beneficio non posteritatem modò , sed præsentem etiam ætatem demereri? Proinde ne in me quoque Pausaniæ illud distringi posset , *βῦς ἢ αὐλείω κἀνήται* , nolui inutili maleque feriato otio tempus transigere videri , sed ubicunque liceret , studia non parco laboris conatu , ac honesta in primis quādam naturæ ingeniiq̃ contentione sedulò adjuvare. Quam ad rem cū idoneum apprimè argumentum nactus essem , hortatu maximè Antonii Moriloni tui , hominis , incomparabili doctrinā & omnigenā lectione admiraculum usque instructissimū , illud tui , amplissime Præsul , nominis auspicio in
publi-

publicum exire volui, utpote qui præter
 eximiam utriusque literaturæ cogniti-
 onem, & Musarum assiduus cultor, &
 literatorum liberalis patronus, imò pa-
 ter ubique & audias, & prædiceris: cujus
 accuratâ diligentia & incredibili sumptu
 comparata operosa illa, atque inexhausta
 vetustatis omnis inscriptionum, nu-
 mismatum, picturarum, symbolorum
 cognitio, ejusdem Morillonii industriâ
 propè divinâ, lucem accipiat, & inæsti-
 mandus orbi thesaurus aliquando futu-
 rus sit. Nostro huic labori Animadver-
 sorum ex re nomen indidi, affectationis
 tituli parum curiosus, quanquam ea ia
 re plerique superbiant. Tyro, Ciceronis
 libertus, Pandectas, velut opus omnia
 complexum, invulgavit. Aphricanus li-
 brum de re militari inscripsit *κέρως*, à
 varietate rerum, instar cinguli Veneris:
 quam inscriptionem usurpavit & Celsus,
 in quem stylum distrinxit Origenes.
 Aristoteles commentario suo in Homeri
 catalogum Pepli nomen dedit à laboriosi
 illius pepli Minervæ, toto quinquennio
 contexti soliti, similitudine, Clemens
 opus suum *πραγματῶν* inscripsit, ut &
 Origenes *πράγματα*, ab argumento texturæ

picturatum aragulorum. Diodorus
 historiam suam Bibliothecam appellat,
 ceu librariae officinae materiam omnem
 continentem. Phavorinus Copiae cornu
 ab omnium rerum fecundissimo ubere
 nuncupavit: Herodotus Musas: omnige-
 nam historiam Aelianus: ~~commentaria~~
 commentaria sua dixit Diogenianus,
 quod pauperibus, nedum pecuniosis,
 pro magisterio ea esse possent. Noctes
 Atticas Aulus Gellius scripta sua no-
 minat gloriose nocturnae lucubrationis
 argumento. Apud Graecos plures
~~scriptum~~ conscribere, materiae omni-
 fariae indicio, inter quos Callistratus
 apud Athenaeum, Philemon apud
 Prophyrium, Seleucus & Simonides
 apud Terentium, Ister Historicus apud
 Lycophronis enarratorem Zenen: quos
 secuti politicissimus Politianus, & super
 doctissimus Nannius Miscellanea in-
 scripserunt. Carlius similiter Lectiones
 Antiquas, Floridus succifivas, Victorius
 varias, Robortellus Annotationes, alius
 denique aliud in librorum suorum no-
 menclaturam traxerunt, ut quisque
 minimè vulgatâ viâ sibi insistendum
 putavit. Ego Animadversorum titulum
 non

non sine autore prætuli, quòd ab aliis
aut non animadversa, aut perperam
annotata in sex libros digesserim, infi-
nitos autorum omnis generis locos red-
dita luce illustrârim, nodos inexplica-
biles dissolverim, lectionem corruptam
& depravatam magnâ curâ interpolârim.
Quas difficultates omnes inexhaustis
laboribus, & multijugæ lectionis bene-
ficio superavimus. Porro ad superiorem
causam, cur tuæ Amplitudini foetum
non nuperum consecratum voluerim,
accedit vetustatis consensus, quæ sem-
per ad Principes viros laborum suorum
inscriptiones retulit; tum ut magno
liberalique patrocinio adversum vitili-
gatores, & lividorum ungues armatus
insisteret atque inniteretur: tum ut lecto-
ribus eo nomine probaretur magis, quòd
excelsæ fortunæ hominibus non nisi
elaborata fermè & ûnde quaque absoluta
deberi noverim. Itaque Præsul amplissi-
me, qui soles *ἀκλίστους ἡμέρας περιέχοντες*
ἀνδράσι (quod de se apud Philostratum
Vespasianus profitetur) si minùs apertis
foribus, quo voles tamen modo venien-
tem ad te librum benignè suscipito
hospitem, sub magna tui patrocinii

Z ;

umbra

umbra tutum : qui Cæsareis rebus , indubitato ipsius iudicio , certissimoque Nestoreæ cujusdam prudentiæ testimonio , feliciter humeros , velut alter Hercules , subjecisti , Atlanti genitori tuo , prætorii Præfecto , succedens : idem labores hosce nostros , non omnino (nisi fallimur) tuis eruditis auribus indignos , qua potes ope plurimum foveto atque suffulcito . Possem hîc in tuas laudes latius digredi , ac cum multis te supra humanam fortunam collocare : sed Lysippum plâsten imitari præopto , qui , quum Apelles Alexandro , à se depicto , fulmen in manum addidisset , dixerat , se hastam (cujus gloriam , ut veram & propriam nulla unquam deletura foret ætas) maluisse , Appellem assentationis insimulans . Vale incomparabile literarum , & studiorum ornamentum , tibi que addictissimum Junium in clientelam recipito . Harlemi . Idibus Martijs , Anno 1556.

EPI

EPISTOLA

Dedicatoria in Commentarium de
Coma.

*Prudentiss. & spectatissima eruditionis
viro, D. Martino, Aedituo Amsterodamo,
rei Medicæ experientiss. Doctori, Hadr.
Jun. Hornanus Medicus salu-
tem optat.*

Magna est in utranque partem con-
suetudinis vis atque tyrannis, hu-
manissime Martine, ut quidque aut
damnet libenter novum & recens, aut
longo usu receptum probet, ad exem-
plum morosæ senectutis, cui nova sem-
per sordent, vetera cum primis arrident
& commendantur, quantumvis illauda-
tiora. Quod ut argumentis doceri
multis potest, ita nunc de industria si-
lentio præteribo cætera omnia, solum
de recepto superioribus annis alendæ
comæ more, nunc desito & abrupto,
ac propterea magnam apud populares
meos invidiam sustinente, verba factu-
rus. Quod equidem argumentum non
malevolentiae stimulo actus in manus
accepi, sed ut justam consilii fastique

...verè semel
...fides
...aliquor
...ac à me
...munus
...quā turbidam
...Dii molam sal-
...Amsterodamo

Nunium
...infi-
...ore
...mati-
...mo

CANDIE
...ria

NIO

...singulis erga
...volentia testes
...tacci, emiq;
...quibus cum aleis
...men, em-
...perius, ang-
...perius, qui
...modum su-
...in li-
...fuit, qui
...de
...praeiun-
...aut
...quod
...fugato

...quis
...dis
...Testes
...infinita
...genera
...acto-
...fio-
...causa
...tamen
...an-
...trices,
...ingratis
...exhausta
...pri-

mei rationem, quoad ejus fieri possit, instituerem; novitatisque opinionem ex animis quorundam, consuetudinis jure nimis abutentium, exsculperem. Nam quum paucos ante annos ex Italia, (quò ad capiendum animi cultum fueram profectus) in patriam redissem attonso vertice, ex more Italæ gentis, cui me (sicuti *πολύτροπον* virum decet) in cultu non infeliciter attemperâram, plerique difficiles homines, & refractarii, qui cum Aglao Arcade nunquam patriæ, ut ille agelli sui, fines excefferant, coeperunt obgrunnire, factumque gravi viro, qualem deceret esse Medicum, indignum suggillare. Quapropter tum temporis, ut potui, vindicavi me ab inveterata illorum & improba pertinacia, quam tamen difficillimum fuit, altissimis radicibus insidentem, evellere, aut quod Græci dicunt significantius, *διερπιδι* eluere. Arcades, more suum glandibus vesci solitos, esum Cerealium frugum aspernatos legimus. Qui vapillum haurire consuevère, generosissima quæque vina respuunt. Antipodes, ex altissima Platonici specus caligine eruti, gratissimam hanc rerum faciem, al-

aīmamq̃ue lucem averſantur, longeq̃ue
 præoptant ad conſuetas redire tene-
 bras. Sic iſti priſtinæ conſuetudinis
 legem tenere mordicus malunt, quam
 ad nova, licet potiora, tranſire. Medea
 Ovidiana videt meliora, probatq̃ue,
 ſed deteriora ſequitur. At iſti animad-
 vertunt quidem meliora, haud probant
 tamen, & pravitatis erroribus imbuti,
 pejora amplecti non deſiſtunt. Proinde
 pleniorẽ ſuper hac re velificationem,
 quam tunc animo conceptam premere
 in commodius tempus operæpretium
 fore videbatur, nunc adornare viſum
 fuit, præſertim quum luſus iſte non ſit
 proſum illiteratus (niſi me mea fallit
 φιλαυτία) imo ſeria quoque ducat. Porro
 quum ternas ferè ſcribendorum com-
 mentariorum rationes olim fuiſſe obſer-
 vemus, ut aut literatos luſus in publi-
 cum darent, aut ut amicis gratificaren-
 tur, familiariumq̃; precibus acquieſce-
 rent, aut cum Platone ſenilis oblivionis
 remediũ quærerent. Quam Philoſophi
 ſententiam exprimens, Cicero vinde-
 miolas omneis eò reſervare ſe ait, ut
 illud ſubſidium ſenectuti paret. Certè
 prima ratio noſtro huic luſui patrociniũ

adferet, ut spero. Alioqui fateor argumentum esse per se tenue & exile, sed interdum etiam ad minutiora juvat descendisse. Sunt autores non pauci, qui simili in genere ludere non fuerunt gravati. Culicis encomium scripsit Maro; Lucianus Muscæ; Pulicis Michaël Psellus; & apud nos (nisi mentitur titulus) Naso. Laudatur ab Heraclide Lycio Labor, ab Aristophane Paupertas. Mortis præconium extulit Alcidas: Dion Prusæus Comæ: Synesius Calvitii: Calculorum Poly-crates: Clitarchus Teredinis: Quartanæ Phauorinus: Bombycum, Salis, & Somni laudationem alius quispiam: Moriae i. Stultitiæ nuper Erasmus. At nostrum hoc argumentum prosequi non piguit argutissimum Philosophorum Chrysippum, toto fermè quarto libro de honesto & voluptate. Equidem non profiteor hoc libello veritatem ipsam abstrusam ex altissimo Democriti puteo revocasse me, sed illustrare tantum conatum, ut morositatem quorundam, meum meique similium factum

* Neronis encomium scripsit Hieronimus Cardanus Mediolanensis: item Podagræ encomium.

dam.

damnantium, castigarem. Proinde per capita malui delibare argumentum istud, quam continente oratione ac perpetuâ urgere: neque verò tyrannicè sancire, quod nobis probatur, sed multiplici solum autoritate, & probabilibus rationibus id vindicare placuit. Quod si quis pro inveteratâ libidine antiquis mordicus inhærere malit, quam errorem agnoscere, & agnitum persequi, huic Martialis illud occinuerò: „ Non in-
 „ tret Cato theatrum meum, aut, si in-
 „ traverit, spectet. Tu pro tuo candore, benignâ fronte libellum excipies, benignioribus oculis spectabis & leges: si hoc non merebitur, pro tuo arbitrio in eum statue, quicquid libet, sive flammis dedi velis, sive aquis interire. Vale amicorum candidissime. Harlemi. sexto Idus Aprileis. anno 1556.

EPI.

EPISTOLA

Dedicator. in Eunapium Sardianum.

Ad Sereniss. potentissimamque Elizabetham, Angliæ, Franciæ, Hiberniæque Reginam.

TRitissimum multo usu, & à nemine propè non celebratum, atque in ore habitum est Platonis dictum, sed haud scio an rectè ab omnibus, & penitus intellectum; Sereniss. Regina, nimirum, feliciter cum regnis actum iri, ubi vel Reges philosopharentur, ac doctrinæ studia excolerent, vel sapientes & eruditione imbuti homines Regna administrarent. Quod ego dictum plus in recessu, quàm primore fronte ostendat, habere autumo. Nam quum Plato, ille ingeniorum fons, bina esse munia atque officia Philosophiæ voluerit, nempe divinas res nosse, & humana gubernare, tum demum felices ac beatas fore Respub. & Regna significare voluit, quando Reges cultus numinis coelestiumque rerum scientiam cognitam haberent, eaque instructi cognitione, leges sanctè administrarent,

pu-

publicis commodis invigilarent, populūque in officio continerent. Hæ nimirum sunt anchoræ binæ, quas ad confirmandam, quæ jactatur tempestate, navim demittendas censuit Thebanus ille vates. Hæ sunt nutrices geminæ, quas Jovi suo apposuit antiquitas, Itæ & Adrastia; recti moderatrix una, & sancti justique distributrix altera. Has ad regnorum gubernationem conservationemque necessarias administras judicavit Diotimus. Neque aliam philosophiam novit copiis doctorum virorum instructissimus Justinianus Imper. quando Jurisprudentiam quibusdam quasi cancellis definitionis circumscribens, illam divinarum humanarumque rerum notitiam esse censuit. Hanc philosophiam scientissimus omnis antiquitatis vates in Anio confudit, quem dum regem & sacerdotem eundem facit Judææ gentis exemplo, quid aliud, quam divinarum rerum gnarum fuisse, & populum imperii frænis sanctè rexisse innuit. Istæ artes (quæ tutiores firmioresque sunt seræ, quam quibus Græciam à se teneri prædicabat Philippus Macedo) divinitus tibi datæ, imperium tuum, Sereniss.

Re-

Regina, mirificè exornant, quando & has, & illas partes liberalissimè instituta calles, tueris, & sustines; quando ad imitationem Chrysanthæ Xenophontici nihil discriminis inter bonum principem & bonum parentem esse judicans, erga subditos parentis affectum geris & præstas, clementiæ pertinax, à crudelitate abhorrens, & cum primis aliena: hac in re Agidis, Spartani regis, æmula, qui absque armorū ope Regem posse imperiū habenas moderari dictitabat, si suis, uti parens liberis, imperaret: quando augustis almæ pacis artibus regnum alioqui florentissimum ornas, locupletas, & (ut sacrorum verbo utar) mactum reddis. Hinc est, quod inter præcipua hujus sæculi ornamenta sola Reginarum censearis, & cumulatissimis laudibus eveharis. Plato, ille ingenii princeps, & purioris philosophiæ fons, propriis nominibus divinam quandam & naturæ consonam vim inesse judicavit; neque abs re: quod enim convenientius T. M. genio nomen imponi potuisset, quàm quod illa præfert; quippe in qua elucet certissimum atque indubitatum Dei testimonium, id quod vox ista Hebræis so-

sonat, nimirum dulce ac salutare pacis studium, cœli amicum, nec aliunde nisi è cœlo proficiscens, in ipso ortu & natali hora tibi ingenitum, cui mox à relictis incunabulis, doctrinæ singularis & raræ adjumentum pro animi sale successit, lene Musarum otium adhibitum, cum quo adolevit, & per cubitos (quod dicitur) excrevit innata Eloquentia, Pacis comes, quæ tanta est variis in linguis, ut doctissimi quique Regum Legati ea obstupescant & percellantur. Quibus duobus ornamentis tuis, hoc est, Dei testimoniis, majus nihil, aut splendidius angustiusve comparari, ac ne exoptari quidem in Regiâ stirpe posse puto, in istâ, præsertim turbidâ, rerum publicarum tempestate: his duobus præsidiis regna optimè validissimeque muniri, pace nimirum & animorum conciliatrice eloquentia, existimo. Sed quid in tuis laudibus, Sereniss. Regina, immoror, quas quò magis extollo, hoc magis detero. Cæterû, quia video librorum nuncupationes, recepto, & quasi per manus transcripto more, ad Principes personas fermè institui, duabus de causis, vel ad captandam demerendamque

ta-

caliam gratiam, vel ad comparandum
 adjumentum adversus invidiam & ca-
 lumniarum virulentas linguas: qua-
 rum prior ratio à Diis ipsis petita vide-
 tur, quibus frugum primitias grata, &
 beneficiorum memor vetustas obtulisse
 noscitur; posterior ab amuletis, quorum
 adversus veneficia & fascinos facultas
 per ampla apud credulas, & possessas ho-
 minum mentes olim valuit plurimam.
 Utroque certè modo persuasus; atque
 adeo impulsus ego tuæ Sereniss. Ma-
 jestati EUNAPIUM, veterem scripto-
 rem, de quo latius in vitâ ipsius per-
 scripsi, dedicandum putavi; tum ut
 quasi in vota vocatam munusculo, non
 magno illo quidem, sed tamen raro &
 priscae monetae, quodque praeli bene-
 ficio nunc primam lucem admittit, de-
 mereret: tum vitilitigatoribus istis (ut
 verbo utar Catoniano) quibus nil unde-
 quaque rectum videtur, os obsrueretur
 tui luminis splendore. Eum laborem
 T.M. benignâ dextrâ & vultu sereno
 ab extero, sed qui regni tui incola olim
 diu extitit, accipere dignabitur &
 rueri, quam Deus Opt. Max. regno suo
 & Camoenis diutissimè incolumem
 con-

Epistola Dedicatoria. 549
conservet. Hælemo. Kal. Martij.
anno 1568.

HADR. JUNIUS HORMANUS.

EPISTOLA

Dedicat. in Emblematum librum.

*Clariss. Splendidissimaque viro, Arnaldo
Cobelio, Quæstori Arario Hollandiæ
meritissime, Hadr. Jun. Medicus.*

In Anuarij Kalendas, anni auspices, largiendis strenis sacrauit antiquitas; atque ea consuetudo jam inde à Tatij, Sabinorum Rege, in posteritatem transmissa est: quem verbenas felicitis arboris ex luco Strenias, novi anni auspices, primū accepisse auctor est Symmachus, argumento indubitato viris strenuis eas convenire, atque ob virtutem deberi. Decreveram itaque veterum factum imitator non otiosus affectari, ornatiss. Cobeli, ac dedicato tibi missoque strenæ vice libello Emblematum Kalendas prævertere, sed voluntatem eam sedulitas quædā, sibi instans, nec ferè unquam sibi satisfaciens abrupta: eam tamen occasionem elapsam eo minas iniquè patior, quod libri moles magis excreverit, quod

quò Emblematum numerus sit auctior, hoc est, quò largior usura fœnori accesserit. Bonæ fidei contractus rescindi nequit, comperendinari potest, habitâ fœnoris ratione. Itaque seriùs ad te xenii loco proficiscentem, libellum ex corollorati superpondio nihil deteriore putabis. Neque verò ex prolixitate captare favoris auram studui, quando unumquodque Emblemata libelli materia futurum fuerit, si compendio operosam verborum struem prætulissem; ac nisi tam posse occupato tibi displicere prolixitatem cogitâssem, quàm mihi, aut desiderantibus aliis est grata. Nimirum malui eundem mihi linguæ modum, qui est ingenii, qui est fortunæ. Scripsi autem plura, quàm injunxeras, ut delectum tibi instituere sit integrum, itidem ut sit in lustratione exercitus, ubi triariis & veteranis primus habetur locus, capite census, & gregariis numero summotis. Plurculum operæ positum est, cum in reddendâ symbolorum ratione, quæ obscurior paulò est, eò quòd brevitatem captanti, singulis versuum quadrigis & picturæ typum, & symboli rationem includere necessum fuerit,

tum

Epistolæ Dedicatoriæ . 551
tum in explicando picturæ apparatu,
ut ne pictor, quia locis disiungimur,
quidquam hîc desideraret. Adde, quòd
impensius & de industriâ sategi, varietate
metrorum condire opus, ut uniformis
lectionis fastidium hac parte levaretur.
Vale feliciter, & nos ama. Harlemò sub
Idus Januarias. anno 1565.

EPISTOLA

Dedicatoria Martiali præfixa.

*Natalibus & eruditione claro juveni,
Iano Douza à Noortwijck suo,
Hadr. Iunius, S. D.*

NActus olim ante annos complures,
Douza generosissime, lepidissimi
Poëtæ pervetustū ex abdito τ βιβλιοθήκῃ
specu in Anglia erutum exemplar,
quum se mihi valde probasset ob lectio-
nis varietatem, & sententiarum argu-
tiam, multorum hortatu excitatus ad
editionem, qui non parvum inde ope-
ræpretiū augurabantur, accinxeram me
tum quidem illi operi, & ut acceptius
foret illustrandis obscurioribus locis,
& impeditioribus, adnotatiunculas,
vice Ariadnæi filii futuras, adjeceram
con-

consilio non alio, quàm ut afferendae
lectionis veritate via muniretur: nam
imperitiam scholiastarum flagellare nun-
quam fuit animus. Istum laborem
ingratis meis tum temporis Pernæ cui-
dam in manus dederam, ea lege ut, quàm
posset accuratissimè, excudendum cura-
ret: verùm ea res Mandrabuli in morem
successit. Nam pràterquam quòd nomen
meum oblivione obruerit, mendis infi-
nitis librum resperferat: quòd ipsum
non ita pridem oblato fortuito exem-
plari, & percurso à me intellectum fuit,
visumque non abs re fore, si saxum illud
Sisipheum denuò occuparem. Proinde
nè jaceret ita conspurcatus liber, post-
liminii jure in manus receptum perpo-
livi diligentius, auctoremque illius majorem
induxi, ne mangonis (ut ita dicam) illum
sui puderet. Hanc operam, ne patrocinio
justo fraudaretur, tibi Douza doctiss.
nuncupandam esse dixi, cum ob miras
& singulares ingenii tui festivissimi
amoenitates, tum quòd leporibus &
salibus hujus Epigrammatici ita miri-
ficè delecteris, ut totum fermè com-
plexus memoriae sine videaris: taceo
mei observantiam singularem, quae
mu-

Epistolæ Dedicatoriæ. 553

mutuum præstare cogit, ni ingrati-
tudi-
nis atramento denigrari velim. Poëta
est, quod ipse non ignoras, ut ingenio-
sissimus lepidissimisque, ita idem scurri-
tior interdum & obsenior, dum perditissi-
mos sæculi sui mores clarè, & deducto
quasi velamine ostendit, ac propterea à
puerilibus manibus proscribendus. Sed
sapientis viri est, cū prudentissimo Ulysse,
obturatis aurium meatibus, vel obstructis
oculorum fenestris, tumultuaria lectione
cursim, quasi Nilum canis, Sirenæas
spurcicias vel præterire, vel dissimulare,
ne quid in animū, quod nolis, illabatur.
Qua in re ut es longè dextrerrimus, ita
tuo exemplo idem alios facitare optā-
rim. Vale, tuique Junii conatibus fave,
& defendendos suscipe. Harlemo. Kal.
Julijs, mihi natalibus. Anno 1568.

NOMENCLATORI

præfixa epistola.

*Illustrissimo Philippo Guilelmo à Nassau,
Comiti Burano, & in Leerdam, Dno. Isel-
steinii, Lannoij, Cranendoncki. &c.*

Hadr. Iun. Med. felicitatem.

Permagni referre, & Reipub. adeo
interesse, sapientes viri, & ex doctrina

clari semper judicarunt, quæ præcipue ratione primum ætatis tyrocinium erudiatur: quin tamen optimis imbuendi sint rudes anni, neminem sanæ mentis reclamaturum autumo, quod cum veterum gravis auctoritas, tum ratio quoque ipse evincit: quando lana rudis quem primum è cortina colorem accipit, pertinacissimè imbibit, & in panni carnem transmittit. Proinde justissima ratione fons ille ingeniorum Virgilius, multum esse adeò à teneris assuescere, cecinit. Jam verò videmus, docetque experientia fides, sementem primæ etiam notæ, agris injectam, nisi diligente cultura pastinetur, in deterius abire ac degenerare: quod ipsum usu venit in mollibus animorum arvis, eò quidem promptius, quò mollior est & sequacior isthic materia; non male propterea à doctis molli ceræ comparata: quæ causa est, quor deligentia præceptorum, atque industriæ adminiculo vel inprimis opus habeat. Eam verò in partem cum sedulo incubuerim à multis jam annis, instituendo cum meos, tum alienos aliquando liberos, nullam majorem in literis difficultatem expertus esse mihi videor, quàm

quàm in reddendis propriis rerum nominibus : qua cognitione etsi vix aliud sit vel locupletius, vel utilius, vel etiam necessarium magis, aut in quo majus sit momentum & pretium operæ ponendum ; video tamen rursus negligentius nihil, vel supinius tractari à Latinè sonantibus, sive literatoribus, sive professoribus, ejus rei prorsus securis, quàm proprias rerum nomenclaturas, non sine ineluibili, aut certe parum benè excusabili eorum omnium probro atque dedecore. Etenim locuturi de re quapiam, etiam illi, qui magnam in literis sui opinionem excitarunt, ad generalia communiaque confugiunt vocabula, vel barbaris, & peregrina è lingua petitis utuntur vocibus, vel gravem sibi ipsi turpitudinem infligunt, dum tanquam in salebris hærentes caput scabunt, unguem arrodunt, neque se explicare valent. Unde fit, ut labem istam sustinere cogatur pueritia, pravis usâ ducibus ; eaque contagio, postea in adultam repens ætatem, firmas agat radices, &, quod dicitur, in mores transeat. Itaque sedula opera, & multiplici, variaque auctorum utriusque linguæ optimo-

rum lectione collegi rerum vindemiolas;
quarum nomina propria suas in classes
digessi, diversisque linguis explicavi,
rem arduam & periculosaē aleae plenam:
adde etiam multorum (qui praëjudicatâ
opinionē sententiam mordicus obfirmâ-
runt) invidiæ calumniæque expositam
aggredi me non ignarus. Sed vicit utili-
tas, ad pueritiā, liberalibus studiis ope-
ratam, per te dimanatura, Comes illu-
strissime, cui labor iste operosus despon-
sus, destinatusque est, & felice auspicio
ejusdem in usum omnium publici juris
factus. Cui namque justius consecrare-
tur, aut cujus patrocinio adversum
Momos, & malevolorum morsus, ob-
treptionesque niteretur, haud alium
ex omni nobilitate, quàm te unum
deligere visum est; quippe quem in non
dubiam liberalis eruditionis, ac præclaræ
scientiæ spem Everardo Hario, pueritiæ
tuæ formatori, singularis doctrinæ ju-
veni, credidit illustriss. tuus genitor
Guilhelmus Nassavius Arasinus Princeps:
ille te scientia augebit, hic exemplis
ornabit clementiæ, modestiæ, ac in-
comparabilis prudentiæ: qui nihil prius
habet, aut antiquius, quàm te literis,
veris

veris animi luminibus, non tinctum, sed imbutum & excultum planè videre: quem nos Hollandiæ Ephorum quendam longè æquissimum, & rerum gubernaculis summa cum laude, & gratia assidentem experimur: cujus in sedandis intestinis istis moribus, & tuendâ fartâ ac rectâ civitatum concordia ea dexteritas, & moderatio extitit, ut Principibus aliis facem præluxisse, gloriam eripuisse plerisque credatur. Is est, quem cum Tito amorem, ac delicias humani generis nominare liceat: tantus virtutum ejus fulgor, militiæ togæque artibus conjunctus, acies cunctorum præstrinxit, ut æmulum ferre queat, inimicum non possit. Quid memorem hîc majorum tuorum, bellicâ laude & prudentiâ illustrium, longam seriem, familiæ vestræ præcipuæ lumina? cùm unus multorum loco sit avus tuus Maximilianus, quem libenter Achillem Belgicum dixerim: cujus claritatem nulla obliterabit ætas, dum Rhenus nobilissimus amnis Oceanum influet, virtutis illius locuples testis: quando adversa ejus ripa, refulgentibus armis prætexta, impetum illius arcere nequivit, quin mediam Germaniam

E P I S T O L A

Dedicatoria in Plutarchi Chæronæi
Symposiaca problemata, hoc est,
Convivales sermones.

*Clarissimo Equiti D. Francisco Dilso ,
Cæs. Ma. apud Angliæ Regem Oratori
digniss. Patrono suo , Hadr. Iunius
Medicus. S. D.*

Silphium , cujus nobilitatem , maxi-
mumque pretium non tacuere vete-
res , vir omnibus & naturæ , & fortunæ
dotibus cumulatis. Dilsi, incultis agris
lætius provenire ; quòd si excolatur ,
degenerare , à scriptoribus proditur : at
longè diversa est amicitia , unius om-
nium præstantissimi boni , ratio , quæ , si
habilis & constans permanere , si diffun-
di ac propagari debeat , perpetua , aut
quæ saltem accedat ejus cultura
cessur est : hæc autem officiorum vi-
tudi obitur constantissimè. Pro-
n jampridem in suorum ami-
um tua benignitas immeren-
optârit ultrò , nihil habui an-
hil prius , quàm ita me com-
ne indignus amicitia tua

A a 4

exi-

pervaderet, à quo spes Cæsaris omnes,
 & victoria pendeabant. Omitto proavum
 • tuum Florentium, alterum Fabium
 Cunctatorem, qui insigni strategemate
 Carolum, nondum Cæsarem, tanquam
 opportunum bolum, è Galli faucibus
 olim eripuit: taceo alios plures. Tu
 interim, Comes illustrissime, opus istud
 (cui Nomenclatori è re nomen indidi,
 quòd veluti nominatim rem quamque
 appellet, ad cæterorum hominum ex-
 emplum, qui inexhausta memoria salu-
 tatorum nomina narrare fuerant edocti)
 benigno vultu accipe, & nominis tui
 auctoritate illustratum; atque in patro-
 cinium susceptum tuere. Is enim nomi-
 nis vestri genius est, ut ultro sit invita-
 turus ad emptionem lectionemque omnes,
 ad quos fama inclyti nominis, per orbem
 longè lateque vulgati, peragravit. Deus
 Opt. Max. diutissime nobis, Musisque
 incolumen te conservet. Harlemopridie
 Kalend. Januarias. Anno M. D. LXVF.

EPI.

E P I S T O L A

Dedicatoria in Plutarchi Chæronæi
Symposiaca problemata, hoc est,
Convivales sermones.

*Clarissimo Equiti D. Francisco Dilso ,
Cæs. Ma. apud Angliæ Regem Oratori
digniss. Patrono suo, Hadr. Iunius
Medicus. S. D.*

Silphium, cujus nobilitatem, maxi-
mumque pretium non tacuere vete-
res, vir omnibus & naturæ, & fortunæ
dotibus cumulatis. Dilsi, incultis agris
lætius provenire; quòd si excolatur,
degenerare, à scriptoribus proditur: at
longè diversa est amicitia, unius om-
nium præstantissimi boni, ratio, quæ, si
stabilis & constans permanere, si diffun-
di ac propagari debeat, perpetua, aut
frequens saltem accedat ejus cultura
necessum est: hæc autem officiorum vi-
cissitudine obitur constantissimè. Pro-
inde quum jampridem in suorum ami-
corum album tua benignitas immeren-
tem me coöptârit ultrò, nihil habui an-
tiquius, nihil prius, quàm ita me com-
parare, ut ne indignus amicitia tua

existimari possem, alerem verò atque conservarem eam pro mea facultate, quantum liceret, & ubi possem: facultatis autem meae tenuitas, ut est contractissima, ita, quam latissime se diffundit, in literario aliquo munusculo, quod è Græco fonte accessimus, consumitur: quod ipsum non tam demerendi, quam præstandi officii nomine quaeritur. Cæterum quod aptius, & convenientius tibi munusculum queat mitti, quam doctissima doctissimi Plutarchi foetura? in quo scriptore rarissimam reconditissimamque eruditionem, & divitem cum primis verborum, ac rerum copiam mirantur (ut nosti) docti omnes. Delegi autem mihi ea, quæ & à professione mea non abhorrerent (sunt enim quæ vel ex professo in naturalium rerum ventilatione consumuntur) & quotidianis usibus servirent ferè, lectu non minus jucunda, quam plena eruditæ frugis. Ejusmodi sunt Symposiaca, sive dicam Latine, Convivalia Problemata, quæ in conviviiis proponi, disputarique olim solebant, more (ut equidem arbitror) laudatissimo: atque utinam cum nostro seculo ita effet comparatum quoque, ut
li-

literatas potius epulas, quàm adipatas
 Saliarēsq; sectaremur, & convivia con-
 daret citius doctorum virorum, excellen-
 tiūq; ingeniorum industria, quàm
 ganeatæ archimagirorum manus, quod
 ipsum suā jam-tum tempestate apud
 Dionis familiareis deplorabat magnus
 ille Plato. In condiendis verò hisce
 sermonibus utitur plerunque probabi-
 libus argumentis, nihil astruit demon-
 strationibus scientificis & irrefragabili-
 bus, quas *πραγματικὰς ἀποδείξεις* appellat
 Aristoteles: has enim simplex illa con-
 vivālis colloquii, ubi suam quisque sen-
 tentiam depromit liberè, gratia respuit.
 Itaque morosiori cujuscūque rei Medicæ
 censori videbitur fortassis alicubi à recto
 sincerioris Medicæ rationis tramite ar-
 gumentis, in speciem veris deviare: id
 quod expenso judicio consideranti non
 erit exagitandum iniquius. Constat
 enim in hisce libris eum partim sua
 responsa, ad propositas in symposiis
 quæstiones ex tempore adducta, referre:
 deinde & suo quæque sensu duci, &
 pro capitum numero variare sententias,
 extra controversiam est positum: adde
 huc non protinus idem esse, ridiculane,

& probabilia, sive rhetorica, an ex confesso falsa proferas. Rectius igitur imitabimur Zenonis exemplum, qui, in theatrum descendens, citharam pulsante quodam, ad discipulos dixisse fertur; Proficiscamur intro, ut, quem reddant concentum nervi, assulae, & verticuli, numerorum atque ordinis participes, discamus: ita quoque operæpretium est audire nos ista, & legere, quò percipiamus, quantum assecuti sint hi disputatores in reddendis veris rationibus, quantumve aberrarint. Hanc Convivalium Plutarchi Problematum farraginem, à me pro meo modulo utcunque Latio donatam, tuo, vir ampliss. genio consecrare visum est; idque non unam ob causam: cum quòd tu unus facile omnium doctissimorum doctos, & vel mediocriter literis tinctos amplectaris, foveas ingenia & exosculeris: tum quòd nominis mei studiosum te perspexerim; tum verò quòd literatos sermones ubique variis de rebus, ut quidque fors obtulerit, & accipere, & reddere ament: nec hoc modò, verumetiam scriptorum omne genus, quod Musæ condierint, continenti lectione, ac uno propemodum

dum spiritu perlegendo devorare gaudeas, parcissimus temporis exactor; qua in re secutus mihi videris M. Cato-
 ,, nis illud, quod in principio Originum
 ,, scriptum reliquit, Clarorum virorum,
 ,, atque magnorum non minùs otii,
 ,, quàm negotii rationē extare oportere. Istud perspectum habens Divus Cæsar,
 omnis ætatis memoriæque clarissimus
 Princeps, ob raras animi tui dotes,
 variam ac reconditam eruditionem,
 singularem prudentiam, expromptum
 ingenium, Legati personam tibi im-
 posuit; at apud quem? nimirum apud
 potentissimum prudentissimumque, &
 acerrimum ingeniorum æstimatorem
 Henricum VIII, Angliæ Regem, cui
 quantopere proberis, quantum is tibi
 tribuat, quæve auctoritate te audiat,
 notius est, quàm ut commemorare atti-
 neat. Superfedeo in præsentia de splen-
 dore familiæ, ac numeroso heroïcarum
 tuarum virtutum comitatu verba facere,
 ne tuis auribus plusculum dare videar.
 Interim, dum majora paro, vir ornatiss.
 libellum hunc, tuo inscriptum nomini,
 hospitio dignabere, hilari fronte exci-
 pies, uteris denique, si merebitur, &

564 H A D R. J U N I I
defendes quoque adversus dentatos ma-
levolorum morsus, si usum postulet.
Vale literarum decus incomparabile.
Londini septimo Idus Januarias. Anno
1547.

E P I S T O L A

Dedicatoria, Hefychio Milesio Illu-
strio latinitate donato, præfixa.

*Cornelio Bickero Amsterodamao, opti-
mæ spei adolescenti, Hadrianus Junius
Medicus S.*

QUOD de Fortunâ, rerum dominâ
dixit Plinius, eam nimirum utran-
que facere paginam: idem de institutio-
ne, & disciplina cur efferre mihi non li-
ceat, amantissime Bickere, quando penes
eam sit principatus, & momentum om-
ne in regendo, moderandoque vitæ
cursu: quæ si recta sit, næ illud fœcundû
virtutum seminarium expectandum est:
sin prava, nihil isto plantario infelicius.
Itaque meo judicio institutio cōvenien-
tissimo vocabulo, quo Theano Pytha-
goræa usa est, *κοινὸν* vocari potest,
tanquam fundamentum tincturæ, quo
lanam primam infectores sufficiunt, ut

CO-

color ſit pertinax. Iſtud quum non lateret genitorem tuum Petrum Bickerum, virum prudentem & conſultum, pueritiam tuam ſtatim extra domeſticas illecebras, virtutis avocamenta, ſeponendam Trajectum curavit, ubi, tyrocinii depositis rudimentis, palatum tibi apud optimos præceptores fingeretur, imbuereturque: id quod feliciter ibi cecidit, quando, præculcatâ voluptate, blandiſſimâ Sirene, ingeniorum corruptrice, in literariâ arenâ ad indiſtriæ palum ita gnaviter ingenii tui nervos exercuiſti, ut indiſiſ haud levibus magnum à te operæ pretium, ornamentumq; cùm familiæ, tum patriæ communi expectandum eſſe aliquando auguratus fuerim: Memini legiſſe ſcriptû à te in hoc herbeſcentis ætatis rudimento carmen non unum, in quo penè ad ſtuporem me traxit ſenile, neſcio quid, & maturum præter inventionis acumen, aptam diſpoſitionis fabricam, & in poëticiſ numeris ſplendorem. Neque verò effectum ad aurium voluptatem ſermonem tibi adhiberi à me exiſtimes velim: quin potiùs faces quaſdam, & incitamenta laudatæ indiſtriæ, quæ à me dicuntur, ex

animo sincero profecta esse cogita. Jam vero ab amœno illo & jucundo studiorum viridario, tanquam ad temperamentum quoddam, in philosophiæ præcepta sapienter transtulisti consilio parentis tui, quem antea nominavi, qui ex istâ dulcis cum gravi miscellâ omne momentū, ad altiora studia secuturum, prævidet: sic Homerus in laudatâ virginis formâ lactis candorem cum rosæ purpurismo rectè contemperat: & ferri duritiem stomomatis acie bonus faber aptè corroborat. Isto ergo veluti coagulo, philosophiæ nimirum cum humanitatis literis, ita pectus linge, ut ad sublimiora quæque studia viam munias, eaque decorè committas, sicque ad sempiternum gloriæ cursum cum laude aspires, & justissimo patris desiderio (quem domesticum habes virtutum exemplum, & præclarum eloquentiæ lumen quoddam) satisfacias, omniumque vota cumulatè impleas. Accipe ergo strenæ vice, meæ de te expectationis testimonium, Hesychium Milesium, qui de Philosophiis, & doctrinæ ope illustribus viris scripsit, nunquam antehac typis evulgatum, & à me Latio donatum.

Epistolæ Dedicatoriæ. 567
tum. Vale Harlemo. Kal. Jan. anno
à partu virginis LXXIII.

EPISTOLA,

Dedicat. Bataviæ præfigenda.

*Illustriss. Principi Guilelmo à Nassau,
Principi Arausino, Comiti à Nassau,
D.^{no} de Breda, &c. Hollandiæ, Ze-
landiæ, & Frisiæ Gubernatori
digniss. D.^{no} suo clementiss.
Hadr. Iun. Med. S.*

Batavia, cujus gubernacula tibi fe-
liciter commissa sunt, Princeps Ill.
ad tuas venit manus, non fugo, lenoci-
niõe ad sui commendationem oblita,
sed veritatis cultu, atque ornamenti
gratiam apud te aucupans, ut interius
benevolentiae tuæ sacrarium illi reclu-
sum pateat. Is namque laborum fructus
est maximus, idemque dulcissimus pla-
cere magnatibus & mèlioribus, ac pro
industria judicii palmam (ut Symmachi
verbis dicam) promereri. De illa quum
jejune, parceque admodum veteres me-
minerint, hinc adeo majus mihi onus,
majorque difficultas incubuit ad exqui-
renda nativa, & vernacula ejus ornamen-
ta.

Itaque magnâ industria, & accuratâ diligentia congestum à me est, quicquid ad patriæ antiquitatis (quæ inter laudata, & diis proxima æstimari solet) gloriam pariter & laudem conqueri potuit, è veterum vineis vindemiolas omnes colligendo, non è nuperis recentiorum conjectaneis, aut indoctis, fabulosisque Annaliû monumentis. Huic operæ unde potius patrocinium quærerem, quam ab Illustri tuâ Celsitudine, quæ me olim accuratâ commendatione apud Ordines Bataviæ ad Historici munus prævexit? Proinde salis omnis expers meritò videri poteram, & prorsus (ut cum Catullo dicam) plenus ruris, & inficetiarum, si alteri opus nuncuparem, cujus per te prima auspicia, ac fundamenta jacta fuere, quodque magno desiderio tuum reditum ante triennium propè expectavit. Quare quum adversus fascinum, & malignitatem eorum, qui labores iniquis æstimare solent, Principum virorû defensiones & patrocinia, ceu amuleta quæpiam, comparari vetusto exemplo receptum sit, ad Ill. tuam Cels. confugiendum putavi, quæ malignorum specula retunderet, quando sæpenu-

penumero usuveniat, ut qui dextrâ porriguntur sermones, ab aliis lævâ excipiantur, id quod olim Theodorus conquestus fuit. Is verò tuus est genius, Illustrissime Princeps, ut cunctis comem, & facilem te præbeas, neque ab accessu gratiæ tuæ bonos & doctos, in quibus aliqua virtutis scintilla relucet, excludas, inter Principes benignitatis principatum facile tuiturus. Nolo hîc supervacaneum laborem sumere in ebuccinandis tuis laudibus, quòd primates viri, suâ laude conspicui, precariis aliorum testimoniis non indigeant: quibus injuria fieri sic videtur, eadem plane ratione, quâ Soli, si facem illi accendas, claritatemque illius invictam luminis accessione adjuvare coneris. Nolo generis altissimam antiquitatem, atque inde claritudinem hîc commemorare, quâ in universâ Germaniâ vetustiore hand reperio: siquidem ante mille sexcentos annos tuæ stirpis Julius Cæsar inter primos Principes meminit, duos fratres nominatim recensens, qui Suevorum (ita tunc vocabantur, quos insequens ætas Alemannos dixit) copiis, in Galliam transitum molientibus, cum imperio præ-

præfuerant; quorum alterum à Principatus nomine Nasaum appellat, alterum Cimberium; in illo vestrae originis memoria relucet, in hoc Comitum à Zimmeren. Supersedeo plura verba facere, ne prolixitate occupationes tuas, & sacras pro Reipub. salute curas morer, atque interpellem. Interim benigno vultu, Princeps Illustrissime, hunc primum Batavicae Historiae tomum in clientelam tuam, ac patrocinium suscipito. Harlemi. Nonis Novembr. anno à nato Christo. cIo Io LXXII.

HADR. JUNIUS Med.
deditiss. cliens.

O R A T I O

De liberalium artium dignitate.

ET si dignissimus vester confessus, inexpectata frequentia, incredibilis audiendi aviditas, viri Celeb. Ju. D. animum mihi ad dicendum augere deberent, nescio tamen, quo malo fato accadat, ut trepidare, labascere, planeque dejici animus videatur, praesertim quum mecum cogito, quomodo eum, qui

qui sibi publicè orandi provinciam desumit, inter infinitas difficultatum Symplegadas colluctari contingat. Nam si in tanto coetu dispares hominum formæ, variae nationes, variae linguæ; varia sunt & judicia, varia palata. Nec mirum id videri debet, cogitanti, quòd cùm omnis mundi machina ex mutuâ discordiâ compacta sit (quod Heraclitus ille magnus Philosophus, significare volens *πάντες πάντων*, i. *Bellum omnium parentem* pronunciavit) certè Natura, quæ in hominum creatione mirè lusit, dum mira ingeniorum portenta produxit, eandem discordiam abundè testatam fecit, quum ex mille vix duos, idem sentientes, reperire possis. Mecum itaque sic apud animum agitabam: Quòd si Flaccus rectè trës inter se convivas palatis discrepare putat, quàm multiplicem iudiciorum aleam subire debebit, qui in frequenti coronâ, magnâ hominum multitudine dicere audebit, in quâ quidem herclè palæstrâ mihi nunc desudare videor! Alios juvat nuda & simplex dicendi norma, humi quæ propemodum repens; alios sententiis densa, verborumve fluminibus æstuans oratio: nihil tri-

triviale delectat. Sunt, qui illum, qui
 flosculis importunis, hinc inde emendi-
 catis, orationem ornare studio habet,
 Herculem scilicet, Omphales mundo
 deliciisq̃ue imbutum, admirantur, ex-
 tollunt, evehunt. Nec desunt, qui
 versuum numerum, ut animum, curant,
 nec itidem curant in illis, quàm sint
 nervorum, sanguinis, succive pleni,
 ut in his quàm sint nitidæ, & habitus-
 culæ. Jam quod horum potissimum
 deliget sibi, qui ad vos oraturus venit,
 operosum vel inprimis est: atque erunt
 fortasse, qui mediâ ~~reusque~~ eundum esse
 censebunt, ut ex æquo satisfiat omnibus.
 Certè obscurum mihi non est, omne
 tulisse punctum, qui dulci utile miscue-
 rit, sed iidem illi, quàm id non sit factu
 pronum, quàm porrò periculosæ aleæ
 plenum opus sit in neutram declinare
 partem, haud æquâ judicii lance expen-
 dunt. Quare postpositâ istiusmodi discep-
 tatione, animantium brutorum in hoc
 ingenium sequi haud gravabor, quæ
 suo quæque ductu ad alicujus rei de-
 lectum feruntur, sic capra cytisum,
 ut Latinus noster Theocritus habet,
 sic lupo capellam sequitur. Ego verò
 ita

ita me comparare statui, ut de reliquo
securus proprium meum dicendi filum
persequar, ratus, nec temere, cutio-
forum hominum, aut veriùs Lamiarum
nullum quantumvis oculatum, posse
παλινεργεῖν effugere. Itaque jam ad
institutum argumentum accingor, quod
de omnium artium liberalium dignitate
suscepimus, ac ad earum studia cohorta-
tione, re mehercule ut cum primis
difficili, ac laboriosa, & alterum in dicen-
do Periclem postulante, ita vel maxime
odiosa, invidiaeque jaculis exposita.
Quapropter, ut ne prolixior sim, ex-
ordior. Hoc tamen oratos priùs, an
exoratos potiùs vos volens, ut, quod
facitis, patientem mihi aurem tantisper
commodetis, dum nunquam, uti arbi-
tror, vobis audita, nec utilitatis parum
allatura in medium adducam, quæ si
præstitero, dixero, ut volui; sin-
minùs, ut potui. Mortalium igitur
naturam primore, ut vulgus
hominum ferè solet, fronte consideran-
ti, mira rerum fragilitas; caduca folio-
rum instar constitutio, instabilis varie-
tas, præceps affectuum libido, inevi-
tabilis fati necessitas, morborum, in ipso
ve-

veluti corporis solo scaturientium, quod Democritus dicere solebat, mundus, brutorum eam conditioni similem, si non deteriolem, reddere videbuntur; ita ut jure ferè alicubi Menander Comicus aselli conditionem, quàm hominum, autumet (ut cui *καὶ τὸ δὲ αὐτὸν ὕψος ἔχον*), quum vice versa hominibus obveniant *ἀπὸ τῆς ἐνέστες τῆς φύσεως κατὰ*) & fortius etiam alibi quidvis esse se malle, si à fatis daretur optio, quàm hominem, profiteretur. Sed quum penitus mentis oculis verum inspicere, profiterique volumus, quatenus nimirum verè *ἀνδράποδος* à sursum vergendo, non ut Latinè sonat ab humo, quod Varroni placuit, homines & nominabimus, & considerabimus, planè ex diametro cum illis pugnantia inveniemus, nihil caducum, nihil instabile, omnia firma, solida, divina denique, & ob quæ Deorum naturam propemodum subire videantur, videbimus. Verùm hos bonorum occultos indagare thesauros studentibus nobis, ab * Animâ ipsâ auspiciū sumendum erit, quippe quæ similiter cum Deo proprio suo motu, eoque perpetuò agitur, ac proinde etiam

* Anima.

im-

immortalis, nulli interitus sortì obnoxia
existit : sed quominus inde exordiri
orationis nostræ telam velimus, facit,
quod sine eâ, non hominum, sed nec
animantium quidem in universum no-
men mereamur. Age igitur à * Ratione,
quæ nihil aliud est, quàm anima humana,
incipiamus. Quid igitur eâ, Ratione
inquam, divinius? quæ perpetuo mo-
tus tenore fertur, longeq̃ue venturâ
prævidere nos facit, quod sub Japeti
Prometheiq̃ue Allegoricis nominibus
Theologia vetus significare voluit, ea-
dem affectus imperio cohibet, cunctis
æquissimas præscribit leges. Quid ma-
jus † Mente? quam habitum animi per-
fectissimum definiunt Philosophi, cujus
opus est primo, simplici q̃ue appulsu res
complecti, & percipere certius rectiusq̃;
quàm per demonstrationem. Quam etsi
integram non habemus, quædam saltem
ejus vestigia, vel dicam rectius, simulacra
ad nos pervenerunt, quæ nimirum sunt
communes conceptus (alii axiomata vo-
citât, sive lemmata, sive quo velis cunq̃;
alio modo nominare, nihil interest, nec
enim de nominibus contendere liberale
esse duco.) Atque hinc est, quòd Aristote-
les

* Ratio. † Mens.

teles

teles, naturæ totius lumen, scitè admodum scientiæ principium eam appellavit. Quid * Diancæâ illustrius? quam veluti progressum ad *Ἀλήθειαν*, semitamque, ex propositionibus indubitatis ad conclusiones (quas hac de causa in Sophista Plato *διανοίας* terminos appellat) ducentem, non incelebres Philosophi dicunt, unde certè & nomen ea habere videtur. Quæ quidem, veluti arbitra, res solo intellectu perceptibiles, & à materiæ nexu liberas, cum sensibilibus committit. Quid nobilius † Opinione, sive *Ἀεστimatione*? quæ, à sensu irritata, rerum producit rationes, non secus, atque is, qui latitantem sub cinere, favillæve ignem resplendere facit. Unde quidam moti, etiam Præceptores nobis non cognitionem infundere, sed in nobis existentem, quasiq̃ue occultatam ejus scintillam ad lucē revocare asseruerunt. Quid ‡ Voluntate optabilius, quæ animæ rationalis peculiaris est, boni honestique desiderio semper flagrans. Quid sublimius, liberiufq̃ue * Phantasiâ? quâ quasi *φαντασίαν τῶν ἐν φανερῶν γένει*, hoc est, rerum apparentium statum, esse dicunt.

* Diancæâ. † Opinio. ‡ Voluntas. * Phantasiâ.

Hæc

Hæc enim in se, quæ extrinsecus apparentia occurrunt, statuit atque format: quam enimvero non abs re Mentem passivam dixit esse Stagyriles ille: mentem quidem, quod simplici appulsu, licet non subito, res comprehendat, passivam verò, quia sine typis ac figuris cognoscat nihil. Hanc cum Sensu confundere voluerunt quidam, sed temerè, quum non parvum inter eas discrimen esse deprehendamus, * sensum enim rerum sensibilibum præsentia metimur. Phantasia his, etiam absentibus, consistit: ille in solis vigilantibus inest, hæc etiam somno oppressis, quando videlicet animus, qui semper motibus indefessis viget, nexibus corporeis solutus, visa nocturna colligit, ut haud ociosè Ammianus scripsit. Interim de cognitione, quæ per sensus perficitur, supersedere statui, non una de causa, primò, quod brutis etiam animantibus communis sit; deinde, quod rationi refractaria, minimeque obsecundans sit, quod vel eo uno manifestum facit, dum milles dicentem rationem audiat, quod terrâ sol major sit, cum tamen pedalem cernat, nec aliter nobis esse dicet. Præ-

* Sensus.

B b

terea

terea, quòd nřl nisi per corpus comprehendat. Postremo, quò nec illud ipsum, quod cognoscit, nřrit, quippe cujus substantiam videre illi negatum sit, ut exempli gratià, quid album sit, ignorat, sed quòd album sit per passionem, sensorio impressam, agnoscit. His ex causis omnibus & bruta, & rationis omnis expers sensus constitutio elucescit, atque idcirco ejus inter ea, quæ hominis sortem beant, meminisse nolui. Itaque
 * Homo jure maximo ab antiquorum uno πᾶντων θῆ, licet ridiculâ ex Homero ferii sensus detortione, à Zoroastro πολυμερῶς φύσεως τέχνασμα, quoniam rebus arduis se applicat, & ab innumeris Philosophis μικρὸς κόσμος dictus est, non ob corporis talem, qualem videmus compactionem, seriatamque membrorum collocationem, ut Solinus, & ex Latinis alii quidam velle videntur, sed quòd univērsū similiter mentem habeat † homo, & rationem, & corpus divinum pariter ac mortale, & quòd congruam cum universo proportionis distributionem obtineat: nam mentis

* Homo. † De homine, ejusque δυνάμις vide Psellum in Anagoge de Sphynge.

par.

partem intellectivam , proportionem respondere immobili mundi sphaeræ , non infimæ classis Philosophi , rerum naturæ acutissimi inspectores ventilatoresque, voluere, quemadmodum rationis partem speculativam , quæ se ad primam causam reducit , Sturno : Politicam , quæ prudentiâ & se , & alios gubernat , Jovi : quæ concepta vocis eloquio promittit, Mercurio. Irrationalis verò animæ pars ea , quæ iræ fervori obnoxia est , Martis temperamento non inconcinne congruere videbitur ; quæ autem libidini servit, Veneris ; quæ verò nutrit, auget, generat (in tres enim partes τὸ φύσις diducitur) Lunæ : Visus verò vehiculum Soli . Mortale denique hoc corpus, ex quatuor elementis concretum , ejusdemque cum iis sortis , sublunari orbire spondet. Ita multis modis rationibusque hominis divinitas intelligitur, elucescitque ; & si prophanae hoc patiuntur aures, testatur brevissimo elogio illud ipsum Rex Israëlites , quum apostrophens ad Deum Opt. Max. faciens de gratuitis illius erga hominem beneficiis , * *inferiorem hominem paululum Deo fecisti* , inquit . Nec his modò contenta

Natura parens profusionis suæ terminos illi claudere voluit, sed insuper triplicia* genere bona proposuit, quæ ex nostris hominibus quidam Animi bona; Corporis, & Fortunæ, siue externa, adventitiaque dixerent, quibus variè uti posset, tum ad id, quod defluxis in rerum naturâ continui culpâ deperderetur, restituendum; tum ad id, quod prius non adfuit, adjungendum. Data proinde necessario illi etiam fuit facultas appetendi ea bona: frustra enim quippiam (quod in naturalibus ventriculi, quæ obit, muniis quotidiano usu compertum habemus) porrigitur, si præsto non adsit adpetentia. Quæ autem illa facultas sit, post paulum dicemus. Nunc verò quò clāssus quæ diximus, elucescant, exemplo fabuloso, tanquam in speculo, oculis exhibeamus: Quandoquidem celeberrimam illam, nulli ignotam de judicio trium Dearum, sub arbitro Paride contententium, fabulam, haud nudè & *ἀπομυθεύσαντες* à Theologis veteribus propositam, mihi persuasum habeo, quum sub involucri illo mysterium latere voluerint, de vitæ fortis, quæ

* Triplicia bona; Animi, Corporis, Fortunæ.
tri,

triplex ferè est, instituto ac delectu, quem *Deus*, *animarum Ephorus* ac *præses*, constituit (voco autem hîc clarioris energiae gratiâ delectum illorum triplicium bonorum, vitarum ~~congruorum~~, five delectum.) Quod profecto liquido docuit ingeniorum ille fons Plato, quando in *Phædone* Regalem vitam *Junonis* esse; *Philosophicam Palladis*; *Amatoriam Veneris* esse dixit. Itaque fabula, quæ vitarum proprietates ad Deas hâs transfert, eos, qui vitæ rationem . . . ex triplicibus illis bonis eligunt, judicare Deas illas præstitas, loquitur: quando videlicet animæ variâ ipsis propositâ optione, quam ex vitarum genere deligere illis concessum est, secundum propriam judicii rationem hanc eligunt, illam detrectant. Atque hoc pacto etiam *Paridem* judicem constitutum *Palladis*, *Junonis* & *Veneris*, ex tribus propositis sibi vitis, triplici *Dearum* numero respondentibus, *amatoriam* delegisse; idque non rectâ ratione ductum, sed impulsum extraneæ pulchritudinis illecebrâ, dum speciem quandam extraneam formæ illius cælestis, quam animo solummodo indagare possumus, persequi-

tur. Siquidem qui verus amator est, dum mentem, hoc est, divinæ auræ particulam, à provido illo Prometheo nostris visceribus adjectam, prudentiamque, tanquam judices primò sibi adsciscit, constituitque; deinde, tum veram, tum etiam apparentem, quæque in materiâ suam hypostasin habet, formam contemplatur, is non minùs Palladius, quàm Venerus & est, & meritò dici potest. (est siquidem illud extra controversiam, omniumque consensu facile liquet, duplicem esse * Amorem; in rebus laudatis, ac per virtutem congruis honestum, in turpibus turpem.) Verùm qui ipsam per se solâ amatoriam speciem sectatur impulsus, adactusque eo *animi affectu, violento nimirum tyranno, pravoque consultore*, is à veris bonis ut longè abest, ita ficto decoris simulachro, stimulante eum quâdam amentia, insultat, circaque illud immundi suis instar volutatur, nunquam symmetram veri amatoris perfectitudinem assecuturus. Quippe perfectus amator ad ipsam cœlestem, divinamque formam, quæ sine dubio est † *Sapientia, rerum divinarum, humanarumque*

* Amor duplex. † Sapientia.

cog-

cognitio, admirandam, amplectendam, amandam agitur, despectis sensibilibus bonis; Quod enim civitati est juventutis robur, corpori pulchritudo, negotiis civilibus virtus, hoc totum animæ Sapientia est. Itaque illa, de quâ superius dixi, appetendi facultas (quod etiam tacente me ex jam dictis colligere est) in animi bonis erit Amor ille cœlestis, ex Venere cœlesti, quam ἀνὴρ τοῦ in Symposio Plato esse dixit, prognatus, quemadmodum in corporis & fortunæ bonis Amor πῶδ' ἄμ' , procacis illius Veneris, voluntariæque gnatus, & perpetuus adiutor simul & assecla, quem nullius bonæ frugis homines, quique majoris pensî corporis umbram, quàm animam habent, sine ullo honesti respectu amant, sequuntur, observant. At ille alter, ut deploratæ etiam spei homines virtutis amore inflammare, inflammatos ad ejus fastigium perducere potest, ita humani generis vel inprimis proprius est: alterius vim ac tyrannidem etiam bruta sentiunt. Idem ille ut ex divino semine ortum ducit, ita Deo quàm simillimi ut reddantur sui amatores, efficit; idque

præsidio * quatuor virtutum, quæ vera animi bonâ sunt, quarum nomina nulli non decantata dicuntur: Temperantia, Justitia, Fortitudo, & Prudentia: quæ quantopere aspirantibus ad vera Sapientia bona necessariae duces sint, omnibus perspicuum est, & nos tribus, quod dicitur, verbis repetemus. Temperantia enim Ethicam virtutem maximè format & exprimit, nihil namque iis, qui instituuntur, æquè familiare, ut temperantem esse: Justitia Politicam, alios enim gubernare præcipuè ejus virtutis indiget, quæ suum unicuique pro æquitate tribuit: Fortitudo animæ erectivam, quam *καθαρὰ* vocant, nam ut à passionibus, quæ veri sunt intestini hostes, immune ac impenetrabile esse, hujus vel inprimis proprium est, ita in sapientia cultoribus hoc non minimè requiritur: Prudentia denique speculativam virtutem effigiat, cujus id proprium & inseparabile est, sapere ea, quæ rationi consona sunt de rebus omnibus. Harum autem quatuor virtutum inter se germanarum, ac ex uno, eodemque

* Virtutes quatuor. Temperantia. Justitia. Fortitudo. Prudentia.

honesti fonte scaturientium, cumulum,
 ac veluti *ovum* in anima prius consister-
 re oportet, quàm Sapientiæ capax esse
 possit. Quod sciens Lysis Pythagoricus,
 divina illa & reverenda Sapientiæ bona,
 à præceptore hausta, iis, qui ne per
 somnium quidem puras mentes habent,
 impertiturum se negat, nec enim fas
 esse impuris Eleuliniorum sacrorum
 mysteria revelare, idque multò magis,
 quum animo repeteret, quantum tem-
 poris emensi fuissent ipse, ejusdemque
 cohortis alii, dum maculas, animo im-
 pressas, eluere perpetuo lustro satagunt,
 quò Pythagoræ sui oracula capessere
 idonei essent. Nam* uti tinctorum in
 imbuendo panno nihil prius habent,
 quàm ut ne quid labis in rudi adhuc lanâ
 infideat, quò videlicet ineluibilem, nec
 evanidam unquam futuram coloris tin-
 cturam imbibant: idem de animorum
 quoque infecturâ iudicium erit; alioqui
 si priusquam animum à vitiis expurgâris,
 altiora doctrinæ secreta, liquidosque
 fonticulos infillare volueris, duplici no-
 mine culpandus venies, dum & te im-
 prudentiæ argues, & discipulo gravio-
 ris ruinæ occasionem præstabis; non

* A simili.

B. b. 5.

dissi-

dissimiliter agens, quàm qui in cœnosum
 putcum limpidam infundendo aquam &
 cœni sentinam commovet, & aquam corrup-
 pit. Potissimæ autem animorum pestes
 duæ sunt,† Intemperantia & ‡ Aviditas;
 utraque fœcundâ restibilibûe fœtum
 luxuriæ abundantissima, ut è quarum al-
 terâ veneficia, rapinæ, parricidia, sa-
 crilegia, quæque horum germanæ sunt,
 enascuntur & progerminant: ex alterâ
 erapulæ, stupra, inconcessa libidinum
 perpetratio, aliaque id genus non mi-
 nora vitia, quæ ad mortes, præcipitia-
 que deducunt; suppullulant; unde di-
 vino quasi oraculo admirandus ille Plo-
 tinus dicebat, quod ὅσοι ἰμπεριῶς καὶ τὰς
 ἡπικρίας δυνάμεις ἐνεργῶσι, ὅσοι κινδυνεύουσι
 λανθάνουσιν, hoc est, ut Græcè nes-
 cientibus interpretatione satisfiat, qui-
 cunque circa altrices facultates satagunt,
 hi parû abest ut arborecant, minimum-
 que à stipitis naturâ distent. Nihil si-
 quidem isti altum aut videre, aut sapere
 possunt, abdominis pondere prægravati.
 Hinc non illepidè à Pretello quodam
 dictum commemorat Eratosthenes, qui
 interrogatus, quid de Bœotiis ipsi vide-

† Intemperantia. ‡ Aviditas.

retur,

retur ; (ij enim , tanquam multivori , in Comœdiis traducebantur) quid aliud ? respondit, quàm quòd idem loquerentur dolia , si vocem haberent , quantum scilicet quisque contineat . Cæterum ne extra propositum longiùs evehamur , contractis paulisper velis ad institutum revertamur ; ne illud Græcorum impleamus , τὸ περισσὸν ἔργον μείζον ποιεῖν . Consultissimum itaque omnium fuerit , id quod à veteribus tantopere laudatum decantatumque est , à primis annis dum rudes in pueris adhuc sunt animorum testulæ , dum nullum alieni vitiorum succi odorem imbibere , formare ad elegantioris doctrinæ cultum , præfectis ei rei idoneis doctoribus , qui teneram ac uliginosam , veluti que informem animorum massam , quod urfi facere traduntur , dextrè fingant , quæ deinde fictio cum adultiori ætate foeliciter succrescat, sobolescatque . Summo igitur jure si hoc unum addidero , quod præclaro instituto, atque aureâ planè lege ab Atheniensibus sancitum est , quâ (quoniam omniû Græcorum leges cogerent liberos parentibus , senio confectis , alimenta subministrare, atque ἀντιπαραγγεῖν)

soloseos parentes educari præcipiebant, qui liberos artibus ediscendis innutrivissent. Quo decreto præclare admone-
mur, ut nihil antiquius habeamus, quàm liberorum in tradendâ literarum institutione satagere. Quis autem viri animorum cultus finis sit, quibus veluti instrumentis perficiatur, nunc ut explicare aggrediamur, opportunum fuerit. Instrumenta autem (ut ab his, naturâ prioribus, incipiamus) erunt *Artes, quas Decorum, dona, alii inventa dixerunt*. Has ex theorematibus consistere volunt, iisquæ non quibuscumque, sed quorum comprehensiones perceptionesve, quas *καταληψίς* Zeno appellabat, habeant *οὐσῆμα*, hoc est, conglobationem quandam, certo ordine constitutam & innixam. Unde illorum error patet, qui artium principia ea esse existimabant, quæ sensibus subjecta sunt, quod ipsum, ut ratum, constituere si vellemus, nulla jam inter *τεχνὴν καὶ ἀτεχνίαν*, id est, artem & non artem, si ita licet dicere, differentiae ratio fuerit; imò si verum citra ullum altercandi studium profiteri ingenuè voluerimus, ea ipsa, quæ sensuum ministerio perscrutamur, principium potius inventionis
theo-

theorematum, ex quibus deinde artes constituuntur, profitebitur, quemadmodum, ut alibi Medicinæ assertor Galenus inquit, *Vestigia leporis principium sunt inventionis ejus, utpote quæ canis sagacissimum odoratu persequendo prædā tandem potitur; non tamen ex vestiginis lepus constat; oportet enim principia ad qualitatem ejus, ejus sunt principia, reducere.* Porro, arteis qui volet dividere (nec enim opus esse arbitror, earum divisionem, à substantiâ deductam, huc à primo fonte arcessere; tum ne nimiam prolixitate, altaque repetitione, parum huic loco congruente, molestiam ingeramus, tū quia, qui scire eam cupiat, in expedito obvius habeat, è quibus haurire possit; autores) commodissime meo judicio in triplicem ramorum seriem diducere poterit, ut aliæ sint * *Liberalis literariae*, de quibus mox verba faciemus: aliæ *Mechanicae ingenuae*, è quarum numero ars pingendi à Plinio commemoratur, ad quā nemo servilis conditionis admittebatur, ex quā quidē classe censeretur Architectonica quoque poterit. Tertio loco sunt *Mechanicae sordidae* quas & *Agonaxiales* illi, nos verò sordidas;

* Artes Liberales. Méchaniques ingenues. Méchaniques sordides.

manuarias & sedentarias quasdam appellare consuevimus, quarum tot ferè numero sunt genera, quot nullius alterius generis quis recensere queat, in quibus enumerandis ut ocium meum collocare non volo, ita solas Liberales literarias, ut nostrum institutum postulat, nunc exequi in animo est. Rursus arteis Liberales, ingenuo homine cum primis dignas, quæ communi quodam vinculo, & quasi cognatione quâdam, ut inquit Cicero, inter se continentur, bifariam, qui simplicissimè, dividere meâ sententiâ poterit nimirum in Logicas; (quas Sermocinâleis libero mihi jure vocare permitti velim, quæ triplices erunt, Grammatica, Dialectica, & Rhetorica, de quibus singulatim mox fusiùs agemus, solâ nunc divisionis enumeratione contenti) & in Mathematicas, quas Disciplinaeis, novo, non tamen absurdo fortassis, vocabulo compellare quis possit, quæ quatuor à Philosophis numerantur, Arithmetica videlicet, Gæometria, Musica, & Astrologia, de quibus paulò post. Nunc verò quum divisionem sectionemque artium abundè executi, videamur, ad earum

tum

tum professionem, tum usum accedemus. A prima * Grammatica, quam Latine reddentes, Literaturam vocarunt, nobis erit aspiciendum, nec injuriâ, quum & initiandis tyronibus prima omnium, maximeque necessaria proponi soleat, & sine quâ, fideliter fundamenti loco jactâ, quicquid superstruere conabere, corruet. Hujus professio secundum Fabium in duas partes, cum brevissime dividitur, in recte loquendi scientiam (quam, ἡ σοφία, καὶ ὁ ῥητορικὸς λόγος Græci vocitant) & Poëtarum enarrationem. Ita ex duplici fine ejus utilitas patescit, quæ tantò major est, quantò ejus perceptio non cum vulgo idiotisve communis est, sed artificum, aut saltem eorum, qui aliquid ultra vulgus sapere incipiunt, propria fit. Grammaticam † simul, & literarum cognitionem Judæorum genti exhibuisse primum Moysen prodidit Eupolemus, quæ in Phœnicum gentem vicinam postea transfuit, à quibus ob ultrò citroque conflata commercia in Græciam insitione deriuata est, quâ de re Plinius . . .

* Grammatica. † Apud Psellum; Grammatica καὶ ἱστορίαι παναρχὸς τυγχάνει, καὶ λέξις ὁρθή, καὶ μέτροις ἰφιστάται. pri-

primordiales literas semper Assyrias fuisse arbitratus est. Quanta autem Grammaticorum olim fuerit auctoritas, abundè indicio est, quòd non miniatà cerà notare, sed & obelo jugulare, si quid minùs placeret, liberè suo jure possent, qualis Aristarchus fuisse memoratur, qualemq; suum Pomponium extimescebat Cicero; nec minùs etiam autorum libros pro arbitrio, alios in numerum redigere, alios turbà eximere: quà libertate flagitiosè abusi quidà leguntur, qualis Palaemon Grammaticus, qui Poëtarum se arbitrum insolenter jactabat, & Zoilus Grammaticus, & ille, qui, Homeri effigiem non contentus flagris proscindere, scripta ejusdem traducere impudenter, convitiisq; lacerare veritus non est. Hic se nunc * Dialectica offert scientia, ut brevissimè Plato eam circumscripsit, τὸ δὲ πρῶτον ἀπὸ τῶν ἀποφαινομένων λόγων, quam alii methodum rationes per probabilia de unaquaque re proposità colligendi definivè. Stoici verò scientiam bene dicendi, metiri nimirum, statuentesq; bene dicere in veri, conguisq; dictione. Hanc in septimo de Repub. Plato omnium disciplinarum

apicem, hoc est, *Apex*, quasi dicas Lorricam, quæ summis parietum structuris injicitur, appellat; illius ad omnes artes eximiam præstantiam, utilitatemque indicare volens, quâ nullam scientiam superiorem statuere decore possis. Idem in Phædro Dialecticum dividendi peritum nuncupat, hoc est, qui articulatim, ut rei naturæ postulat, nullâ omissâ particulâ, optimi coqui instar, dividere novit, quod qui præstare posset, ejus se ut Dei vestigia persecuturum ait. In Dialecticâ autem primum omnium est, maximeque Elementi vicem obtinet, cujusslibet rei substantiam intueri: secundus locus de accidentibus indagationi tribuitur, quorum illud assequemur, si aut à superioribus generibus per divisionem, definitionemque, quas Dialecticorum remos scite vocavit Cicero, incedamus, aut ab inferioribus per modum resolutionis. At accidentia, sive quæ substantiis inhærent, vel ex continentibus per syllogismum, vel ex contentis per inductionem investigabimus; ita ut Dialecticæ quinque partes numerare possis, Divisivam, Definitivam, Analyticam, Syllogisticam, & Inductivam.

Hu-

Hujus germana est Physice, quæ naturalia omnia rimatur; quæ quidem partim sunt corpora, ut Lapis, Lignum; partim habentia corpora, ut Animantia & Plantæ; partim principia habentium corpora, ut Materia, Forma, Motus. De quâ quid multa attinet dicere, quum specioso Naturæ indagationis nomine, citra alterius rei additamentum, abundè commendabilem se omnibus præstet. Tertio loco se aperit * Rhetorica, quam *ῥητορικὴ* Dialecticæ, & cum quâdam contentiosâ æmulatione æqualem Aristoteles dixit, eò quòd utraque circa probabilia, verisimiliaque versetur, quæ quantum à Dialectica ordine, concisâ brevitate, ac veluti *συνοψία* linquitur, tantundem ei præstare invenitur orationis perpetuitate ac nitore, & ad persuadendum aptitudine. Hinc est, quòd Zenon illam contractæ in pugnum manui, hanc evolutæ similem dictitabat. Illa siquidem nudo, & simplici orationis filo contenta est: hæc quasi per *διέξοδος* explicare, & verborum phaleris vestire conatur. Cujus ut officium esse Isocrates vult, & repetit Hermogenes, parvis pondus magnitudinemque conciliare, & ex

* Rhetorica.

ma-

magnis parva facere : ita finis ejusdem est , dictione persuadere . Hæc mentis sensa efferre clarè diculideque docet , quod non minimum procul dubio habendum est donum ; quum nimirum , qualis stupentium artuum motus , sensusque est , talis certè animi , qui concepta promere nequit , dispositio sit , quod eleganter expressit Nazianzenus , quum inquit , ὡς ἀπελάληθ' , κίνημα νεκρῶται .

Hæc eadam animi motus incitare , minuire , impellere , revocare , rapere , ducere haud secus , atque Dorium melos potest . Hujus operâ multos ex discipulis ad consciscendam sibi necem Hegesius Cyrenaicus impulit . Hæc concutere , collidere Græciam , tonare , fulgurareque Periclem , cujus in labris etiam Suadæ medullam instillârat , docuit . Hæc contentionis studio , ἀγῶν Græci vocant , strictos gladios cohibere , acies ceu classico armare , pertinaces animos infringere valet . Hujus beneficio μεγαλοφώνος ille Demosthenes æquum iniquo , pacem bello commutare Athenienses compulit , ita , ut si parem cum dicendi viribus roboris , facultatumque vim (quod inscriptum in basi statuae illi erectæ

credere testatur elogium) habuisset, nunquam Græcia, victa Macedonum armis, succubitura fuisset. Hæc cum Acheloi filibus de pulchritudine contendere facile victrix potest, ut omittam, quod majori voluptatis, ~~et~~ ~~non~~ illecebrâ permulceat homines, noceat certe minus; illar siquidem pellectos cantus amoenitate hospites brevi voluptatis guttulâ aspergebant, mox eosdem in præcipitia dabant. Hæc verò sui amatores fovet perpetuò, & ad subsellia, honorumque fastigia erectat. At ne ultra septa transiliamus, agè, quandam veluti perfecti oratoris formulam, exemplarve, ad quod quisque se comparare studeat, solis monochromatiis exhibeamus. Is itaque, qui exactè animi facultates perspectas habuerit, hominum diversitates ad amissim cognorit, quâ quisque sermonis congrua specie, quibus persuasionum rationibus induci queat, acutè persenserit, postremoque tempus utendi commodum superioribus adjunxerit, hisque omnibus vitæ innocentiam, probitatemque, ceu ultimam coronidem addiderit, is mihi jam absolutus verusque orator, hoc est, ut cum Ciceroe

di-

dicam, vir bonus fuerit. Atque adeò, quod in Ægypto arene solo Nilas, hoc in juvenum animis iste Orator poterit; ille exundante alveo semina instillat frugifera, manus vice fungens, hic virtutum semina in animi agrum infusione quâdam inducit: ille cernens frugum foenore in horrea distendit, hic scientiarum opes animi pabula futura in mentium granaria congerit: illum Ægyptii suorum agrorum ~~Sancti~~ compellabant, quod alicubi testatur Nasianzenus; quapropter & patenas argenteas, aureas, omnesque generis illius, numini in alveum effusas, offerebant, hunc fecundum mentium aratorem rectè vocabimus. Sed ne longius efferramur, coërcito paulisper styli fluxu, ad Potiicen nos conferamus, quam cum Rhetoricâ eodem quasi septo non absurde fortassis includere quis possit, quam inter se cognatas fiat & germanas, quamvis Poësin Musices partem esse, ac proinde ad eam referri velle clamitabunt nonnulli: quibus hoc solum responde-
rim, quod, quam Poëtice circa verborum usum, conceptorum mentis expli-
cationem, persuadendi que rationes

* Poëtica.

ver.

versetur, uti ostendemus, Musice verò, ut hodie accipitur, potissimâ sui parte solos modos, auriumque delectamenta spectet, non abs re mihi visus sum facere, si ad hunc locum transferrem: nisi quòd Poëtice tantò illâ sublimior sit, quantò persuadendi industriâ non inferior, mentis agitatione, ac divino quodam instinctu, quem *εἰς θεοῦ νοῦν* Plato vocat, longè superior sit, juxta illud Nasonis, *Est Deus in nobis, agitante calescimus illo*. Hanc ut ordine, rhytmo, & harmoniâ constare autor est Aristoteles, ita ejus inventionem ad Musæum, Linum, Orpheumque autores referunt, sicuti ad Cadmum prosaïcæ orationis, quanquam Phœmonoën, delubri Delphici *ἱεροῦ μῦθου*, primam Hexametro carmine (quod *ἕκτος* propriè dici vult Eustathius) responsa petentibus dedisse Pausanias Straboque memorent. Poëtices studia adolescentiam agere, senectutis onus, Ætnâ secundum Euripidem gravius, lenire refocillareque, secundis rebus ornamentum addere, adversis perfugium solatiumque suggere ait Tullius. Hæc immortale seculis omnibus nomen parit, hæc honores ac-

qui-

quirit, monarchas conciliat. Per hanc, Euripidi Tragico Archelâus Rex, Amynthæ successor, consiliorum summam credidit: per hanc Augusto Virgilius commendatissimus, Honorio Claudianus, Gratiano Ansonius fuere. Hæc Oppiano & patrium solum, quod cum patre unâ verterat, apud Imperatorem restitui impetravit, & pro quoque versu aureum rependit. Huic & Dii reverentiam tribuere, quippe Archilochi Poëtæ interfectorem fanum subire oraculo vetuisse Appellinem legamus. Absolutâ jam trium, quæ ferme ne constituuntur, artium utilitatis enarratione, proximum est ad * Mathematicas transire, quas divinus ille Plato (quem non immeritò Moysen, Atticâ facundiâ sonantem Pythagoræus Numenius appellasse videri poterit) aperte declarabat esse *καθαρναὶς ἢ ψυχῆς, καὶ ἀνομιῶν*, hoc est, animam quasi lustrare, & à mortalis corporis limo impuratam oppressamque, liberam eam reddere, ac defæcatam, proindeque à caducis ad sublimium, divinorumque operum meditationem subvehere, omnemque præterea caliginem ab intelligibili mentis

* Mathematica.

tis

nibus, in aliquibus saltem. * Mathematicarum autem artium, quas veluti quatuor totius Philosophiæ scaturigines sunt, quod per *negotiorum* *equi* *fabula* vetus innuere voluit, qualisque suis hominibus tradere aggressus Cicero, pauca pro re præstitit, imò illico ab instituto desistit negans eas *esse* *possibile*, eò quòd essent res explicari difficiles, & *impossibile*. Divisionem aggressurus ordino, ab Arithmetica rursus initium facimus mihi videor, tum quòd hæc omnium prima his, qui Mathematicum ad notitiam pertingere cupiunt, degustanda sit, tum quod in vitæ domesticæ usu ea vel imprimis occurrat necessaria, quàm similiter ut aqua & igne carere nequam possumus. Cujus ac officium est numeros, eorumque tum quantitatem, tum qualitatem in numero habere, qui vel seorsum spectantur, quæ aut pares, aut impares sunt; hos moribus attribunt, illos confortiatione feminis: vel ad alios referuntur, quæ aut æquales, aut inæquales & sunt, & dicuntur, sic eam divisione in *partes* *res* *rationes*, hoc est, quæ pondus, mensuræve rationem habet, diduxit Plato. Hanc &

* Arithmetica.

C c

Phoe-



tur, vel alio etiam modo, quum
et tetradem bis, ut est, quadran-
constitueris, eique deinde latus
qui binarius est numerus, ad-
is, unde is ipse numerus, veluti
delineamentum est animæ, quæ
se, tum propriæ facultatis, quam
lem prolificamve habet, ope
procreat, fœcundoq; incremen-
multiplicat: hinc versus illi Pytha-
quovis oraculo obscuriores, hac
exstant, quos, ne, si qui audire
at, invidisse videar, hîc subjiciam.

*Ἐπεὶ δὲ πρὸς τὴν μονάδα πένθε μῶν ἀνῆλθε
ἐπὶ ζαῖν, ἥ δὴ τέταρτος μὲν πάντων
τῶν ἀριθμῶν, δεκάδ' αὖτις μὲν ἀγνὴν.*

Id de hoc nimis mihi. Itaque ad
metriam, quæ se in locum
certas hæc discipulis habet, ac-
m, si unum, aut alio quod huc
e distuli, subjiciam, quod sine
hmetices exactâ co, frustra
um adhibere tentes, quas,
seguuntur, discipulis illud
endum quod hujus, utissi-
terrime ex c, radii
culis co, gram
C c de

Phoenicibus, qui primi mercaturas & instituisse, & exercuisse putantur, inventam prodidēre nonnulli, tametsi ejus inventionem sibi adscribant Ægypti sapientes, quod testatur Laërtius. Hanc maximo in honore habuēre, summoque excoluerunt opere non Pythagoræ modò, sed veteres Philosophi plerique, eo quod vim quandam in numeris divinam latere crederent. Numerum siquidem *πρωτος πανταρχος* *αυτος*, i.e. deorum hominumque genitorem prædicabant. Hinc Pythagoras ille Samius *πρωτος πανταρχος*, hoc est, quaternionem perennis naturæ fontem, invexit, quod ipsum ut sine mysterii nube non est, ita nec cuivis apertum, licet in ore multis sit, esse reor; dicam tamen hic duobus quasi in transcurso verbis. Nam Decas (qui quidem numerus, quod circumferentiam quasi circularem, in idem recurrentem à maximis minimisque descendendo simul & ascendendo, donec ad medietatem, sui centri locum obtinentem, perveneris, absolvat, plenus perfectusque dicitur) numeris primis quatuor, gradatim conjunctis, uno, scilicet duobus, tribus & quatuor, integrò for-

Formatur, vel alio etiam modo, quum
videlicet tetradem bis, ut est, quadran-
gulam constitueris, eique deinde latus
suum, qui binarius est numerus, ad-
junxeris, unde is ipse numerus, veluti
imago & delineamentum est animæ, quæ
sum ex se, tum propriæ facultatis, quam
genitalem prolificamve habet, ope
seipsam procreat, fœcundoq; incremen-
to multiplicat: hinc versus illi Pytha-
gorici, quovis oraculo obscuriores, hac
de re exstant, quos, ne, si qui audire
cupiant, invidisse videar, hinc subijciam.

πῦς ὁ ἀριθμὸς διὰ μέσας κενθμῶν ἀνάλυσ-
τις αὐτὴ ἐπὶ ζαίην, ἥ δὲ τίς μὲν πᾶντων.
Ἀτρεπον, ἀνιμῶν, δεκίδας κλύουσι μὲν αἰγῆν.

Sed de hoc nimis multa: Itaque ad
Geometriam, quæ secundum locum
inter certas hæc disciplinas habet, ac-
cedam, si unum, aut alterum, quod huc
usque distuli, subijciam, quòd sine
Arithmetices exactâ cognitione frustra
ad usum adhibere tentes treis reliquas,
quæ sequuntur, disciplinas. Nec illud
omittendum quod hujus operâ acutissi-
mè, ac dexterrimè ex dimensione stadii
Olympici Herculis corporis mensuram

deprehendisse Pythagoras proditur. Geometria* secundum post Arithmetica^m habet ordinem, tanquam quae ei illa constitutatur, perfectionemque suam acquirat; versaturque circa magnitudinum figurarumque cognitionem, & quae in his sunt, extremitatum: praeter ea eorundem rationem, ac passionum, omnisque generis motuum ac situum investigationi studet. Progrediensque ab indivisibili, cujus pars nulla est, puncto, ad usque solida corpora pervenit, eorumque multiformes diversitates adinvenit, rursusque retrogrado gradu à compositis ad simpliciora, eorumque principia se reducit, utroque enim genere & compositionibus, & resolutionibus utitur. Hanc ab Aegyptiis primo inventam non parum multi tradidere, & probabilis in primis est ratio, necessitate suos cuique debitos agrorum terminos admetiri cogente. Nam cum Nilus intumescens, alvei sui limites egressus, totam Aegyptum latenti de causa quotannis inundare soleat, ac pro-

* Geometria. Platonicae scholae inscriptio haec erat, *Ἀγεωμέτρητος μήδεον ἔστιν*, i. Geometriae studis nemo ingreditur. Vide Erasmi in Chil.
inde

inde latifundiorum agrorumque limites confundi, fossas incileis limo obduci, opplerique necesse esset: itaque tandem necessitas, ne contentiones, rixæ, ac internecina quotidie bella de finibus surgerent, quæ certè, ubi suo quisque defraudatur, contingere solent, extudit diligentem hanc, & subtilem locorum dimensionem, quam à mensurandâ terrâ Geometriam, dicimus. Hujus operâ Archimedes, subtilitatis Geometricæ absolutissimum exemplar, contra Marcelli vim ac impressionem Syracusas, patriam suam, diu defendit; cujus quidem unius industriæ tantum debuit Syracusarum civitas, quantum exercitui vel maximo. Eidem & tot civium, & sui quoque salutem eadem libenter debuisset, si non, dum ille descriptas in pulvere figuras suas, diametrosque sanguinis aspergine obtruncatus confudit, otio luxuque soluta Romanæ vigilantia intrandi occasionem patefecisset. In hac præcipuus fuit Euclides Megarensis, Socratis contemporaneus, cujus etiamnum libros in hac arte absolutissimos incolumes cum Theonis Alexandrini, Mathematici non infimi, expositione.

tionibus habemus. Dividunt autem eam in Perspectivam, quæ radorum reflexus qualitatesque considerat, & in Geographiam, quæ terrarum orbem depingit, locorum intervalla mensurasque perquirat, quam quidem Ptolemæus Traiani tempore, & eo seculo superior Strabo exactissimè, omnem, (quod aiunt) numerum implentes, scriptis libris posteris nobis tradidit. Eudoxum tamen vel imprimis nominassem, si aliquod illius monumentum nostra videret ætas, quum Plinius, aliique non pauci Geometram illum, & Astrologum summum apud Ægyptios sacerdotes evasisse, commentariosque in utraque arte eximios reliquisse prodiderint. Succedit nunc Musica,* sui que memoriam refricat, indignam postremo se loco existimans, idque non injuriâ; quippe quum sub eo nomine omnis elegantioris doctrinæ mundum, literarumque humanitatem, in quâ otium contere, animumque recreare ingenui solebant, an-

* Musica. Arcades persuasum habebant agrestis & ferocia ingenia Musices studiis mitescere, utrumque adeo mos erat, usque ad trigessimum ætatis annum in illis studiis exerceri, eamque ignorantem probro dabatur.

aiquitas intellexit, recentior tamen ætas
 ad numerorum modulationem hoc vo-
 cabulum detorsit. Hujus inventionem
 Chamæleon Ponticus antiquis intel-
 lectam fuisse ab avibus, in deserto canen-
 tibus, autor est, ex earumque imitatione
 Musicen *suam* accepisse: Alii ex Cretâ
 istud studium ortum commemorant,
 quando Idæi Dactyli modulos, tinnitu
 æris deprehensos, in versificum, ut
 Solinus inquit, ordinem transtulissent;
 quamvis Harmonicam Musicam à di-
 vino illo Pythagora ex fabrorum, alter-
 nis ictibus incudem tundentium, depre-
 hensam, constitutamque, nisi fallor,
 apud autores legerim. Ad tolerantiam
 verò laborum, ac ab iisdem respiratio-
 nem à naturâ nobis Musica veluti con-
 giario data videtur. Sic remiges, om-
 nisque generis opifices cantu molestiam
 solantur. Sic famulæ, pensa trahentes,
 modulis tempus fallunt. Sarcinarii
 muli tintinnabulorum sonitu, ceu Mu-
 sicâ recreantur. Hæc saxa plantasque
 traxisse dicitur; hæc lapides in urbis
 membra coalescere fecit. Hujus dul-
 cedine Delphinus permotus vectorem
 suum in aridam constituit. Imò non bruta

modò, sed & inanima hujus vim sentire credas, quum in Halefinâ regione fons, aliàs ad silentium tranquillus, ad tibi-arum cantum illico, ceu Musices illecebris obstupefactus, exultare cernitur, ac ultra marginis alveum nimis angustum, nec latitiæ capacem, intumescere. Hæc pugnam inituri Spartani militibus iram adimere solebant: Nam quòd Schyta quidam præstantissimæ Musicæ equi hinnitus præposuerit, meritis antiquæ sententiæ Barbaræ poenas pependit. Hanc in tres partes Plato diduxit, nimirum in eam, quæ solo ore æditur, alterâ, quæ & ore, & manibus, qualis est citharæ^{ad} Græcis dicta, & Lyrica, sive Melica Musica, quam Musices florem vocavit Pindarus, à Doribus primò reperta, cujus studium, ut in convivis à cænâ obambulet, laudatissimum erat, cujus quum se imperitum professus fuisset famigeratus ille Themistocles, indoctior habitus esse dicitur; & tertiam, quæ solis manibus perficitur. Sed jam tem-est, ut * Astrologiam, omnium licet ordine, non tamen dignitate ultimam, cujus uti munus est astrorum cursum, variantis-que cœli motum investigare, ita ejus

* Astrologia.

ob-

observationem, Mercurio primò deprehensam Diodorus memorat : in quâ quum peritissimi essent & Prometheus & Atlas, hic coeli axem sustinere humeris, ille Caucaſo affixus fingitur. Huius usus etiam Imperatoribus non exiguus esse potest, unde Pericles haud exiguam istius commoditatis partem persensit, dum Athenienses, Solis deliquio, velut ostenso divinitus prodigio, territos, redditus ejus rei causis, metu exoneravit.

D I X I

Ioachimus Camerarius

Hadr. Iunia. S.

ANte multos sanè annos cùm vidissem scripta tua, vir clariss. ad nos allata, & eruditionem doctrinae tuae, ingenii quæ solertiam admiratus, & hanc copiam liberalis disciplinae gratulatus sum ætati nostræ. Postea deprehendi, humanitatem tuam honorificam mei quoque mentionem fecisse in tuis scriptis. Quo nomine te non solum diligere, sed colere etiam animo meo cepi, & à me plurimum tibi deberi intelligere, ac fateri. Atque

C c

610 Diverſorum Epiſtolæ,
 habetur ob hoc meritum tuum à me
 tibi quanta maxima gratia poteſt. Quo
 ut humanitas tua contenta ſit, neceſſe
 eſt, cum referri aliquid dignum benigni-
 tate tua, à me nequeat. Id enim certe
 pro nihilo duco, ſi te viciffim ego lau-
 dare velim, quod tamen & facio, & recte
 fieri ſcio, *ἀλλ' ὅτι ἐν τῇ ᾧ γ' ἐστὶν ἡ ἀρετὴ*
τῷ Περικλῆτι περιμένα. Majus autem, pluril-
 que æſtimandum teſtimonium de ſtudiis
 meis tuum videtur, quò magis ex animi
 ſententiâ dictum illud eſſe apparet de
 eo, cui favorem tuum nulla alia res,
 niſi bona exiſtimatio, & judiciî veritas
 conciliare poſſet. Tibi quidem quantum
 à me tribuatur, ad te perſcribere, eſſet
 putidiuſculum. Hoc autem abs tuâ ſum-
 mâ humanitate peto, ut tibi perſuadeas,
 me tui nominis ſtudioſiſſimum, & om-
 nibus viribus operam daturum, ne be-
 nevolentîâ tuâ indignum complexus eſſe
 videaris. Edita ſunt nuper opuscula hic
 quædam mea, quæ quâ occasione tibi
 mittere poſſem, ignorabam, & ea narra-
 bantur de ſtatu rerum in veſtratibus
 regionibus, ut vereri cogeremur, ne com-
 meatus noſtris ſcriptis iſthuc non eſſet.
 Eræſtum tamen typographum apud nos
 or-

HADR. JUNIO scriptæ. 611
 Oravi, ut occasione hoc ad Mœnum mer-
 catu quæteret curandi has literas meas
 tibi. Te bene valere ex animo opto. Vale
 Iaspisæ viii Kal. Aprilis. Animadverti
 abs te quiddam in uno ex meis scriptis
 notatum, idque humanissimè & clemen-
 tissimè. Atque reprehendi errata mea,
 tantum abest, ut ægrè feram, ut hoc
 facientibus bono studio plurimum à me
 deberi libenter etiam confitear, & esse
 ducam id verissimū quod veterum quidā
 scripsit, *μῆζον ἔϊναι ἀγρόν τὸ ἐλιγγήϊναι ἢ*
ἐλίγξαι, ὅτι μῆζον ἐστὶ τὸ αὐτὸν ἀπελαύνειν
ἢ ἀπὸ τοῦ ἐλίου. Sed illud tamen,
 quod diligentia tua notandum putavit,
 velim consideres attentius, cū mihi
 aliud *δύλιζον*, & aliud *ὀλίζον* esse videa-
 tur. Etsi, ut verum fatear, suspicatus
 aliquando fui, illud *δύλιζον* mendosum
 esse per *διλόζον*. Sed postquam *δύλιζον*
 cum interpretatione *δύλιζον* repe-
 ri, ab illā cogitatione destiti. Leuiuscula
 sunt ista. Velim tamē tuam attentionem
 ad ea adhiberi. In magnis enim, & parvis
 exquiri veritatem laudabile est.

Joannes Persæ Hadr. Iunio. S. P.

PLuribus ad te, vir doctiss. si vel
 Percipi valeatudo, vel mea occupa-
 tiones id paterentur, quod per ocium
 polliceor me facturum. Interim toto
 animo tuam erga utrumque nostram me-
 moriam voluntatemque exosculabimur,
 agemusque gratias, quod nos velis per
 te vivere, tuisque scriptis doctrinae, in-
 geniique nostri tenuitatem non sine
 omnino intercidere, ac collabi. Sufine
 itaque, quantum potes, nomen nostrum;
 nos certe tuum, quoad ejus fieri pote-
 rit, fulciemus, dabimusque operam, ut
 ea semper tuarum rationum, honorisque
 ratio habeatur, quam tua virtus & crudi-
 tio meretur, ac, si omnia præstiterimus,
 ne tunc quidem nostro in te amoris fatisse-
 cisse videbimur. De re Lovaniensi nihil
 dum statutum. Rex sanè eo tendit, ut
 de viris probis, ac doctis bene mereatur,
 ad quod nos eum nunquam intermitti-
 mus impellere. Interea tu ipse ex re nata
 nos admonebis, ubi nostra opera tibi
 usui esse possit, atque ut tibi occasio,
 ac nobis facultas sese offerat. Deum
 pre-

HADR. JUNIO scriptæ. 613
precamur, qui te sospitet ac fortunet.
Bruxellæ Nonis Augusti M. D. Lvi.
Salutat te à lecto **Gonsalus Perefus,**
usu ac possessione tuus.

*Joannes & Albertus, Dei gratia Dux
Megapolensis, Princeps Vandalor-
um, &c. Hadriano Iunio Her-
nando, Med. Doctori.*

QUum præclarè illi sapienterque
fecerint, qui in promovendis rebus
omnibus, ad Dei gloriam, communèque
humani generis emolumentum pertinenti-
bus, neque ullis laboribus, neque
sumptibus pepercerunt, quantumque sibi
laudem apud omnes pepercerunt, id non
modò per se manifestum est, verùm
etiam à quovis magnopere prædicatur.
Quà quidem in re cum majores etiam
nostri in erigendâ & constituendâ Acade-
miâ Rostocensem non exiguam sibi laudem
ac nullis sæculis interituram memoriam
comparaverint: non minus curæ & co-
gitationis eâ de re nobis quoque susci-
piendum esse arbitramur. Itaque cum
Academia illa nostra Rostocensis anno
superiore perniciosissimâ lue, hanc no-
stram

ſtram provinciam infeſtante, non paucis
& virtute; & doctrinâ præſtantibus viris
cum ingenti deplorandaque ſtudioſe ju-
ventutis jacturâ orhata ſit, omnem opus
ram navavimus, ut honeſtis ſtipendiis
conductos excellentes viros, qui juven-
tutem optimis artibus informarent, in
demortuorum loca ſurrogaremus. Qua-
re cum de tuo præſtanti ingenio, & quâ
in arte Medicâ excellis, peritiâ, nonnulla
ex quibuſdam, qui te nobis diligentissi-
mè commendârunt, cognoverimus, ab
eiſdemque nobis oſtenſum ſit, haud ægrè
te perſuaſum iri, ut te iſtinc in Acade-
miam noſtram, ubi Medicam facultatem
publicè profiterere, honeſto accerſitus
ſtipendio conferas, gratum nobis fece-
ris, ſi non modò hac in re, quæ tibi
magno honori, ſcholæ noſtræ eximia
ornamento futura, communi autem
ſtudioſorum cœtui non leve emolumen-
tum allatura eſt, nobis gratificatus fueris,
ſed & , quæ tua ſententia ſit, vel Barto-
lomæo Gryphio noſtro, cui mandavi-
mus, ut noſtro nomine de his rebus quod
diligentiſſimè tecum agat, expoſueris,
vel quod primùm ad nos perſcripſeris,
Quinpotius, ſi apud nos commemorari

vo-

HADR. JUNIO scriptæ. 615
volueris, domoque abesse poteris,
rectius feceris, si nostris sumptibus pri-
mo quoque tempore ad nos veneris: ubi
de toto hoc negotio accuratius tecum
sumus acturi, daturi que operam, ut, si
quid ad dignitatem tuam augendam
ornamenti à nobis addi poterit, in eo à
nobis nihil prætermisum esse videatur.
Vale. Datæ Gulstronii III Nonas Febr.
anno salutis M. D. LXVII. Manu
propria.

*Ioannes Iacobus von Staal, Patricius
Salodorensis Hadr. Iunio impugnav.*

SCorpionum morsibus eorundem oleo
à Medicis, & Chirurgis occurri vul-
gare est, vir ornatiss. Si fortè meam
admiraris temeritatem, qui sine omni
occasione, ~~non axatens~~ te compellare
audeam, ego oppositâ meâ admiratione,
quam de singulari tuâ eruditione foveo,
tuam fortassis eâ ratione tibi exemero.
Lutetiam Parisiorum, unde superiore
anno, peste, bello, fameque uno incursum
Galliæ florentissimum regnum depopu-
lantibus, secedere coactus fui, iterum
excolendi ingenii causâ repetiturus,
recto

316 Diverſorum Epistolæ ,

recto profectiois compendio derelicto,
per hanc inferioris Germaniæ oram
periodum facere volui, quò præclaræ
huius regionis & urbes, & antiquitates,
semel conspicerem. Inter quas quum
celeberrimis & eruditis viris nihil anti-
quius esse ducerem, intellectâ hæc com-
moratione tuâ, nolui casam, quod aint,
præterire, sed potius anniti pro viribus,
si cuius ingenium, & eximiam eruditionem
jampridem & sermone multorum,
& tuis ipsius scriptis notissimam habeo,
ejusdem quoque vivam faciem corporis
oculis possem intueri. Cujus desiderii
explendi successum ac copiam si mihi
humanitas tua fecerit, non pudebit &
illud postulare, ut nominis tui honore
hoc album amicorum meorum insignire
aliquoque argumento hujus mihi tecum
auspicatæ familiaritatis notitiam facere,
non dedigneris. Quo impetrato, nomen
tuum gratissimum frequenter in memo-
riam revocare, & de eo, ceu Argivum
clypeum abstulisset, gloriari valeam.
Sin verò eximiae eruditionis tuæ impar
viderer amiculis, & indignior, quam
in cuius ~~me~~ *me* hospitari debeas,
generitatem saltem hanc mihi ignosces,
quam

HADR. JUNIO scripta: 617

quam me nominis tui celebritas, & admiratio docuerunt. Valeas, meque cum Phoebo, si non veris amplexibus, lauri saltem cortice frui concedas. Exaratum raptim in hospicio civitatis Harlemensis
xx Kal. Octob. M. D. LXII.

Quinto Laetio Hadr. Junio.

QUoniam Nonii mentionem fecimus, ut Varronis nomine inter tua nomina esse incipiam, quod non raro apud eum occurrit, explices rogo. Logistoricon, & quandoque inscribitur *De liberis instituendis*, Varronine, an Catoni tribuas, an potius; quod mihi magis placet, libellum illum inscripisse putes Varronem CATO, vel *de liberis instituendis*, duplici videlicet titulo; quod Varro scis esse frequentissimum: ut sicut senectutis laudes probatissimo, spectatissimoque seni tribuit Cicero, sic & Varro optimi exempli patris nomine (nam Catonem ipsumque liberos suos instituisse constat) liberorum educationem, institutionemque inscripserit. Haecenus eruditissime Juni, liberius forte, quam homini ignoto quidem deceret, scripta fuisse.

618 *Diversorum Epistolæ;*
suffecerint. Hoc tamen persuadeas tibi
velim, qui nomini tuo, laudibusque fa-
veat impensius, esse paucissimos, quod
fortè reipsa tempori posse approbari
spero. Vale Moerkercko, Flandriæ ex
ædibus Clariss. viri D. à Dranontere,
qui te quàm humanissimè salutatum
cupivit. Iterum Vale. vi. Kal. Decemb.
1564.

*Ioannes Latomus, Prior apud Thoronum,
Hadr. Iunio suo.*

*Hæc monumenta tui Latomi, doctissime Iunio
Accipe, quo vultu versus componis, & orbem
Delectas totum, Musas veneraris, ab ipsis
Rursus honorandus: quod certè fœnore multo
Impleri constat, quanto te præcipuè unum
Ante alios cumulant donis & divite gazâ.
Nos quoq; (quos aliquo Musæ dignatur honori)
Omnes, qui numeris carraen conteximus, istud
Iudicium cœli sequimur, studioque tuemur.
Vnus adest Latomus, qui te, nō prorsus ineptus,
Numinis instar habet: Sed tu mortalia nostra
Immortalis ama, & quantos licet, affere cœlo.
Omibus hoc summis afflat natura benigna.*

*Hoc quaecunque carmen, eruditiss.
Juni, antequam hodie bene manē cur-
rum*

HADR. JUNIO scriptæ. 619

rum inscenderem, in tui nominis, hesternæque cornæ memoriâ evigilans, ad te evomui: quod si non planè tuis auribus est indignum, agnoscis id tuum esse, à quo tantum boni spiritus fui mutuatus, quum per me aliqui non jaceam tantum, sed dormiam. Aperui tibi me, non eâ (crede mihi) laudis esuritione, quâ apud doctissimos solent sese ingerere minùs docti, quò videantur, quorum doctrinam non æmulantur, laudem tamen, vel humanitatem potius delibare: sed eo consilio feci, ut, quum doctrinam tuam publicâ orbis gratitudine tantâ, quantam mereris, non coli viderem, ostenderem mei similes esse multos, qui gratissimâ memoriâ orbis tarditatem, & vitium libenter pensamus. Traxisti igitur tu me ad te, & te volui noscere, non ipse me prodere, quod ut omnino voluisssem, quid nisi Cumanum asinum? Si tamen hoc pectus redamare non gravaberis, erit summæ humanitatis tuæ, mihi verò egregiæ tum laudis, tum voluptatis. Vale. Amsterodamo Nono Kal. Maij. M. D. Lxix.

*Joannes Sambucus Hadriano Junio
suo S.*

A Ccepi tua Emblemata, de quibus
etsi tu nimium modestè sentis, aliud
tamen fore publicum judicium videbit
nam & sana, & varia, elegantiæque sunt,
& facile auctorem, officinamque testi-
buntur. Quod verò meæ tantopere ex-
petis, ante Aprilem ob sculptoris, &
pictoris metam vix apparebunt: quæ
si videris, minuetur desiderium legendi
ea, & verè esse æque superantibus dicta.
Tu verò tandem nobis Suidam refecto-
rum, Epichetorum Græcorum expli-
cationes, Notiam, & alia extrudas:
nec, quasi nondum absolveris, omnia
differendo queras, teque ad alia accin-
gas; ut, quando Erasmi vestrum in-
genio æquare coepisti, numero quoque
lucubrationum inferior ne sis: dumque
ætas, viresque permittunt, nō solum
conferas monumenta quadam, sed etiam velut
librorum, qui nisi eruditi esse nequeunt,
posteris repræsentent. Vale, & Sambu-
cum amare pergito, sed minùs laudato:
quis enim, quàm ego, me novit meliùs?

Ant.

HADR. JUNIO scriptz. 622
Antverpiæ, xii. Idus Februarij Anno
M. D. Lxiii.

*Jacobus Dominus à Duvenecorde, C. d.
Woude Damino Hadr. Junio S.*

QUOD pristinae sanitati restitutus sis,
humanissime, doctissimeque vir, est
quod summopere gaudeam, optoque, ut
talis esse perseveres sanus, qualem te
futurum pollicitus es infirmus. Ego
decrevi posthac commensationibus, &
ebrietati valedicere, neque quonquam
magnis urgere oculis. Te, ut idem
facias, ero, quo possis & patriæ, & ami-
cis prodesse. Vale, & me, ut facias, ama.
Datum Warmondæ. Kal. April. anno
partæ salutis 1572.

*Martianus Adrianus Medicus Ho-
driano Junio S. P. D.*

QUONIAM sanctum illud amicitia
fœdus, quo vetusto arctè derivincti
inter nos sumus, suam hodie apud te
religionem obtinere confido, nolui com-
mittere, quin, quum ceterus iste homo,
res meas procuraturus, proficisceretur,
tri-

522 Diverſorum Epiſtolæ,

tribus te verbis ſalutatem, ut vel poſt-
limino totidem à te reſaluter aliquando.
Nam recordanti mihi ſpatium præteri-
tæ tempeſtatis, & vetera noſtra animo
repetenti, haud credas, quantam mihi
voluptatem adferrent, literæ duorum
ſingularium ſodalium articulis exaræ,
tuis inquam, & M. Petri Guolbrandi
noſtri. De quorum incolumitate in iſtis
periculis præſentium fluctibus me
ſæpenumero valde ſollicitum facit ple-
nus timoris amor, quo utrinque jam
olim proſecutus ſum: quum ex cunctis
propemodum, quos ruinæ (quibus iſthic
magno Reipub. detrimento oppreſſa
diſiectaque ſunt omnia) reliquos fece-
runt, ſoli vos, quod ſciam, Barbarorum
immanem ſævitiam in fortunis quidem
expertis, ſanguinarias tamen manus (laus
ſuperis) ſalvi effugeritis. Mihi, tametsi
direptis omnibus, diſſipatisque opibus
jam olim graviter mulſato, id tamen
accidit percommode, quòd conſilio, &
voluntate rerum turbulentatum adven-
tum prævidens, antequam me iſtinc
procella extruderet, Harpiis cedens,
Numinis ductu in has oras pervenerim.
In quibus licet hætenus liber animi &
paca-

HADR. JUNIO scriptæ. 62

pacatus liberalissimi heri mei benignitate affatim abundaverim; nunc temporis tamen, patriæ (quavis jactatæ turbine, & objectæ tempestatibus) publico decreto obsecundaturus, constituam me istuc recipere, ut, maximâ vitæ parte in publicis occupationibus peractâ, tandem ex aula quoque strepitu ad ea, quæ me attingunt propius, & in quibus mea salus, & sempiternæ vitæ beatitudo consistit (hoc est, à terrenis ad cœlestia, à caducis ad æterna) conversus, istic in pio ocio confenescerem; Theologicis studiis in hac devexâ ætate me totum dediturus. At dum emancipationem ab hero demississimè oro, eheu, vinculis magis ineluctabilibus constringor miser! id quod, quum fata ita velle videantur (quorum necessitati ne Deos quidem ipsos repugnare posse veteri proverbio jactari solet) obnixè te oratum, rogatumque esse volo, ut hunc meo familiari & *amici*, adiutorq; esse ne graveris, ut heri mei literas, supplicem libellũ propositi mei testem continentes, captatâ commodâ occasione Illustriss. Pr. Aurantio reddat; quem optem, ut, refrenatâ veteris amicitiae

græ

624 Diverſorum Epiſtolæ,
gratiſſimâ hîc memoriâ, de ſuâ voluntate
herum meum eâ, quâ par eſt, obſervantiâ
quamprimum certiorẽ reddat. Faceret
enim ea res (meo quidem iudicio) non
tantum ad rerum mearum ſecuritatem,
ſi, Aurantii cœpta fortunante Deo Opt.
Max. mihi in locis perpetuo domicilio
morandum ſit; verum etiam, ferrumina-
tis amicâ ſcriptione utriuſque Herôis
animis, Reſpub. maximum, oblata
opportunitate, emolumentum inde
capere poſſet propediem. Et quo-
niam ego, qui amicitias mehercle
cum fide colo, de te (quem mihi non
adoleſcentiæ duntaxat luſus, conviçtus,
deambulationes, ſed par, atque idem in
animis delectus, ac vetuſta eorundem
ſtudiorum, ac laborum ſocietas con-
junctiſſimum facit) tam fui ſollicitus in
Harlemicâ clade, ut tædeat pigeatque
meminiſſe denuo. Tu vide viciliſim, mi
Juni, ne fidi, diligentisque amici officium
hac in cauſſa deſiderem; Quoniam enim
ego veræ, conſtantiſque amicitie fidem
conſervo, conſimilem te mihi præſtare
per inviolata noſtræ amicitie jura, non
diffidens, ſed omnino confidens poſtulo
atque obteſtor. Quòd ſi funeſta lugubriſ-
que

HABR. JUNIO scripta. 625

¶ ~~¶~~ aliquando procella res tuas isthic
terum sternat (quod precor, ut indul-
gentissimus avertat Pater, propter Je-
sum Christum filium suum, Dominum
nostrum) ego tibi, tuisque mearum fa-
cultatum communionem hac scriptione
benignè offero: quicumque enim terræ
angulus hunc habiturus est Aedituum,
idem habebit sodalem Junii studiosissi-
mum. Vale, & Petro Guolbrando has
literas candidè communicato, cui quòd
in præsentia non scribam, in causâ pro-
fecto sunt occupationes non vulgares,
à quibus tantum otii suffragari non datur,
multarum scriptioni quòd impendeam.
Eundem quoque unà cum D. D. Basio,
Heydio, Forestio, adde & Clemente
Demosthenico Corenharto, & Gulielmo
Theodoro, prætorio viro (si apud ip-
sum ulla nostri etiamnum superest re-
cordatio) nostris verbis accurate saluta-
re quorum primis si mihi per otium
scribat aliquis, maximo me beneficio
affectum judicabo: eò quòd amicorum
ad me literis nihil contingere mihi opta-
tius queat unquam. Uxor vos, vestrasque
familias suo quoque nomine salvere ju-
bea. Hafn. die xvii. Maij. anno 1574.

D d

pro-

626 Diverſorum Epistolæ,
properanter. Si huic meo familiari,
Nicolao Justo Hagienſi, aliqua in re vel
opera, vel commendatio tua ului eſſe
poſſit, etiam atque etiam te rogo curis
pro virili, ut ſentiat aliquod apud te
pondus hanc interceſſionem habere.
Iterum vale,

Baldwinus Ruſſus Medicus Hadr.
Janio S. P.

Soles, mi Juni, mecum expoſtulare
quod rariùs ad te ſcriberem: ego te
cum reconventionis jure nunc ago,
quando totum hanc annum vana ſpe
me, non dico alueris, verum protraheris,
dum aut te, aut Braccatum tuum in
aedes meas diverſurum per pharmaco-
pæum noſtrum ſignificares. Nec dubi-
to, quin vorſura illa tua, quæ proximâ
æſtate Delphis iſthuc inſtituiſti, & nun-
ciorum iticommoditas (quanquam eam
incuſare merito non poſſis) in cauſa for-
tè fuerint, quominus abſ te hætenus
fatiffacrum ſit. Verum ego ut protra-
ſtinationem, non dico tergiverſationem
hanc ex animo eximerem tuo, cum, per
quæ promiſſio facta eſt, ad te remitto,
ut

ut per eundem fidem liberes, Braccatumque illum tuum Hispanum in nostrum diverforium tandem mittas. Statui proximis nundinis Francofurtum petere, visurus si cui enarrationes nostras in septem posteriores Celsi libros, unâ cum epistolarum Medicinalium miscellaneis, excudendas committere possim; optarem interim in itinere fidum aliquem tui similem Achatem. Quod si negotiis tuis momentum temporis succidere possis, cuperem carmen aliquod abs te conscribi, quod alterutri operi præfigi posset. Sunt hic nonnulli, qui in calce miscellaneorum leporem illum nostrum, nuper ad te missum, adscribendum asserant, quod omnes illius facultates & dotes comprehensus fuerim, ego contra reclamô, quod satis perspectum habeâ, quod non satis fluat, si quod à me conscribatur carmen, quando ab annis triginta (hoc excepto lepuscule) vix totidem conscripserim disticha. Conflans hic rumor est de conventu Ordinum Belgii totius Dordraci habendo ad viii. Kalend. Februar. Faxit summus ille atque optimus pacis largitor Deus, ut, ad stabilem firmamque tranquillitatem

D d 2 com-

628 *Diversorum Epistolæ,*
 compōitis animis, res felicem sortiatur
 effectum. Tu si quid novi habes, quo
 nos aliquo modo recreare possis, quæso
 significes. Conjugi tuæ cum totâ fami-
 liâ ex me multam salutem dicito. Salu-
 tat te mea conjunx. Balleotii uxor hic
 fuit non satis constante valetudine, capi-
 ris continuis doloribus exagitata cum
 obtuso auditu, scripsi ei quæ ad præsens
 negotium facturâ existimâram. Cupi-
 vissem interim tuam præsentiam, ut
 communicatis consiliis communi amico
 aliquo modo profuissemus. Vale animo
 tanquam peregrinante. Gouda ipso
 Fluralibus. 1575.

Daniel Rogertius e Angliâ Hadr.
Junio S. P.

QUO tempore Joannes Ferrerius, vir
 ut genere, ita genio & ingenio il-
 lustrissimus, ex Britannia ad Mattiacos
 tuos transieret, dedi ~~peripitum~~ scrip-
 tum Joanni Brofferio, litterato viro, qui
 in ejus comitatu versabatur, ut tecum
 de eâ re ageret, quam nunc hisce meis
 ad te literis statui inferere. Cùm enim
 à quibusdam amicis meis sollicitè, ut
 Hiber.

HADR. JUNIO scriptæ. 629

Hiberniæ topographiam, quam dudum descripsi, typis mandem, a teo majorem in modum ex te discere, ex quo auctore in tuo Epithalamio, ad nuptias Philippi, Hispaniarum Regis, & Mariæ Britannicæ composito, scripseris, Hiberniam puppis Jasoniæ nautis bene cognitam fuisse. Non enim id me legisse recordor, & ex multiplici tuâ lectione, & recondita eruditione facile adducor, ut mihi persuadeam, ex docto aliquo Antiquario te id observasse. Fortassis aliquid lucis inde mihi, veteres Hiberniæ res, ac primam infantiam indagatione accuratâ exquirenti, laborietur. Unde etiam atque etiam te rogo, memoriam tuam excutias, atque eâ de re certiores me facere non dedigneris. Tui nominis iam à multis annis audiosissimus fui, ac quis sim ex Clarissimis viris Carolo Boisotto, ac Douza tuo, simul meo, abundè cognosces. Certè si in Angliâ te reperissem, cùm Eunapium Serenissimæ Reginæ obtulisti, non ingrata tibi mea opera fuisset. Intellexi enim ex præstantissimo viro, D. Thoma Wilsono, libellorum supplicum in Regiâ Britannicâ magistro, quàm iniquè

D d 3

tibi

630 Diverſorum Epiſtolæ ,
 tibi ſors fuerit. Conſulo autem tibi,
 ut, ſi quid de novo edideris, Regina
 rursus dedices, ac Eunapium unâ ad me
 mittas : excogitabo eas rationes, quibus
 pro utroque honorarium tibi à Sereniſſ.
 Regina impetretur. In præſenti An-
 doverpiæ commoror, comes additus
 Clariff.º viro Wilſono, qui Legati offi-
 cio apud Belgas deſungitur; ſub Mar-
 tias Kalendas in Britanniâ rediturus.
 Qui verò has tibi tradet, tuas ad me cer-
 tiſſimè deſerri curabit. Ego epiſtolam
 hanc Epigrammate claudam, ut ex ar-
 gumento cognoſcas, quàm ſtudioſè tuæ
 amicitiaæ tyro eſſe aveam.

*Omnia ſi fidis communia credis amicis,
 Græca magi fieriis quod probat ora ſuis.
 Qui mihi communem te, docte, negarit amicum
 Ardua Phœbæi fama Adriane chori?
 Namque ita communis Boſſotti nomen uterque
 Percolit, & noſtrum ſic is utrique favet,
 Ut nos unus amor communi jungere vinclo
 Debeat, ac ſimili lege ligare duos. (aras,
 Adde, quòd ad ſacras bacchamur Apollinis,
 Ac ſimili myſta Phœbus ab arte beet. (nos,
 Quare, age, communes qui juadet amare patre
 Ille ſit & noſtri fomes amoris Amor.*

Andoverpiæ 17. Februar. 1575.

Ni.

Nicolaus Vorstius Hadr. Junio S. P.

EX meis literis, sub autumnî finem,
ad Janum Douzam, quem non se-
cus, ne dicam magis, quàm meos oculos
amo, datis, scio te cognovisse, quis
terrarum angulus nos habeat, Juni doc-
tissime. Verùm quum tam longi tem-
poris tam sincera, tam domestica, &
tantis tandem periculis circumseptæ ac,
plane *amicitia*, quam cum
utroque Junio, atque Douza dulcissimo
sanctè in Bataviâ colui, præcordia subit
nostra, longâ rerum desperatione ani-
mus obtusior factus, occulto Naturæ
meatu quodammodo sese colligens as-
surgit. Quis enim ad nomen Jani, qui
veteribus quibusdam anni initium, &
auspiciûm erat, & Junii nomenclaturam,
ex quâ & Nomenclator prodiit, non
junior hoc veris principio efficeretur?
Animus multa scripturæ, mi Juni, sed
præpropere tabellarii festinatulo me La-
conem esse cogit. Accedit hoc etiam,
quod nesciam, si ille, qui literas trans-
fert, te sit inventurus. Rumorem se-
mel tantum mihi audivisse sum visus,
Hadrianum Junium Middelburgi sedem

fixiſſe, quò quum hic ſeſe petere dice-
 ret, dubio eventu hoc ſcriptum tumultu-
 arium illi credidi. Si autem in manus
 tuas tradatur, ut ſpero, etiam atque
 etiam H. V. rogatam velim, ut reſcri-
 bere aliquid dignetur. Uterque veſtrum,
 J. Donza, & H. Junius, in his locis
 maxime celebres ſunt. Quin & nos ali-
 quod nomenque de cuſque gerimus, id
 que non alià de cauſa (notum enim eſt,
 quàm ſit mihi curta ſupellex, hoc eſt,
 eruditio exigua, vel potius nulla) quàm
 quod aliquo modo demonſtrare potui,
 me vobis fuiſſe familiarem. Hoc ipſum
 me conciliat & Eccleſiaſtici, & Politici
 ordinis viris ſuis, quod de Batavia
 luminibus, nempe Junio & Douza, mul-
 ta, ipſori auribus gratiſſima, referre poſ-
 ſim. Vix ullus labitur dies, quum ſcho-
 lam aut ingredior, aut egredior, quin aut
 Rector, aut leſtorum aliquis me pallo
 præhendar, rogitantque, num quid de
 Belgicâ, num quid de amicis, Junio aut
 Douza, audiverim. Hodie quum viderent
 hunc civem Roſtachiienſem mihi ad eſſe,
 diceremque, illum in Hollandiam &
 Zelandiam properare, & me aliquid rap-
 tum ad vos eſſe ſcripturum, certatim uno
 ore

HADR. JUNIO scriptæ. 633

ore omnes me præhendere, & orare, &
precipue D. Rector, Joachimus Hanfius,
jurisconsultus, ut suo nomine plurimam
vos impertiret salute: & separatim
D. Rector obnixè precatur, ut libro-
rum tuorum, hoc est, lucubrationum
tuarum catalogum, tuam manu conscrip-
tum, ad nos transmittere digneris. Sperat
is, sese Francfordiæ omnia invenire posse;
si modò nomina nosset. Nomenclatoris
tui Epirome, adjunctâ Germanicâ inter-
pretatione, utinam & Saxonicâ! in
omnibus scholis pueritiæ proponitur.
Audi vi auctiorem in lucem brevi pro-
diturum; hoc si ita est, quæso, significato.
Propediem plura. Salveat quæso tua
conjunx, & filius Petrus Junius, cum
totâ familiâ. Raptim Lubecæ ex colle-
gio Franciscanorum. 10 Martij anno
1575.

Joannes Antonii Baerwicensis Hadr.

Junio. S. P.

QUanquam per paucis antè diebus, vir
doctiss. cuidam tabelioni litteras,
ad te pluribus verbis scriptas, dederam,
quibus, quo in statu res meæ essent,
D d 5 atque

634 Diverſorum Epistolæ ;

atque alia nonnulla declaraveram, tamen
 cū nuncius hic mihi familiarior altero
 in Zelandiam cogitaret, me continere
 non potui, quin iisdem de rebus scribe-
 rem, de quibus superioribus litteris
 scripsi. Valde enim dubito, num priores
 litteræ ad te pervenerint, cū tabellio,
 cui illas dederam, nihil mihi renunciavit.
 In dies autem Thomas Redingerus Sile-
 sius, &, quem stipendiis amplissimis
 alit, Falkenburgius, Joan. Mettellus
 Sequanus, & Ximenius, qui in ædibus
 Arnoldi Birckmanni, cū Spiram
 proficisceris unâ tecum pransi fuerunt,
 ane aliquid de te resciverim, percontan-
 tur. Ego, quod suspicor, respondeo ;
 cū nuncius Middelburgi, ubi te Me-
 dicum agere intelleximus, ipse non fue-
 rit, tibi fortasse nihil esse redditum.
 Summopere tuam amicitiam Redin-
 gerus expetit. Epithalamium, in Casimir
 nuptias à te scriptum, desiderat. Multi-
 tum nobilitate, tum litteris insignes, viri,
 tui amantes, exhibitum non fuisse dolent.
 nam Palatini Oeconomus tibi ducento-
 rum coronatorum honorarium dicebat
 fuisse destinatum. Carmen hoc Redin-
 gero si miseris, ad ipsumque, licet
 hæc-

HADR. JUNIO scripsit. 635

hactenus ignotum, scribere non fueris
gravatus, virum gratissimum, nominis-
que tui studiosissimum experieris. Quam
bene de Republicâ litterariâ mereatur,
exposui super. Te in suorum albo in-
scribendum restare dicet. Opibus affluit,
easque profundit in amicos, & doctos
viros. Regiam omnino librorum habet
suppellectilem, quam non sine maximis
expensis, undique coemptis, & congestis
tam manuscriptis, quam impressis in-
struit. Ego humanitate tuâ, quam probe
perspectam habeo, fretus, familiarius
ad te scribo: quod dum facio, tuum
erit meis in erratis, si qua deprehendas,
connivere. Nova quædam nuncia, quæ
jam vetera sunt, ad finem epistolæ supe-
rioris adjeceram. In præsentiarum verò
nihil, aut parum habeo, quod annunciem.
De Guleta, vel Tunete nondum quid
certi constat. Equites Germani, qui
Galliarum Regi militatum iverunt in
Lotharingiæ, & Mediomatricum finibus
ab inconditâ rusticorum multitudine,
primum ipsorum injuriis provocatâ,
(dum nimirum ab agrorum depopulationi-
bus sibi non temperarent) partim fusi,
partim fugati, retrocedere coacti sunt.

D d 6

Venit

636 *Diversorum Epistolæ,*

Venit huc hesternâ die vir quidam Hispanus, & publico historici munere, quod apud Regem Hispaniarum obit, & litteris excellens, Fredericus Furius Cæriolanus, ut inter alia Redingensi bibliothecam videndi sibi fiat potestas. Deus Opt. Max. te nobis, & Reipub. tuis scriptis juvande sanum, felicemque seruet. Petri, & Claram, juniores Junios, meis verbis plurimum saluta. Vale. xix Kal. Octobr. ubierum Coloniae.

*Martinus Corenbechius, Medicus
Anglus, Hadr. Lanio. S.*

Hic, qui hæc perfert, Hadriano doctiss. filius meus est major natu, nomine Simon, quem superiore anno mater dura ob levicula in se commissa errata in bellum ad Belgas, ut sub signis Ill. mi Principis Arangiae militaret, & hoc, me incio absenteque, perpulit. Qui, quum strenuam navasset operam in explodendis sclopetis, captus alias ab Hispanis in quodam conflictu, à quibus industriâ militari liber denuo evasit, magnæstimabitur ab omnibus, rei bellicæ peritis, Centurionibus. Verùm cum
ego

ego mecum rectâ ratione computâssem, quàm esset varius ac incertus belli eventus, vitæque in eo miserrima, non oblitus quod Erasmus Roterod. tractet in proverbio, Dulce bellum inexpertis; denique, quod optimos in studiis jam profectus fecisset, non destitit apud uxorem, nunc rogando, nunc increpando rixandoque, quin daret operâ, ut revocaretur in patriam, exculturus utramque linguâ in Academia Cantabrigiensi. Tandem victa mor perpetuis meis minis, & obijurgationibus miserat hinc unum ex tuis popularibus, qui eum reduceret huc Norw. Licet invitus admodum, multoque negotio, tandem valedicens bello ac suis commilitonibus huc rediit. Qui, quum hic vixisset menses duos apud me, materque, ad ingenium rediens, dies noctesque Demeam agens, effecit tandem, ut coram me prostratus sæpius, etiam cum lachrymis, à me peteret, viatico dato, darem illi denuo liberam proficiscendâ ad suos Belgas potestatem, quibus futurus esset acceptissimus. Ego, in hoc rerum statu diu dubius, tandem hoc iter, cum Dei laude, & Christianorû omnium propagatione ut feliciter illi

638 Diverſorum Epiſtolæ ;

cederet, conceſſi, eumque ad vos cum aliis veſtratibus ablegavi. Cùm itaque tu, mihi amantiſſ. Hadriane, mihi mentem veniſſes, & quòd multùm apud Principem tuum poſſis; & ſciam, imò perſuaſiſſimum habeam, te meâ meorumque cauſâ omnia eſſe facturum, non erubui à te petere, quæ etiam faceres non rogatus, ut illum, ubi opus fuerit, juves, promoveas, & ad ingenuos mores capeſſendos ſtimules, famamque ut illibatam conſervet. Revocato in memoriam, amicorum integerrime, meum ſtudium, quo perpetuò, hic, & ubique multos juverim, evexerimque ad proſectus digniores. Gallicam linguam, & Brabanticam ſic ſatis callet, eruntque illi uſui litteræ, tam Latinæ, quàm Græcæ. Miror, quòd in omnibus tuiſ graviffimis, ac doctiſſimis lucubrationibus ne ſemel quidem mei feceris honorificam mentionem, quod ut in poſterũ facias, te etiam atque etiam oro. Cætera te malo ex meo potius filio, quàm meiſ litteris cognoſcere ſimiliter quomodo ſit tractatus à pyrata apud Regiam Burgum quadraginta à Londino milliaribus. Hæc veloci calamo Norw. 10. Decemb. 1573.

Ja-

Janus Douza Nordovix Hadr.
Junio. S. P.

HOc Iunine tibi videtur æquum ?
Iampridem tamen , ô superbe , factum
Videri pote , Delpho ab urbe postquam
Lugdunum reducem te ego , & Noëllus
Præsolamur : identidemque dicenti,
Cras ad vos faciam revorsionem :
Aut pro me tibi , qui futurus olim
Eſt hæres mihi Petrus , obſidemque ,
Et pignus dabo , ut , tuo arbitrato ,
A manu tibi , vel ſit à libellis.
Hæc totis mihi ſuccinis diebus ,
Lugdunum quoties tuam , & Noëllum ,
Sed Nilum , catuli ut ſolent , reviſis.
Hæc nobis eadem , Hadriane , nuper
Juſti per famulam renunciari
Delpho : nec tamen ipſe vel venire ,
Vel pro te mihi te parente natum
Obſidem dare , pignori que curas.
Sic imponere , verba ſic amicum
Dare impunè tibi licere cenſes ?
Præſertim mihi , primùm Iambico , ut ſcitis
Nunc verò Satyrographo Poëtæ ,
Iraſci facili , deinde Douzæ ,
Rei denique quod caput videtur ,

Hæc

640 Diverforum Epistolæ,

Hospiti veteri, atque combiboni
 Festivo : fateari hoc necesse est,
 A te hoc nomine, quanquam apud Noëllum
 Repulsam tulerim, Hadriane, nuper,
 Explosus pariter tibi, tuisque
 Omnium immeritisimo Cameris.
 Iratus mihi sis tamen licebit,
 Ingratam & patiar libens repulsam,
 Tantum ipse hoc faciat revorsionem,
 Aut pro te mihi, qui tibi futurus
 Heres, mittere pignori, obfidemque.
 Cures continuo, ut meo arbitrati
 A manu mihi sit, vel à libellis;
 Idque unum triduum modo Hadriane,
 Nè dicam hinc tibi vñ, & inde scribi
 A Douza pariter, Georgioque
 Non amicitie renuncianda
 Communis puto, quodque Barbarorum est,
 Frangenda malè tessere hospitalia :
 Sed quod te potius iuvat, capis que,
 Hanc noxam vice Bacchicâ expiandi
 Non conchæ, aut cyathi modo (faceffant
 Hæc rorantia perula, & minuta)
 Sed totis paternis, triontibisque,
 Idque amyssiis, spiritu rotentis,
 Sed prægnantibus hinc, & inde necn
 Haustu, ductu, animâ, atque anhelitu uno.
 Quodque interpretatus argumenta

Sci

*Scis solere me ultimæ referri,
 Non dico mihi, sed Encellionum
 Gregi, sed Salisubfule æt æram
 Nostris, lumine lippiente utroque.*

Habes Hendecasyllabos nostros,
 Junii doctissimi. leves quidem illos, &
 nugatorios, sed tamen à Douza tuo,
 quem tu quoque Satyrarum scriptorem
 admiratus es nuper, hoc mane profectos,
 idque ex tempore: quos cum legeris
 memento in maximis dentium doloribus
 desputos hos ipsos, ne exscreatos dicam
 verius, quàm scriptos esse. Quæ res me
 nondum etiam edentulum esse planè
 confirmat, vereor ne & carmen ipsum
 sed tamen familiariter omnia, nec præ-
 ter morem, ut scis, utriusque nostrum.
 Miror certò, quantum de filii tui vicariâ
 operâ sperare nos jubeas. Speramus
 quidem fortiter nihil te indigni factu-
 rum, & istam tamen spem in hanc usque
 vespertinam fovebimus, cum, uti planè
 persuasum habeo, aut te, aut ipsum, seu
 potius utrumque simul intra communes
 parietes (quid enim non commune inter
 nos?) reducem domi nostræ oculo præ-
 sente arbitrabimur. Nec enim, etsi an-
 cillæ meæ nuper fastidii plenum te
 fece-

542 Diverſorum Epistolæ;
feceris, itinerisq̃ue comitem filium
tuum invideris, idem uxori meæ, quæ
domina est, ut eveniat, periculum est
puto. Sed extra jocum. Satyræ meæ
utrunque sub manus procedunt, susce-
rant certè sedulo, sed rerum quarundam
cognitione destitutus id, quod destina-
tam, ad exodum perducere non potui;
quarum si, uti spero, à te certior abire
possem, nã ego tibi hanc telam pulchrè
detextam darem. Summa rei contro-
versæ hæc est, cujus equidem occasi-
onem nihil tibi cum Baldo, aut Bartolo ne-
gotii fore confido; sed nec eam tamen
rum Areopagitis in centesimum annum
es rejecturus. Comitem Egmondanum,
multis, & magnis victoriis inclytum,
sæpe in hostem feliciter pugnasse scio,
& quernam coronam meruisse ad S. Qua-
tini, & Grevelingam oppidum, unde
propemodum omnis belli spes, & Bel-
gici nominis fortuna tum temporis pen-
dere videbatur; sed quâ ratione, &
quibus modis ab eo hæc ipsa gesta sint,
non satis exploratam est mihi, ut qui
hæc tantum quasi per nebulam audive-
rim, quam caliginem mihi si discusseris,
erit quod mihi gratuler, tibi gratias
agam.

agam. De Henrici Junii, communis amici, Præceptoris etiam quondam mei, improvise, atque adeo parum tempestivo obitu melius in præsentî filere puto, quàm pauca scribere. Quid enim? verba nulla suppetunt, quibus aut doloris hujus magnitudinem exprimere, aut de jacturâ, quam in viro illo literaria nostra res fecit, satis pro rei indignitate conqueri, atque expostulare possim. Illud mihi credas velim.

Funere me nullo tantum cepisse dolorem,

Nec patruus, gelidâ cum tegetetur humo.

Quid tamē hoc prodest, si nō revocabili ulli est,

Frigida quem lethi pausa sequuta semel.

Vides ut, quicquid membranæ ingero, in versum desinat; Itaque finem faciam, ne operam meam tandem ostentare velle videar. Vale, & communi amico Epicedium para, te atque illo dignum, atque idem à me propediem officiū expecta. Qui enim mortuo nugas meas negare possim, quas ille tantopere vivus amabat? Testimonio est Satyra mea, ipsi inscripta, quam ille, paucos antequam obiit dies, ut in plura exemplaria transcriberetur, se curaturū receperat:

644 *Diversorum Epistolæ ,*
perat : quod si factum est, velim ea ipsa
exempla cum uxore ad me transmittas ;
fin' : sic etiam ipso autographo conten-
tus ero ; quod ne mihi eadem opera mi-
cum filio tuo diutius invideas etiam
arque etiam rogo. Raptim, & præcipi-
tanter, ut vides.

Ianus Donza Hadriano Iunia. S. P.

ET si tum privatis negotiis, tum
Reipub. procuratore in his Comi-
tiorum necessitatibus non mediocriter
impeditus, vix brevissimo epistolio scri-
bendo sufficiam, ne tamen aut superbiæ
aut negligentiae, quarum causas procul ha-
beo, suspensionem incurrerem, commit-
tendum non putavi, ut diutius literas
meas desiderares, rudes quidem illas, &
impolitas, longeque dissimiles tuis illis,
quas ad me superioribus diebus Mid-
delburgi dederas, non ingratas, ut ego
arbitror, futuras tamen, si modo anti-
quum adhuc illud obtines tuum, ut
amoris magis vitio, quam tuo, nostra
non modo, quamvis ineptissima, non im-
probes, verum etiam in coelum feras.
Sed in rem præsentem veniamus. Incre-
dibile

libile memoratu, est quantum ex litteris
tuis voluptatis ceperim, postquam
intellexi, Rogerium tibi numerum ami-
corum auxisse, atque eò magis, quòd
usum ipsius consuetudinis suavissimum
tibi fuisse scribis. Unum malè habet
animum meum, quòd publicis occupa-
tionibus districtus ad vos excurrere non
potuerim, unaque vobiscum Triumvi-
ratum, aut Gratiarum numerum efficere,
quod hercle nimis mihi mellinis fu-
isset. De teterrimâ illâ, quam tibi tan-
tum non aminam expectorasse scribis,
tussi, & Rogerii, & tuâ causâ maceror,
speroque jampridem huic morbo me-
dicinam à te factam; alioquin auctor tibi
futurus, ut te cum Cxtullo aliquò in sinu
suburbanae villae quamprimum abdas,

*Malamque ibidem vi Machaonis ravim,
Malum sreatum pectore expellas tuo,
Expectorant qui modò non animam tibi,
Es te recures ocimeque, & urticâ.*

Sed extra jocum. Epigramma Ro-
gerii nostri legi avidissime, visusque sum
in illo, nescio quid Bilbilici Genii, ag-
noscere. Desiderio Ammiralii satis-
factum est Dordraci, ubi praesens prae-
sen-

HADR. JUNIO scriptæ. 647

Quæ re nihil mihi gratius evenire possit.
Miteo literas, eidem inscriptas, ex Bo-
reali Hollandiâ credo; nam ut mihi
dixit libraria illa vidua, quæ in vicinâ
Aulæ principis nostri Delphis commo-
ratur, apud quam præterea ingens do-
lium depositum conspiciatus sum, quod,
ex eadem Boreali regione advectum,
siveque fidei, & curæ concreditum tan-
tis per saltē, dum filio tuo, utpote jussu
ejus rei domino, & dolium, & omnia,
quæ inessent, sistere juberetur, eadem
mihi commemoravit. Missem eadem
operâ lineum quendam sacculum, cui
interulæ aliquot, nisi fallor, insunt, ad
me non ita pridem perlatum, ut filio tuo
porro mitterem, si certum hominem
habuissē, & mihi de fide tabellario-
rum confutisset. Tu quid fieri velis,
poteris per literas significare. His Vale.
Cum Dordraci essem, filio tuo libellum
supplicem unum, aut alterum ad Nor-
lovicum, municipium nostrum, perti-
nens (de Præturâ Peregrinâ ejusdem
ragi loquor unâ cum literis obsignatis),
ad Ordines servandum tradidi, quem
ille unâ cum iis, quas dixi, literis secum
imprudens in Zelandiam asportavit.
Eam

646 **Diverforum Epistolæ ,**
senti nugæ meas eidem repræsentavi
de manu (quod ajunt) in manum ? Ru-
môr de Hispanicæ expeditionis ludibri-
non falsus fuit , sed tu verior , imò di-
vinus planè , qui nobis Horatianum illud
statim præcinnisti.

Parturiunt montes , nascetur ridiculus mus.

Quid ? potuitne planius unquam re-
lucere Hispanicus ille , quem dicis ,
~~partur~~ ? Elephanti scilicet partum ex-
spectabamus , ridiculus mus natus est.
Sed jam vobis imminere dicuntur scili-
cet , non contenti toties naufragium
fecisse , nisi ad eosdem scopulos rursus
impingant. Ridiculi homines , qui cum
Deo , quasi Trianes , pugnare nefas esse
non ducunt , cuius viribus se pares non
esse jam toties suo pre periculo didice-
runt. Filium tuum à me dimisi invi-
tissimus , sed mos gerendus fuit incom-
modæ valetudini , quâ ille plus octiduo
Dordraci , dum apud me in diverforio
fuit , conflictatus est . Itaque de manu-
missione gratiam facere placuit , atque
eò facilius , quò maturius eundem spe-
rabam , viribus recuperatis , simulac ex
incommodâ istâ valetudine emerisset ,
ad nos versoriam aliquando capturum.

Qua

HADR. JUNIO scriptæ. 647

Quâ-re nihil mihi gratius evenire possit.
Mitto literas, eidem inscriptas, ex Bo-
reali Hollandiâ credo; nam ita mihi
dixit libraria illa vidua, quæ in vicinâ
Aulæ principis nostri Delphis commo-
ratur, apud quam præterea ingens do-
cium depositum conspiciatus sum, quod,
ex eadem Boreali regione advectum,
fidei, & curæ concreditum tan-
tis per saltem, dum filio tuo, utpote juba
ejus rei domino, & dolium, & omnia,
quæ inessent, sistere juberetur, eadem
mihi commemoravit. Missem eadem
operâ lineum quendam sacculum, cui
innotulæ aliquot, nisi fallor, insunt, ad
me non ita pridem perlatum, ut filio tuo
porro mitterem, si certum hominem
habuissem, & mihi de fide tabellario-
rum conficisset. Tu quid fieri velis,
poteris per literas significare. His Vale.
Cum Dordraci essem, filio tuo libellum
supplicem unum, aut alterum ad Nor-
dovicum, municipium nostrum, perti-
nens (de Præturâ Peregrinâ ejusdem
pagi loquor unâ cum literis obsignatis),
ad Ordines servandum tradidi, quem
ille unâ cum iis, quas dixi, literis secum
imprudens in Zelandiam asportavit.
Eam

Eam mihi primâ quoque occaſione per homines fideles, cujuſmodi iſtinc ad nos quotidie commeant, remitti velim, ut quibus mihi cûprimis uſus ſerâ iterum Vale. Lugduni raptim. Domino Ammiralio Boifoto uxoriq; ejus, & tuæ, omni denique familie ſalutem & nominatim filio. Salutat vos omnes uxor mea de meliore notâ. Ipſis Nonis menſis tibi cognominis.

ſcripto ad Hargen, Hadr. Junio.

Humaniff. D. ne Junii. Andream noſtrum remitto, ſed tardiùs, quàm putâram: amicorum id precibus dediſi, ut pompam anniverſariam hujus loci ſpectaret, eâ tamen conditione & pacto, ut hujusce temporis diſpendium diligentiâ, ac ſtudio intentiore compenſaret, quod te authore omnino iſtum præſtituram confido. Ego erat cum uxore in Brabantiam profiſciſcor, nihil iſthic prætermiſſurus, quo tibi commodare poſſim. Simulatque redieroad vos excurrat, faxit Deus, ne omnino, tanquam ex Aulâ, vacuis manibus. Ego hic verecundiam omnem deponam, ut iſthic ſim in petendo impudentior. Vale, & nos ama. Hagis x. Maij. 1583.

F I N I S.

